THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

TRADITA

Bibliothecae PP. Eremitt. Camaldulensium

A

P. JOSEPHO MONSCHEIN S. J.

SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE p. t. UNIVERSITATIS DILINGANÆ CANCELLARIO.

Insulae Vigrensis.

TRACTATUS V.

DE

LEGIBUS, JURE, ET JUSTITIA.

Editio secunda.

CUM FACULTATE SUPERIORUM

AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ

Impensis FRATRUM IGNAT. & ANT. WAGNER, Bibliopolarum, anno 1767.

BJ Bien. F. I. 3(a)

INDEX MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

TRACTATUS de LEGIBUS, JURE, ET JUSTITIA.

PARS I. DE LEGIBUS.

DISPUTATIO I.

De lege naturali.

DISPUTATIO II.

De lege divina poſitiva.

DISPUTATIO III.

De lege humana.

PARS II. DE JURE.

DISPUTATIO I.

De subjecto, & objecto juris & dominii.

DISPUTATIO II.

De dominio clericorum, & religiosorum.

DISPUTATIO III.

De modis acquirendi dominium?

*An

*Quæ-

DISPUTATIO III.

De restitutione circa bona corporis, animæ, famæ, & honoris.

DISPUTATIO IV.

De modo restituendi.

TRA-

TRACTATUS V.

DE LEGIBUS, JURE, ET JUSTITIA.

TRactatus hic, ut titulus indicat, tres partes complectitur, legitimo ordine inter se connexas; nam jus per legem constituitur, & justitia per jus definitur, illudque tanquam objectum suum respicit. Horum omnium tractationem merito Theologia sibi vendicat, utpote quæ Deum non solum quoad essentiam suam, & proprietates intrinsecas considerat, sed etiam relate ad creaturas contemplatur. Cum itaque Deus sit ultimus finis, ad quem omnes creaturæ rationales tendunt; supremus legislator, cui omnes parere debent; supremus judex, qui omnes est judicaturus: *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.* Isai. 33 v. 22, proprium Theologi officium est, viam ad hunc finem ultimum consequendum ostendere, quidve homini liceat, quid Deo, sibi, & proximo teneatur demonstrare. Quia tamen easdem materias etiam Jurisprudentia, & Theologia moralis ex instituto examinat, de iis tantum hic agam, quæ vel scitu magis sunt necessaria, vel Catholicos inter, & heterodoxos controversa.

PARS I.
De Legibus.

1 LEx in genere a S. Thoma 1 2 q. 90 a. 1 dicitur esse *quædam regula, & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur,* quo sensu non solum consilia, & præcepta, sed etiam regulas artis, & omnem inclinationem naturalem complectitur. Sic dicimus leges grammaticæ, leges militiæ, mercaturæ &c. Sic Proverb. 8 v. 29 scriptum est: *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et Apostolus ad Rom. 7 v. 23 inordinatam inclinationem appetitus sensitivi *legem membrorum, & peccati* appellat. Sed omnes hæ acceptiones impropriæ sunt; cum lex stricte dicta ad solos actus morales creaturarum rationalium pertineat, & moralem necessitatem operandi ita inducat, ut actus per conformitatem ad illam recti & honesti, per difformitatem vero obliqui & mali cognoscantur.

2 Proprietates legis sunt primo, quod lex debeat esse de objecto possibili; potest autem aliquid esse impossibile vel simpliciter, vel secundum quid, vel moraliter. Impossibile simpliciter est, quod aut omnino non possumus, aut saltem non sine aliquo auxilio, quin illud sit in nostra potestate e. g. volare per aera, mortuum suscitare. Hoc nullus legislator sive Divinus sive humanus præcipere potest; quod enim non cadit sub libertatem, non capit moralem obligationem. Impossibile secundum quid est, quod licet non possimus cum solis naturæ viribus, possumus tamen per auxilium gratiæ nobis oblatum, qualia de facto non solum a Deo, sed etiam ab Ecclesia præcipiuntur, uti valida confessio, fructuosa communio. Impossibile moraliter est, quod non possumus sine valde magna difficultate. Ad talia obligat lex naturalis negativa prohibens intrinsece mala; imo etiam lex irritans. Sic neque ad mortem evitandam

tandam licita eſt negatio fidei, aut fornicatio. Sic impedimenta matrimonii non ceſſant, licet mortis comminatione adigaris ad contrahendum e. g. cum conſanguinea, vel affine.

Aliud eſt de præcepto naturali & Divino affirmativo; nam ipſe David 1 Reg. cap. 21 in defectu aliorum *panes propoſitionis* comediſſe legitur, & aliquando, cum proximo periculo vitæ non teneris ablata reſtituere. Multo minus moraliter impoſſibilia vult aut poteſt præcipere legislator humanus, niſi gravis Reipublicæ neceſſitas id exigat, aut transgreſſio legis humanæ ex circumſtantiis fieret intrinſece mala, ſcandaloſa, Divino honori, aut religioni injurioſa. Unde licet miles cum manifeſto periculo vitæ teneatur ſervare ſtationem, aut hoſtem aggredi, & Clemens XI Siculis præceperit ſervare interdictum cum certo periculo fortunarum, & exilii; quia illius violatio eſt viſa cedere in contemptum eccleſiaſticæ poteſtatis, nemo tamen tenetur audire Miſſam, jejunare, recitare horas canonicas cum valde magna difficultate. Ratio eſt, quia extra memoratos caſus legislator humanus aut reſpublica non habet jus in vitam aut famam civis innocentis, aut bona fortunæ magni momenti; ſed ejus poteſtas debet eſſe humanæ imbecillitati accommodata, utpote ſolum conceſſa ad homines regendos ut cives, non ut ſervos. 3

Proprietas ſecunda eſt, ut lex ſit juſta, & juſte lata; cum enim juxta Apoſtolum ad Rom. 13 v. 1 *non ſit poteſtas niſi a Deo*; Deus autem poteſtatem leges ferendi non dederit ad deſtructionem, ſed ad ædificationem ſubditorum, lex non ſolum nihil poteſt præcipere turpe, ſed etiam nihil, quod non ſit honeſtum, vel ex natura ſua, & antecedenter ad omnem legem, vel ratione finis, ad quem a legislatore ordinatur. Quin licet objectum ſit bonum e. g. jejunium in pane & aqua, ideo non ſtatim poteſt præcipi, ſed inſuper debet ſervari forma juſta, conſiſtens tum in juſtitia legali, ut lex ſit ad bonum 4

commune, tum in justitia commutativa, ut non præcipiatur plus, quam quis potest, tum in justitia distributiva, ut onera inter illos, ad quos materia præcepta pertinet, æqualiter distribuantur, & nullus sine causa rationabili excipiatur; alias, ut S. Thomas 1. 2 q. 96 advertit, ejusmodi ordinationes potius essent violentiæ, quam leges, de quibus Isai. 10 v. 1 dicitur: *Væ, qui condunt leges iniquas.*

5 Ubi tamen notandum, quod in dubio legislator maneat in possessione, ne licentia non parendi fiat nimia, præsertim cum sæpe altiore regatur consilio, & justæ causæ præcipiendi non omnibus sint notæ. Quodsi leges humanæ quandoque aliquod malum permittant, vel potius tolerent, id præcise fit, ut tolerando minora impediantur mala majora, quod ipsum bonum commune non nunquam exigit, & recta ratio suadet. Quando autem jus civile quædam iniqua per legem videtur facere licita e. g. dissolutionem matrimonii propter causam fornicationis, præscriptionem cum mala fide, aut prohibere secundas nuptias, correctum est per jus canonicum.

6 Proprietas tertia est, ut lex feratur ab habente potestatem publicam in communitatem perfectam: nam lex juxta receptum juris ac sapientum usum significat præceptum non qualecunque, sed publicum; adeoque de ratione legis est, ut procedat ab habente potestatem publicam, per quam non tantum intelligitur potestas œconomica, sive dominativa circa personas privatas, vel communitates imperfectas e. g. patris in filium, mariti in uxorem, domini in servum, heri in familiam, sed requiritur potestas jurisdictionis exterioris, & coactivæ, vi cujus legislator præsit communitati perfectæ cum jure illam regendi & quidem supremo, vel supremæ jurisdictioni proximo, qualem in Ecclesia habet Pontifex, in regno Reges, in provinciis Principes, in diœcesi Episcopi &c. Judices autem inferiores, licet potestate

ſtate jurisdictionis gaudeant, ideo leges ferre non valent. Neque opus eſt, ut leges ſemper ferantur pro communitate collective ſumpta, ſed ſufficit, ſi cum diſtributione proportionali nunc his aut illis locis, vel membris accommodentur, & perſonas particulares diſtributive acceptas tamquam membra communitatis reſpiciant.

Porro communitas perfecta dicitur illa, quæ in 7
ordine ad bonum commune ſub aliquo capite copulatur, & in ordine ad finem ſuum conſequendum ſibi ſoli ſufficit, uti univerſum genus humanum reſpectu legis naturalis, Eccleſia reſpectu legis eccleſiaſticæ, imperia & regna reſpectu legis civilis, religioſi ordines reſpectu ſuæ religionis, imo etiam principatus, & civitates. Nam licet reſpectu totius regni ſint communitas imperfecta, abſolute tamen perfecta communitas cenſentur; non item domus vel familiæ privatæ, quæ ordinarie tantum ordinantur ad bonum privatum patrisfamilias, nec firma pace gaudere, nec in vicinos moleſtos, aut furem domeſticum pro gravitate rei animadvertere, ſuæque ſaluti proſpicere ſine Magiſtratus politici auxilio poſſunt.

Proprietas quarta eſt, ut lex cedat in bonum 8
commune; nam eſt actus prudentiæ & regula communis operationum moralium, qua legislator ſubditos active ordinat ad communem felicitatem tamquam finem poteſtatis publicæ, quam Deus Principibus ſive eccleſiaſticis ſive politicis ſolum conceſſit ad bonum reipublicæ, ſicut ipſemet, licet nihil operetur niſi ad gloriam ſuam, per leges non quærit utilitatem ſuam, ſed felicitatem hominum. Neque dicas, leges ſæpe ferri ex libidine regnantis, & in bonum privatorum, ut patet in præcepto pœnitentiæ, privilegiis, & legibus tributorum; imo non raro legem, quæ uni regno eſt utilis, nocere alteri, aut in nocumentum privatorum cedere, ut in præſcriptionibus, & legibus pœnalibus. Nam in primis de ratione legis non tam eſt intentio legislatoris, quam inten-

intentio operis; sufficit enim, si opus ad bonum commune sit referibile, privata autem intentio legem ferentis non obstat, sicut sententiæ justæ non obstat prava intentio judicis.

9 Dein bonum singulorum, quando non excludit commune, sed potius in singulis reperitur, comprehenditur sub communi, neque illud solum commune dicitur, quod sub nullius privati dominio constitutum ad solius communitatis usum immediate ordinatur, sed etiam bona privatorum, quatenus in illa Respublica habet dominium altum, & communitatis maxime interest, ut etiam privati tanquam partes sint bene constituti, Principes necessariis ad statum suum, & defensionem patriæ subsidiis instructi, pupilli & viduæ defensi, bene meriti privilegiis, & præmiis affecti, unde qualiscunque sit materia proxima circa quam lex versatur, ratio tamen & finis ultimatus legis semper erit bonum commune. Denique cum bonum publicum præferendum sit privato, leges non attendunt particularia, sed merito ob utilitatem Reipublicæ quandoque damnum aliquod privatorum permittunt, vel etiam intendunt. Cavendum tamen ne sub falsa tantum specie boni communis damna privatorum procurentur, aut tot sint incommoda particularia, ut aliorum commodis præponderent. Quod si plura regna vel civitates per accidens tantum eidem subdantur non componendo inter se unum corpus politicum, injustum foret iisdem legibus omnes onerare, si cui prodessent, alteri nocerent; quia tunc non comparantur ut commune & particulare, sed ut duo bona communia diversa.

10 Proprietas quinta est, quod lex debeat ferri cum efficaci voluntate subditos obligandi, & rem præceptam constituendi in materia necessaria virtutis; hic enim est effectus proximus & immediatus legis illam distinguens a consilio, quod dari potest æqualibus & superioribus, quin per se ullam obli-

gatio-

gationem inducat. Hinc quando S. Thomas 1. 2. q. 108 a. 4 etiam consilia Evangelica inter leges numerat, id solum facit propter aliquam similitudinem, in quantum etiam consilia dirigunt & docent quid fieri oporteat. Lex autem proprie dicta, cum necessario præceptum contineat, solum potest dari subditis & inferioribus, qui ideo contrahunt obligationem moralem, seu vinculum & necessitatem moralem ad aliquid faciendum vel omittendum.

Unde inferes 1. Licet legislatori liberum sit 11
condere leges vel non condere, aut etiam jam conditas moderari, vel abrogare, nequit tamen tollere obligationem legis, quamdiu lex perseverat. 2. Privilegia eatenus solum rationem legis habent, quatenus cedunt in bonum commune, & alios prohibent, ne privilegio suo utentem turbent. 3. Leges pœnales, quando non obligant ad actum immediatum, ratione cujus pœna imponitur, obligant judicem ad imponendam, vel subditum ad sustinendam pœnam saltem minus proprie dictam. 4. Lex fundata in præsumptione falsa & particulari de aliquo facto, vel delicto, solum est lex præsumpta, & non nisi præsumptive obligat. Aliud est, si fundatur in præsumptione universali vel de aliquo periculo, vel de communiter in illo contingente, tum enim pergit obligare, licet in casu particulari periculum cesset. 5. Permissio duplex est, alia facti, vel pure talis, quæ in mera negatione prohibitionis consistit, alia juris, & positive talis. Prior ad rationem legis non pertinet. Posterior fundatur in præcepto positivo, quo judex tenetur admittere exceptionem permissionis, alii vero obligantur, ne usum hujus permissionis impediant.

Proprietas sexta est, ut lex sit perpetua, seu 12
stabilis: fertur quippe ex potestate publica pro tota communitate, quæ nunquam interit, ut illi etiam in futurum prospiciatur, & nisi stabiliter leges durarent, sequeretur quotidiana mutatio cum magno de-

 trimento

trimento Reipublicæ. Hinc auctores communissime inter præceptum & legem etiam hanc differentiam statuunt, quod præceptum & mandatum adhæreat ipsis personis, ac cum morte mandantis vel præcipientis exspiret; lex autem afficiat territorium, mortuo Legislatore duret, & non solum subditos præsentes, sed etiam posteros obligare pergat, uti colligunt ex cap. *Irrefragabili* 13 §. *cæterum.* de offic. judic. ordin. & leg. mandatum. 15 Cod. Mandati.

13 Triplex igitur perpetuitas in lege considerari potest. Prima ex parte legem ferentis, qui stabiliter obligare intendit: altera ex parte subditorum, qui noviter accedentes vel nati similiter obligantur: tertia ex parte ipsius legis, quæ ex ipsa vi institutionis & originis suæ debet esse stabilis, vel positive quando verba expresse indicant, ut sit perpetua, aut saltem ad longum tempus durans, vel saltem negative, quando lex fertur indefinite; tunc enim hoc ipso censetur pro omni tempore lata, donec iterum revocetur, vel abrogetur. Hinc quia regulæ cancellariæ morte Pontificis exspirant, tantum sunt leges secundum quid, licet quoad ea, quæ generaliter statuunt e. g. de resignationibus, & reservationibus beneficiorum, ex speciali dispositione Pontificum vim legis habeant.

14 Plures adhuc conditiones legis enumerat Isidorus dist. 4 can. 2; uti 1. Quod debeat esse secundum naturam, id est secundum naturalem, & rectam rationem. 2. Quod debeat esse conveniens loco & tempori. 3. Secundum patriæ consuetudinem. 4. Utilis. 5. Necessaria, ne si ob leves tantum causas feratur, nimium multiplicentur leges. 6. Quod debeat esse manifesta, & nihil per obscuritatem in captionem continere. Verum omnes istæ conditiones facile reduci possunt ad sex priores a nobis allatas, juxta quas lex proprie talis describi potest, quod sit ordinatio rationis, perpetua, ad bonum publicum, ab eo,

qui

qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi ſubditos promulgata, id eſt enuntiata & legitime intimata; cum enim lex incognita neminem obligare poſſit, regula communis debet communitati innoteſcere, quod fit per promulgationem. Porro in data deſcriptione verba: ordinatio rationis, genus conſtituunt: per reliqua lex a pura permiſſione, conſilio, mandato & præcepto diſtinguitur, ut ex dictis facile quilibet poteſt colligere.

Dividitur lex 1 in æternam & temporalem. Per 15
æternam intelligunt ipſam providentiam & ſummam rationem ab æterno in Deo exiſtentem, ſecundum quam cuncta regit, & gubernat. Temporalis eſt, quæ primum in tempore & libere fertur. Dividitur 2 in naturalem & poſitivam. Naturalem aliqui cum lege æterna confundunt. Alii dicunt illam eſſe participationem legis æternæ in creatura rationali per lumen rationis. Lex autem poſitiva non eſt innata cum natura, ſed ultra legem naturalem aliquid ſuperaddit. Dividitur 3 in Divinam & humanam; illa immediate a Deo, hæc immediate ab homine procedit, licet mediate etiam ſit a Deo, quia *non eſt poteſtas niſi a Deo*, ad Rom. 13 v. 1, *per quem Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, Proverb. 8 v. 15. Dividitur 4 in eccleſiaſticam & civilem. Civilis eſt, quæ ad politicam gubernationem, temporalia jura tuenda, & rempublicam in pace & juſtitia conſervandam ordinatur, dum lex eccleſiaſtica non ſolum ad conſervationem ordinis politici in Eccleſia, ſed vel maxime ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis conſequendum dirigit. De his plura inferius dicemus. Illud hic noto, has leges frequenter maxime a Juriſtis vocari jus, quatenus videlicet jus dicitur a jubendo, lex autem in juſſione ſeu imperio poſita eſt. Unde communis diviſio juris in naturale, & poſitivum, in divinum, canonicum, & civile.

De actibus ad constituendam legem requisitis.

16 Lex tripliciter considerari potest, prout est in legislatore, in subdito, in signo. Lex ut est in signo, non tantum dicit actum, quo manifestatur, sed etiam terminum illius, quando hic est permanens. Sic lex est non tantum cum scribitur, sed ut in scriptura est, quando autem verbo datur, satis durat, quatenus in memoria hominum conservatur. Lex, ut est in subdito, dicit actum intellectus, per quem proxime applicatur voluntati, in quantum subditus obligationem legis cognoscit. Ad legem ut est in legislatore, varii actus concurrunt.

17 Tales actus sunt intentio boni communis, seu bene gubernandi. 2. Consultatio de hac vel illa lege, utrum communitati conveniat. 3 Judicium, quo definite judicatur, talem legem convenire. 4 Voluntas efficax, qua legislator vult a subditis observari, quod judicavit expedire. 5 Alius actus voluntatis, quo legislator subditis legem vult manifestare. Addunt aliqui 6 alium adhuc actum intellectus, quem vocant intimationem practicam, & imperium actuale, consistens in hac vel simili tendentia: *fac hoc.* Talem enim actum putant post electionem necessarium esse in omni operatione morali ad executionem, sed contra est, quia potentia exequens nec vim hujus imperii percipit, nec ad intellectum spectat potentiam ad operandum applicare, sed solum proponere objectum voluntati, quæ dein pro sua libertate potentias ad usum potest applicare, vel non applicare.

18 Sicut jam intentio boni communis, & consultatio de lege se tantum remote ad legem habent, sic extra dubium est, quin proxime ad eam concurrant tam intellectus, quam voluntas per reliquos tres actus enumeratos. An vero in uno solum, an in omnibus tribus essentia legis consistat, controvertunt auctores; sed lis est parvi momenti, & ferme de nomi-

nomine. Si tamen unicus actus assignari deberet, mallem legem constituere in actu voluntatis, quam intellectus, tum quia ferre legem est actus jurisdictionis & justitiæ legalis; justitia autem legalis est virtus voluntatis, & usus jurisdictionis similiter in voluntate consistit; tum quia lex est aliqua regula, & præceptum dirigens, movens, ac obligans subditos; dirigere autem, movere, & obligare voluntatis est. Hinc Psalm. 142 v. 9 legitur: *Doce me facere voluntatem tuam.* Et Psalm. 102 v. 7: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.*

Neque obstat, quod lex sit ordinatio rationis, 19
directio, & locutio; nam ordinatio hic non sumitur pro actu ab intellectu elicito, sed pro actu a ratione prævie directo; quamvis autem directio, quatenus est perceptio, & propositio mediorum, ad intellectum pertineat, si tamen accipiatur pro vi illa movendi & obligandi, quæ in lege est præcipua, ad voluntatem spectat, sicut etiam locutio, quæ præter positionem signi externi vel unice, vel principaliter consistit in actu voluntatis, quo legislator signum externum ordinat ad manifestandum subditis suam voluntatem & obligationem.

Porro præter voluntatem legislatoris requiritur 20
etiam promulgatio legis. Lex naturalis, sicut censetur esse vox ipsius naturæ seu DEI, ut est auctor naturæ, sic sufficienter promulgatur per hoc, quod illa singulis per lumen rationis innotescat; sic namque Deus jam loquitur ut persona publica, & legislator universalis. In legibus vero positivis ad obligationem in actu secundo requiritur quidem cujuslibet privata notitia, excepta lege irritante: attamen promulgatio proprie consistit in manifestatione publica, qua legislator vel per se, vel per alium voluntatem obligandi communitati proponit, ut observatum videmus tam in legibus Divinis, quam humanis: nam lex vetus magnis signis & prodigiis promul-

mulgata eſt, ut habetur Exodi 19 & 20. Lex nova poſt admirabilem, & publicum adventum Spiritus ſancti cœpit ab Apoſtolis publice prædicari, donec in omnem terram exivit ſonus eorum. De legibus humanis idem conſtat ex uſu, & quoad leges canonicas ſumitur ex cap. 1 de poſtul. prælat. & cap. 2 de conſtit. quoad civiles ex rubrica, & cap. 1 novell 66, ubi etiam ſtatuitur, quod leges, quæ feruntur pro toto imperio, vel pluribus provinciis Imperatori ſubjectis, primum obligent poſt duos menſes a promulgatione in ſingulis provinciis facta.

21 Ex his multi deducunt etiam ad obligationem canonum requiri, ut promulgentur in ſingulis diœceſibus, quia Jus Canonicum ſequitur leges civiles, ubi ipſum nihil clare diſponit, diſponunt autem leges. Sed alii probabilius judicant, hoc non eſſe neceſſarium, quia promulgatio in ſingulis diœceſibus non requiritur ex natura rei, nec Pontifex arctatur jure civili, & inſuper jam intendit obligare totam Eccleſiam, quando Romæ conſtitutionem ad omnes fideles pertinentem promulgat, uti factum eſt circa multas Conſtitutiones Pontificias, Bullam Cœnæ &c. & teſtatur ſtylus Curiæ Romanæ apud Suarez, Laym. Azor. unde juxta hos auctores leges eccleſiaſticæ univerſales in actu primo ſtatim obligant, quando poſt promulgationem Romanam moraliter populo innoteſcere potuerunt. In actu ſecundo autem obligant, quamprimum earum notitia ſufficiens ad aliquem pervenit; neque enim opus eſt ut lex ſingulis ſpecialiter intimetur. Fatendum nihilominus, multas conſtitutiones, & Bullas Pontificis Romæ promulgatas ob varias cauſas in Germania receptas non fuiſſe, vel per conſuetudinem contrariam iterum abrogatas.

22 Cæterum quamvis ex natura rei nihil videatur obſtare, quo minus ſuperior poſſit obligare ſubditos, modo voluntatem obligandi ipſis manifeſtet; hic tamen modus obligandi potius cenſetur eſſe præceptum,

ceptum, quam lex; hinc juxta communem promulgatio eſt de eſſentia legis; quippe per legem juxta communiſſimam cum S. Thoma 1. 2 q. 9 a. 4 intelligitur regula totius communitatis, & locutio, ac voluntas legislatoris publica, ac communitati promulgata. Conſentit can. *In iſtis* 3 diſtinct. 4, ubi dicitur: *Leges inſtituuntur, quando promulgantur.* Et recepta definitio, quod lex ab eo, qui curam communitatis habet, debeat eſſe promulgata. Quare etſi ante promulgationem alicui innoteſceret, quid princeps decreverit, illud decretum nondum haberet completam rationem legis, & vim obligandi, non tantum in actu ſecundo, & prout lex ſpectatur in ſubdito, ſed etiam in actu primo, & prout conſideratur in ſuperiore.

Specialis difficultas eſt circa legem naturalem, & 23
æternam: cum enim ab æterno nec fuerit nec eſſe potuerit ſubditus, nulla lex ab æterno potuit promulgari. Hinc aliqui cum Gregor. de Valentia, & Tannero dicunt, legem non eſſe ab æterno complete, nec dici æternam formaliter ſecundum omnia, id eſt ſecundum promulgationem, ſed materialiter, quatenus illud decretum, quod in tempore creaturis rationalibus promulgabitur, eſt æternum. Alii vero cum Salas contendunt ad eſſentiam legis æternæ ſufficere promulgationem cauſalem ſive virtualem conſiſtentem in decreto DEI, quo ab æterno ſtatuit ſuo tempore per ſignum externum, ſeu infuſionem luminis naturalis ſuam voluntatem obligandi formaliter promulgare; hanc vero promulgationem reſpectu legislatoris æterni ſufficere, quia ipſius decretum eſt immutabile, & ratione infinitæ efficacitatis ſuæ promulgationem formalem infallibiliter inferet. Res tota ſpectat ad modum loquendi; attamen poſterior, teſte Suarez lib. 2 de legib. c. 1 n. 5. eſt conformior uſui ſapientum & Sanctorum.

Quæres. An ad eſſentiam legis etiam requiratur 24
acceptatio populi? Reſp. 1. Extra ſtatum democraticum

ticum non requiritur consensus populi in legem constituendam. De lege Divina per se patet; potestas quoque ferendi leges ecclesiasticas ab ipso Christo immediate data est summo Pontifici, a quo derivatur in Episcopos; potestatem denique ferendi leges civiles populus absolute transtulit in Principem vel Proceres, alias darentur tot conlegislatores, quot subditi; quod pugnat cum statu monarchico, & aristocratico. 2. Ad obligationem legis a Principe vel Magistratu promulgatæ non requiritur voluntas populi legem recipiendi, alias potestas legislatoris esset enervis & parum utilis, nec plus posset, quam vellet populus. Hinc vel Ecclesia legem de continentia Sacerdotum ad Græcos nunquam extendit, vel primi transgressores peccarunt, ut patet ex propositione 28 damnata ab Alexandro VII: *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

25 Resp. 3. Requiritur tamen voluntas populi recipiendi legem, & ipsa legis observatio ad illius stabilitatem, & durationem, ut colligitur ex leg. 32 ff. de Legibus, ubi dicitur: *Cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sint.* Consonat can. 3 dist. 4. ibi: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur; sicut enim moribus utentium in contrarium non nullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium aliquæ leges confirmantur:* atque in hoc sensu verum est axioma: Lex non acceptata non obligat, quatenus videlicet non usus facere potest, ut lex nunquam obligare incipiat, sicut consuetudo potest tollere legem, ut obligare desinat.

DISPU-

DISPUTATIO I.

De lege naturali.

Cum jus naturæ nihil aliud ſit, quam complexum 26
ex illis præceptis ſeu principiis moralibus, quæ
Deus tamquam omnium auctor, & providus gu-
bernator, ut bonum a malo diſcernere diſcamus, ho-
minum mentibus inſcripſit, & quorum præcipua ca-
pita poſtmodum etiam Moyſes tabulis lapideis di-
gito DEI inſculpta accepit, nemini dubium eſſe po-
teſt, quin de hoc jure jam a pluribus ſæculis magno
ſtudio tractarint Doctores Catholici, quotquot in
Theologia ſcholaſtica vel morali in Jure vel Ethica
de legibus & regulis actuum humanorum ac præ-
ceptis Decalogi ſcripſerunt.

Poſterioribus temporibus auctores maxime Pro- 27
teſtantes ſcientiam juris naturalis peculiariter trade-
re, & a reliquis diſciplinis ſeparare cœperunt, cujus
ſeparationis ſe primum auctorem fuiſſe gloriatur
Puffendorfius. Doctrina hæc magnis plauſibus non
ſolum ab Acatholicis, ſed etiam a Catholicis accepta
eſt, ſed neſcio, an majori juris naturalis emolumen-
to, an damno? Dum enim novitatis amatores in
ejusmodi libros incaute involant, & quævis noviter
excogitata juris naturalis principia neglecto accu-
ratiore examine avidius hauriunt, non raro pro
melle venenum ſugunt, ideisque ſincero juri na-
turæ penitus adverſis animum imbuunt.

Duo præcipue in ejusmodi auctoribus jus naturæ 28
potius evertere, quam promovere deprehenduntur.
Primum eſt, quod multi ultimum & adæquatum prin-
cipium, ex quo omnia lege naturali præcepta vel
prohibita deducenda ſunt, ſolum in felicitate tempo-
rali e. g. in utilitate propria, vel ſocialitate humana
conſtituant, quaſi jus naturæ cum hac vita finiretur,
& non etiam in ſtatu puræ naturæ ultimus hominum
finis

finis fuisset Deus, per cognitionem abstractivam, & amorem beatificum post mortem possidendus.

29 Alterum est, quod ad investigandas juris naturæ leges solum lumen rationis adhibendum esse contendant exclusa omni auctoritate tum profana tum sacra, & revelationibus Divinis, ut videlicet quilibet secundum spiritum suum privatum sibi jus naturale fabricare valeat, nec quemquam legis interpretem suis cupiditatibus adversum, sive humanus, sive Divinus ille sit, revereri cogatur. Quod quam periculosum, quam genuinæ morum doctrinæ perniciosum sit, vel ex eo colligi potest, quia etiam ex Catholicis viri doctissimi simul ac piissimi, licet ad præcepta naturalia cognoscenda sacræ Scripturæ, & SS. Patrum auctoritate, ac juris utriusque scientia diligenter usi sint, non raro erraverint, ut patet ex multis propositionibus a Sede Apostolica damnatis.

30 His ad jus naturæ cognoscendum mediis cum destituti fuerint Gentiles, mirum non est, quod ad exiguam juris naturæ notitiam pervenerint, & a genuina hominis felicitate aberrantes etiam turpiter erraverint circa recti justique regulas. Peripatetici quidam cum Aristotele beatitudinem constituerunt in operationibus virtuosis; Stoici vero cum Seneca in bonis animi. Hinc isti inter alia docebant, cuivis in sua virtute gloriandum, passiones animi esse vitiosas, & omnia regi fato. Epicurei felicitatem omnino quærebant in bonis corporis & fortunæ, unde negarunt animæ immortalitatem, & ipsam Divinam providentiam.

31 Æque multis erroribus jus naturæ corruperunt auctores Protestantici, e. g. Puffendorfius, Thomasius, Fleischerus &c. qui præter alias hallucinationes ubique Protestantismum sub specioso palpo majoris utilitatis ad statum civilem obtrudunt. Imo aliqui, ut Conringius, & Hobbesius potius ad Machiavellismum, & Atheismum abducunt. Expertus hoc est Joannes Wilmot Comes Roffensis, qui Atheismum publice

publice professus, postmodum autem opitulante DEO saniora sapere doctus, ingenue fassus est, totius caecitatis suae originem fuisse spuria ejusmodi juris naturae principia. *Stulta*, inquiebat, *ista, & absurda Philosophia, qua hodie tam vehementer incantatus est mundus, praecipue, quomodo illam Hobbius, & quidam alii propagarunt, haec est, quae me perdidit, me magnumque numerum meliorum nationis ingeniorum.*

Ut istis malis medelam ferrent, paucis abhinc 32
annis allaborarunt scriptores quidam Catholici, uti P. Corbinianus Thomas in opere de jure naturae, P. Ignat. Schwarz in Institutionibus Juris universalis, naturae, & gentium, P. Anselmus Desing in Juris naturae larva detracta, & in Jure naturae liberato, & repurgato, P. Udalricus Huhndorf in Jure naturae expenso in suo principio cognoscendi, ac novissime P. Thaddaeus Werenko in opere de Jure naturae & gentium Dilingae edito, qui in doctissimis suis lucubrationibus, quas de hac materia ediderunt, periculosa Protestantium principia feliciter detexerunt, & solidis rationibus confixerunt, ex quibus etiam ego quantum temporis angustiae permittunt, aliqua delibabo.

QUÆSTIO I.

An detur lex Naturalis?

Legem naturalem negarunt Corneades Academicae 33
Philosophiae sectator, & Archelaus Anaxagorae discipulus cum aliis quibusdam ethnicis, quibus nihilo meliores sunt Benedictus Spinosa, & Thomas Hobbesius, quorum primus jus naturale in cujuslibet cupiditate, & potentia reponit, justitiam autem & charitatem meris hominum conventionibus, & imperantium decretis adscribit. Posterior licet in suo Tractatu de Jure, alteroque Leviathan (de summa potestate) jus quoddam commune admittat, dciit

tamen illud esse omnium in omnia, & cui quilibet pro libitu se possit subtrahere. At vero dari legem universalem & necessariam ab ipso auctore naturæ impressam, qua omnia intrinsece inhonesta proprie & inviolabiliter prohibeantur, intrinseca vero honesta, & ad rectam constitutionem creaturæ rationalis necessaria præcipiantur, non solum est unanimis Catholicorum, sed etiam communissima reliquorum acatholicorum, & gentilium sententia, cum qua

34 Dicendum. Datur lex naturalis a providentissimo auctore naturæ necessario ab æterno constituta, & per lumen rationis promulgata. Probat auctoritate. 1. Apostolus ad Rom. 2 v. 15 ait: *gentes, quæ legem* (positivam divinam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis* (naturalis) *sunt, faciunt: ejusmodi legem* (positivam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis* (naturalis) *scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* 2. S. August. in lib. 2 confess. c. 4. ait: *Lex tua Domine scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* S. Hieron. in Epist. ad Algas. q. 8: *Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet notiones, & nullus est, qui hanc legem nesciat.* Similia habent reliqui Patres passim præsertim S. Ambros. lib. 3 de officiis. 3. Cicero lib. 2 de Legibus dicit: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia.* Seneca quoque epistol. 50 Lucilium suum his verbis docet: *Primi mortalium & ex iis geniti naturam incorrupte sequebantur, eamque habebant & ducem & legem.*

35 Probatur conclusio ratione 1 a priori. Deus tanquam auctor naturæ infinite bonus, sapiens, ac providus, seque ipsum infinite amans non potuit

crea-

creaturam rationalem aliter creare quam ad laudem & gloriam suam, ita ut solus Deus potuerit esse finis hominis ultimus, ac beatitudo, per cognitionem & amorem naturali statui proportionatum possidenda: ergo necessario debuit creaturæ rationali prohibere, quidquid perfectionibus divinis, finique creaturis præfixo est contrarium, & vicissim præcipere, quidquid ad hunc finem consequendum necessario requiritur: ergo quia nihil temporale datur in Deo, ab æterno debuit constituere legem, eamque in tempore promulgare, ut sic ex ipso opere perfectiones auctoris resplendeant, & homo se recte habeat ad Deum; siquidem perfectio cujuslibet operis consistit in eo, ut ad finem intentum sit bene constitutum; si vero in hoc deficiat, imperfectio operis in ipsum auctorem redundat.

Probatur 2 ratione a posteriori. Est universalis 36
persuasio hominum, virtutem laude ac præmio, vitia vero pœna ac vituperio digna esse; hinc prima illa synteresеos principia, cuique innata & lumine naturæ nota: bonum est faciendum; malum fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Deus est colendus, parentes honorandi &c. adeo, ut etiam sceleratissimi de occultis criminibus remorsum conscientiæ sentiant, & quamvis superiorem in terris judicem non cognoscant, nihilominus sibi timeant; atqui horum nulla esset ratio, si homo nulla justi rectique lege naturaliter adstringeretur, sed juxta cupiditates suas pro libitu ac impune vivere posset: ergo.

Objectiones.

Obj. 1. Ab æterno nemo dabatur, cui Deus 37
imperaret, nec gubernatio, nec dominium, nec jurisdictio: ergo neque ab æterno dabatur aliqua lex. Conf. Promulgatio est de ratione legis; sed ab æterno non potuit esse promulgatio: ergo neque lex.

Resp. conc. ant. neg. conf. Lex est actus immanens, consistens in voluntate obligandi subditum, quæ voluntas ab æterno in Deo existit. Actus autem dominandi, gubernandi sunt actus transeuntes, & ipsum dominium, & jurisdictio juxta communem acceptionem dicit relationem ad rem actu existentem; unde mirum non est, quod ante existentiam creaturæ dari non potuerint. Ad conf. dist. maj. promulgatio causalis est de ratione legis, conc. maj. formalis, subdist. de ratione legis positivæ, conc. maj. de ratione legis naturalis, neg. min. & sic dist. min. neg. conf. vide n. 22.

38 Ob. 2. Lex importat ordinem ad finem, utque sit naturalis, debet esse in homine; sed nihil æternum potest ordinari ad finem, aut esse in homine: ergo. Conf. Jus naturale potest per peccata iterum deleri; nam ut glossa in illud: *Gentes, quæ legem non habent* &c. ait: *In interiore homine per gratiam innovato, lex naturæ inscribitur*: ergo. Resp. dist. maj. quoad 1 memb. Lex dicit ordinem ad finem active, conc. maj. passive, subd. Lex creata, conc. maj. increata, neg. maj. Alterum membrum pariter dist. Lex naturalis debet esse in homine per cognitionem tanquam promulgationem & applicationem formalem, conc. ant. per ipsam essentiam suam, neg. ant. In gubernatore creato, qui habet finem extra se positum, nempe vel bonum Reipublicæ, vel æternam subditorum felicitatem, lex utique ad hunc finem ab ipso debet ordinari. At cum finis Divinæ gubernationis sit ipse Deus, neque lex ista a Deo distinguatur, lex æterna non debet ulterius ordinari, sed tantum ordinare creaturas ad se ipsam. Dicitur autem ista lex naturalis, tum quia procedit a Deo ut auctore naturæ, tum quia per ipsum lumen naturale hominibus insitum promulgatur. Ad conf. neg. ant. licet cognitio legis naturalis propter pravas consuetudines & habitus corruptos non raro obumbretur, nequit tamen lex naturalis omnino in corde deleri;

maxi-

maxime quoad principia universalia ſyntereſeos; alias homo ceſſaret eſſe animal rationale.

Obj. 3. Voluntas DEI in omnibus, quæ ſunt ad extra, eſt libera: ergo legem naturalem non conſtituit neceſſario. Conf. Quia alias ipſe Deus ad hanc legem ferendam eſſet obligatus. Reſp. diſt. ant. Voluntas DEI ad extra eſt libera abſolute, & antecedenter ad omnem ſuppoſitionem, conc. ant. conſequenter & facta aliqua ſuppoſitione, neg. ant. & conſ. Sicut Deus, licet abſolute liber ſit in promittendo, ſuppoſito tamen, quod promiſerit, neceſſitatur a ſua fidelitate, ut promiſſum impleat; ſic ſuppoſito, quod creaturam rationalem libere velit producere, neceſſitatur ad imponendam legem naturalem ab infinita ſua bonitate, ſapientia, providentia, & immutabilitate. Legis autem proprie talis Deus capax non eſt, cum ſit ſupremus omnium Dominus, nec habeat ſuperiorem, a quo obligetur. Hinc ad conf. neg. ſequelam; equidem divina ſapientia, ejusque ordinatio juxta modum noſtrum concipiendi ſunt ratio juſtiſſima voluntatis ipſius, & ante decretum liberum neceſſario præcedit dictamen practicum de decentia rei decernendæ; ſed hæc omnia non habent vim legis reſpectu Divinæ voluntatis, ſed tantum proponunt objectum creaturæ præcipiendum, ejusque connexionem cum fine ultimo. 39

Dices. Deus pro libitu ſuo poteſt concurrere, vel non concurrere ad actum bonum, aut peccaminoſum: ergo eſt liber ad hunc prohibendum, & illum præcipiendum. Confirm. Lex naturalis obligat etiam ad ſervanda præcepta humana, & ſupernaturalia, e. g. ad ſuſcipiendum baptismum, eliciendam fidem ſupernaturalem &c. hæc autem non ſunt neceſſaria: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Valde diverſa ſunt, actum aliquem libere poſſe impedire, & illum libere poſſe prohibere, vel præcipere; hoc ipſo enim quod Deus ad actum aliquem nolit concurrere, actus creaturæ ſit impoſſibilis, & non am- 40

 plius

amplius eſt materia legis,neque præcepta affirmativa ſemper & pro omni tempore obligant. Ad conf. diſt. maj. Lex naturalis ad iſta obligat abſolute, & ſpectato ſolo ſtatu puræ naturæ, neg. maj. ex ſuppoſito, quod Deus hominibus poteſtatem ferendi leges libere conceſſerit, & naturam ad finem ſupernaturalem elevaverit,conc. maj. & ſic diſt. min.neg. conſ. Quamvis præcepta humana, & divina ſupernaturalia abſolute non ſint neceſſaria, tamen ex ſuppoſito, quod illa dentur, Deus ad eorum obſervationem neceſſario obligat, ipſo lumine rationis dictante, ſuperiori legitime imperanti parendum eſſe, & media ad finem ultimum neceſſaria debere adhiberi.

41 Obj. 4. Lex naturæ non eſt eadem apud omnes populos: ergo non eſt innata naturæ, & per lumen rationis promulgata. Ant. prob. Parthi honeſtiſſimam ſepulturam avium aut canum laniatus putavere: Derbices & Hyberni parentes & affines, qui ſuccubuere, comeſſe pietatis, maximæque honeſtatis putavere. Lacedæmonii ingenioſa furta puerorum tanquam laudabilia ſuſpexere. Apud Scythas ebrietas, apud Turcas fornicatio, apud Sinenſes mendacia tanquam naturæ conformia permittuntur. Conf. Juxta Gratianum diſt. 1 in princ. *Jus naturæ eſt, quod in lege & Evangelio continetur*; ſed neque legem veterem, neque Evangelium omnes cognoſcunt: ergo. Reſp. neg. ant. Exempla addita plus non probant, quam quod non omnia legis naturæ præcepta ab omnibus gentibus æqualiter cognoſcantur. Cujus potiſſima ratio eſt, quia cupiditatibus ſuis excæcatæ primam honeſti partem ponunt in utilitate, ac delectabilitate, adeoque honeſtum cum utili ac delectabili male confundunt. Interim etiam iſti populi jus aliquod naturæ agnoſcunt, & pro illis ipſis flagitiis, quæ licita & permiſſa dicunt, latebras quærunt, deprehenſi vero plurimum erubeſcunt. Ad conf. Verba Gratiani

non

non ita sunt accipienda, quasi omnis, quae in Scriptura sunt, etiam sint de jure naturae, sed quod lex naturalis etiam in Lege, & Evangelio contineatur, nam statim additur : *Quo quisque jubetur aliis facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur aliis inferre, quod sibi nolit fieri.*

Dices 1. Viri etiam piissimi ac doctissimi saepe 42
disputant de lege naturae, & tradunt sententias contrarias e.g. S. Antoninus docet post commissum grave peccatum dari obligationem statim poenitendi, S. Thomas negat. Schola Thomistica defendit innocentem legitime convictum posse condemnari ad mortem, Scotistica est contraria: ergo jus naturae neque a doctissimis cognoscitur. Resp. conc. ant. dist. cons. Non cognoscitur certo, & quoad illas conclusiones, quae ex primis principiis tantum remote & mediate deducuntur, conc. cons. quoad principia universalia, & conclusiones ex illis aperte fluentes, neg. cons. Prima ac universalia naturae principia e. g. malum est fugiendum, nemini facienda est injuria &c. lumen rationis cuilibet homini dictat, idem est de hac conclusione ex principio allato evidenter fluente : Illicitum est occidere hominem innocentem, & nec tibi nec alteri noxium. At circa ea, quae ex dictis principiis tantum remote & mediate deduci debent, Deus non ita clare illustravit intellectum, sed tanquam auctor naturae se accomodavit conditioni ac imbecillitati hominum, & eos solum in actu secundo obligat, qui talium praeceptorum sufficientem habent notitiam.

Dices 2. Per legem naturalem non nunquam 43
obligamur ad inhonesta, ut si quis invincibiliter putat se debere mentiri ad salvandam vitam proximi, vel furari ad subveniendum gravi necessitati pauperis &c. ergo saltem non potest esse a Deo. Resp. dist. ant. Non nunquam obligamur ad inhonesta

materialiter talia, idque ſolum lege conſequente, ac ſuppoſito errore invincibili, conc. ant. ad inhoneſta formaliter, cognita ut talia, & per legem antecedentem, neg. conſ. Deus quidem per ſe & voluntate antecedente vult, ut homo omnia intrinſece mala vitet; ſi vero aliquis ex invincibili errore judicet illud, quod re ipſa malum eſt, hic & nunc ſibi eſſe præceptum & honeſtum, ſuppoſito hoc errore Deus lege conſequente ad id faciendum obligat, & ipſa natura dictat, ſupremo legislatori in omnibus illis obediendum, quæ ab eodem præcepta vel prohibita judicantur. Plura de hoc ad Tractatum de actibus humanis pertinent, ubi ex inſtituto quæritur, an detur ignorantia invincibilis juris naturæ, & hac ſuppoſita Lex DEI antecedens & conſequens.

QUÆSTIO II.

In quonam conſiſtat lex naturalis?

44 Circa hanc quæſtionem varias in opiniones abeunt auctores. Aliqui pro lege naturali ſtatuunt habitus primorum principiorum. Vasquez & Wolf. naturam rationalem. Suarez, Laym. Pirrh. & complures alii theologi, & juriſconſulti rectam rationem ſeu potius dictamina lumine naturæ indita. P.Schmier, Schmalzgruber &c. voluntatem divinam. Unde jam n. 15 adverti, quosdam legem æternam cum naturali confundere. Equidem definitio legis æternæ ibi tradita valde impropria eſt, in quantum divina providentia ſe etiam ad gubernandas creaturas inanimatas, & irrationales extendit, illisque proportionatas inclinationes & appetitus ad finem naturalem indidit; ſi tamen divina providentia ſpectetur, quatenus creaturas rationales, & liberas provida lege neceſſario gubernat, nihil obſtat, quo minus lex naturalis vocetur, quæ proin definiri poteſt, quod ſit ordinatio divinæ voluntatis neceſſaria circa actiones & omiſſiones creaturarum rationalium, quæ ad eo-

rum

rum finem naturalem neceſſariæ ſunt, vel eidem oppoſitæ.

Differt hæc lex 1 ab ideis Divinis; quia ideæ 45
ſunt actus intellectus, verſantes circa rerum productionem, & ſe habent ut principium operandi; lex vero verſatur circa gubernationem & ſe habet per modum præcepti. 2. A ſynteresi; nam hæc eſt habitus primorum & univerſalium principiorum moralium e. g. Bonum eſt amandum. Malum fugiendum. Lex autem eſt quidam actus divinus. Synteresis præciſe ad actum facilitat & inclinat, lex autem obligat. 3. A conſcientia, quæ definitur eſſe dictamen ſeu judicium rationis, quo cognoſcimus conformitatem vel difformitatem actus cum lege: adeoque legem potius ſupponit, & inſuper poteſt eſſe bona vel mala, recta vel erronea. 4. A natura humana, quæ potius eſt ſubjectum illud, quod obligatur, quam lex obligans. 5. A lege divina poſitiva; nam lex naturalis verſatur circa ea, quæ intrinſece bona & mala ſunt, eſt homini innata & datur neceſſario ex ſuppoſito, quod Deus creaturam rationalem voluerit producere; lex autem divina poſitiva homini extrinſecus advenit, & ordinat, quæ alioquin ratio naturalis non dictaret eſſe obſervanda, adeoque a Deo arbitrarie datur.

Dicendum. Lex naturalis conſiſtit in actu divi- 46
no, quo Deus neceſſario præcipit ea, quæ ad finem creaturæ rationalis ſunt neceſſaria, prohibetque huic fini intrinſece oppoſita. Probat. auctoritate. Pſalm. 118 v. 119 dicitur: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* In quæ verba S. Auguſtinus ita commentatur: *Si prævaricantes ſunt omnes peccatores terræ; nullum eſt utique ſine prævaricatione peccatum; nulla vero eſt prævaricatio ſine lege; nullum eſt igitur, niſi in lege peccatum.* Quod ipſum etiam docet Apoſtolus ad Roman. 4 v. 15. *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Jam ſic: juxta S. Scripturam, & S. Auguſtinum in tantum aliquis

peccat theologice, & a consecutione ultimi finis impeditur, ac retardatur, in quantum agit contra legem; hæc lex autem nihil aliud potest esse, quam voluntas DEI nobis sub omissione ultimi finis aliquid præcipientis, vel prohibentis; neque enim ab hoc fine aut lumen rationis, aut natura nos posset excludere, neque gravis contemptus aut aversionis ab ipso Deo, talisque offensæ reos constituere, quæ juxta communem Theologorum saltem secundum quid est infinita. Conf. Quando per principia synteresеos concipimus nobis aliquid esse prohibitum vel præceptum, naturam humanam tantum concipimus ut regulabilem, voluntatem autem DEI, ut regulativam. Hinc S. August. Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 16 rursus ait: *Nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.* Lib autem 22 contra Faustum cap. 27 peccatum definit: *Dictum, factum vel concupitum contra legem æternam DEI.*

47 Probat. conclusio ratione: Lex naturalis debet procedere a legitimo superiore, & habere vim obligandi: ergo non consistit in principiis synteresеos, neque in recta ratione, aut creatura rationali, sed in DEI voluntate. Conf. prob. Quia ex natura rei neque ratio, neque homo particularis, neque tota collectio hominum sive respectu singulorum sive omnium habet aliquam superioritatem moralem, sed hæc soli auctori naturæ competit; quæcunque autem superioritas inter homines datur, illa communicatur a Deo tanquam supremo Domino & legislatore, & non tam ad legem naturalem, quam positivam humanam pertinet. Conf. Lex naturalis inducit tantam obligationem, ut creaturæ rationali non liceat ab illa recedere impellentibus quibuscunque craturis perfectioribus & perfectioribus in infinitum, sed sola voluntas DEI, quæ est aliquid superius, excellentius, & æstimabilius omnibus rebus creatis tantam obligationem potest inducere; si enim hæc lex

lex non esset aliquid supremum & excellentissimum aliquando posset eidem aliquid creatum præponderare, adeoque in aliquo casu actio intrinsece inhonesta e. g. blasphemia, vel odium DEI fieri licita, quod implicat.

Objectiones.

Ob. 1 Auctoritas Scripturæ, quæ Psalm. 4 v. 2 48
hominibus iniquis sciscitantibus : *Quis ostendit nobis bona?* v. 7 respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* In eundem sensum Apostolus ad Rom. 2 v. 14 ait, quod *Gentes, quæ legem non habent, ipsæ sibi sint lex :* ergo lex naturalis consistit in creatura rationali qua tali, sive in dictamine rationis. Conf. Homo seipsum potest obligare per vota, pacta &c. ergo lex non debet necessario ferri a superiore. Resp. conc. ant. dist. conf. Lex naturalis prout est in signo vel subdito consistit in natura rationali vel potius dictamine rationis, conc. ant. prout est in legislatore, & in se continet vim obligandi, neg conf. dictamen rationis proponit quidem obligationem naturalem, sed dependenter a voluntate divina, cui soli vis obligandi proprie inest. Unde dictamen rationis ad summum potest dici lex, prout lex datur in signo vel subdito, nec plus vult S. Scriptura. Hinc Apostolus statim v. 15 addit: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ad conf. dist. ant. Homo potest se ipsum obligare, id est, ponere tales actus, ob quos lex naturalis illum obligat, conc. ant. potest ipse sibi proprie ferre legem, neg. ant. & conf. quod homo per vota, pacta &c. obligetur, provenit a lege naturali præcipiente, ut fides data servetur.

Dices 1. SS. Patres legem naturalem vocant con- 49
scientiam, ajuntque illam esse scriptam in cordibus nostris, nobis esse innatam, impressam &c. Sic S. Augustinus Lib. 14 de Trinit. cap. 15 ait; legem illam divi-

divinam transferri in cor hominis non migrando, sed tanquam imprimendo, ficut imago in annulo in ceram tranfiit, & annulum non reliquit. Conf. S. Thomas hic dift. 33 a. 1 expreffe docet, quod *naturalis conceptio omni homini indita, qua dirigitur ad operandum, convenienter lex naturalis, feu jus naturæ dicatur.* Et 1, 2 q. 91 art. 8 concludit: *Unde patet, quod lex nihil aliud fit, quam participatio legis æternæ in rationali creatura*: ergo. Refp. quando Patres legem naturalem nonnunquam vocant confcientiam, legem accipiunt pro aliquo illam confequente: dum vero eandem dicunt cordibus noftris infcriptam, impreffam &c. loquuntur in fenfu caufali. Quid porro S. Auguftinus fenferit, & quomodo confcientia a lege naturali differat, fatis patet ex dictis. Ad conf. S. Thomas in utroque loco expreffe loquitur de lege, prout eft in fubdito, & diftinct. 33 comparat legem naturalem cum facto, quod in fcriptis legitur. Sicut igitur factum in fcriptis tantum exiftit objective, quatenus à vocibus fignificatur, fic etiam lex naturalis in confcientia five dictamine tantum exiftit objective, quatenus ab illo repræfentatur.

50 Obj. 2. Natura rationalis eft fundamentum, & menfura honeftatis naturalis; quæ enim naturæ rationali conveniunt honefta, quæ difconveniunt inhonefta cenfentur: ergo lex proprie confiftit in natura rationali. Conf. Per dictamen rationis homines ad honeftatem diriguntur, & qui contra dictamen rationis agunt, peccant: ergo. Refp. dift. ant. Natura rationalis eft fundamentum, & menfura qualifcunque, conc. ant. menfura obligans, neg. ant. & conf. Etiam beatitudo eft fundamentum aliquod actuum honeftorum, & indigentia pauperis fundamentum legis faciendi eleemofynam, felicitas Reipublicæ eft menfura legum humanarum, & natura divina actuum divinorum, quin ideo rationem legis

gis in se contineant. Ad conf. transf. ant. quoad primum membrum, dist. quoad secundum. Peccant præcise, quia agunt contra tale dictamen, neg. ant. quia simul agunt contra legem per dictamen propositam, conc. ant. & neg. conf. Etiam per cognitionem legis humanæ homines ad honestatem diriguntur, & si contra agunt, peccant; quis autem ex hoc infert, quod lex humana in tali cognitione consistat.

Dices 1. Multa jam antecedenter ad voluntatem 51
DEI præcipientis vel prohibentis sunt honesta, ut cultus DEI, pietas erga parentes &c. vel inhonesta, ut odium DEI, blasphemia &c. ergo ipsa natura ad ista obligat. Conf. Juxta commune Theologorum axioma aliqua sunt prohibita, quia mala & inhonesta, alia vero sunt mala & inhonesta, quia prohibita: ergo. Resp. dist. ant. Multa jam antecedenter ad voluntatem DEI sunt honesta vel inhonesta radicaliter, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conf. Formalis & theologica honestas vel inhonestas actuum consistit in eorum conformitate vel difformitate cum lege, adeoque necessario supponit existentiam legis. Honestas vero & inhonestas radicalis, ob quam ejusmodi actus exigunt præcipi vel prohiberi, consistit in illorum conformitate vel difformitate cum recta constitutione humanæ Reipublicæ, vel cujusque creaturæ particularis ad suum finem vel potius cum ipsis perfectionibus divinis tanquam ultimato fundamento, & ratione legis a priori. Ad conf. potest iterum adhiberi data distinctio. Imo axioma theologicum juxta S. Thomam 1. 2. q. 71 a. 6 ad 4 tantum intelligendum est de prohibitis jure positivo, in quantum ab illo prohibentur aliqua, quæ jam antecedenter sunt prohibita a jure naturali, alia vero prohibentur, quæ antecedenter a jure naturali nondum prohibita, & mala erant, adeoque non obstante hoc axiomate verum manet, quod omnia sint formaliter mala,

mala, quia prohibita nempe vel jure positivo vel naturali.

52 Dices 2. Quando Deus per legem necessariam aliqua prohibet, pro motivo suæ prohibitionis habet eorundem malitiam moralem e. g. quando prohibet mendacium vel furtum, ad id movetur per malitiam intrinsecam mendacii vel furti: ergo Deus in illis jam antecedenter supponit malitiam formalem, quæ in alio consistere non potest quam in dedecentia & disconvenientia cum natura rationali. Conf. Quando Deus per legem naturalem aliqua prohibet, ideo hoc facit, quia est decens & honestum: ergo omnes leges naturales ultimato resolvuntur in decentiam naturæ rationalis. Resp. dist. ant. Habet pro motivo eorumdem malitiam moralem formaliter talem & theologicam, neg. ant. radicaliter talem, & philosophicam, subdist. pro motivo qualicunque, omitt. ant. pro ultimato, neg. ant. & conf. Quando Deus intrinsece mala prohibet, pro ultimato motivo habet suam propriam bonitatem & perfectionem, in quantum hæc malis illis opponitur & repugnat: ita furtum prohibet titulo boni gubernatoris, odium sui & blasphemiam titulo supremæ excellentiæ summi & infiniti boni. Ad conf. dist. ant. Ideo prohibet, quia est decens, ita ut hæc decentia sit ratio tantum mediata & a posteriori, omitt. ant. ratio a priori & ultimata, neg. ant. Cur Deus intrinsece mala prohibeat, juxta dicta, ratio a priori & ultimata est infinita perfectio DEI, & hæc ipsa est ratio, quare nos debeamus legibus divinis conformare.

53 Obj. 3. Etsi per impossibile non existeret Deus, tamen adhuc honestum esset honorare parentes, succurrere miseris &c. e contrario inhonestum mentiri, furari &c. sed hæc honestas & inhonestas non posset consistere in conformitate vel difformitate cum voluntate DEI. Conf. Hæc & similia dictamina ratio-

rationis: Honeſtum eſt honorare parentes, inhoneſtum furari &c. ſunt neceſſario vera, & eorum objectum neceſſario eſt bonum vel malum: ergo ejusmodi dictamina non procedunt a Deo ut præcipiente vel prohibente, ſed tantum indicant, quid in ſe bonum, vel malum ſit, quin hæc malitia vel bonitas a voluntate DEI dependeat. Reſp. diſt. maj. Eſſet honeſtum honorare parentes, & inhoneſtum mentiri honeſtate vel inhoneſtate morali theologica & ſtricte tali, neg. maj. phyſica vel morali late tali, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Honeſtas, ac inhoneſtas moralis theologica, & ſtricte talis dicit relationem ad poteſtatem obligantem, cui neceſſario eſt parendum, adeoque in caſu illo chimærico non amplius poſſet dari. Haberent tamen actus illi adhuc aliquam honeſtatem, vel inhoneſtatem phyſicam, qualis e. g. daretur, ſi puer indueret prægrandes calceos. Ad conſ. tranſ. ant. neg. conſ. Vel enim ſermo eſt de dictamine repræſentante tantum malitiam radicalem? & hanc ultro admittimus objective dari antecedenter ad voluntatem DEI, vel de dictamine repræſentante malitiam formalem? & negatur ſuppoſitum, quod malitia formalis theologice accepta poſſit ſine reſpectu ad legem repræſentari, adeoque tam ipſum dictamen, quam malitia vel bonitas formalis objecti ſemper a Deo non tantum ut auctore naturæ, ſed etiam ut præcipiente vel prohibente dependet.

Dices 1. Poteſt contingere, ut aliquis gentilis, 54
imo forte etiam Chriſtianus ponat aliquem actum, quem advertit graviter eſſe diſſentaneum naturæ rationali, ſimul tamen inculpabiliter ignoret Deum, vel ſaltem de eo citra ſuam culpam non cogitet; atqui talis actus eſſet graviter peccaminoſus, & tamen malitiam ſuam non haberet per difformitatem cum lege æterna DEI; quippe iſta ponitur inculpabiliter ignorari. Reſp. neg. maj. Quando homo advertit

aliquem

aliquem actum graviter esse dissentaneum naturæ rationali, non tantum cognoscit qualemcunque inhonestatem, qualis e. g. esset, si quis cogeretur nudus adstare coram aliis, sed cognoscit inhonestatem culpabilem, & in omnibus prorsus circumstantiis prohibitam, etiam in occulto & apud illos, qui nulli potestati creatæ subsunt, ita ut talis actus nullatenus sit faciendus, quibuscunque demum impellentibus, eo quod sit contra finem naturæ ab altiore quodam ente illi propositum: ergo hoc ipso Deum ejusque legem æternam aliquo modo cognoscit implicite, & confuse sub conceptu alicujus principii, & supremæ potestatis, esto quod explicite, & oretenus ipsum Deum neget.

55 Dices 2. Potest Deus ab homine saltem aliquo tempore ignorari: ergo potest graviter peccare contra rectam rationem, quin agat contra legem DEI. Confirm. Quamvis Deus ut auctor naturæ connaturaliter debeat intrinsece inhonesta prohibere, posset tamen ut absolutus dominus saltem in aliquo casu tale malum permittere, quin illud prohibeat: ergo. Resp. dist. ant. Potest Deus ab homine aliquo tempore ignorari absolute, transf. ant. dum homo actu peccat, neg. ant. & conf. Nam actus tunc solum in sensu stricto est contra naturam rationalem, & peccaminosus, quando repugnat fini creaturæ rationalis, & rectæ habitudini ad Deum. Ad confirm. neg. ant. Sicut Deus non potest negare se ipsum, vel esse infidelis, sic non potest deesse infinitæ suæ bonitati, & providentiæ, sed necessario debet odisse & vetare illa, quæ intrinsece mala sunt, & fini a se intento, ac perfectionibus divinis repugnant. Aliud est, quod Deus possit permittere invincibilem ignorantiam suæ prohibitionis, saltem in aliquibus; sed tunc invincibiliter legem ignorans, formaliter non peccaret, ut advertimus num. 42.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

In quonam consistat ultimum, ac intrinsecum principium totius legis naturalis?

Postquam quæstione præcedente probavimus prin- 56
cipium juris naturæ constitutivum, seu ut alii vocant, principium essendi consistere in ipsa voluntate DEI, ulterius inquirendum est ejus principium cognoscendi, per quod nihil aliud intelligitur, quam ultimatum, & intrinsecum illud fundamentum, & veluti radix, ex qua per necessariam consequentiam lex naturalis in ordine ad singula objecta deduci valeat. Quamvis enim lex naturæ sit scripta in cordibus nostris, & quoad generalia synteresеos principia omnibus nota, sæpe operoso discursu opus est, ut in materia particulari cognoscatur, an hoc vel illud jure naturæ sit præceptum vel prohibitum. Imo P. Desing in Juris Naturæ larva detracta cap. 5 multis contendit, hoc principium nec posse nec debere esse unicum, tum quia illud solum a doctis, & multo cum labore posset inveniri, cum tamen jus naturæ pro omnibus latum sit; tum quia jus naturæ est practicum, cujus proin nihil interest inani speculatione in ultimum, & unicum ejus fundamentum inquirere, sed sicut per varios effectus ad cognitionem DEI perducimur, sic etiam per varia principia nos deduci oportere ad cognitionem ejus imperii, & voluntatis. Verum quia his non obstantibus controversia de unico principio cognoscendi jus naturæ magnis studiis agitatur, necessarium duxi saltem præcipuas de hac re sententias referre, ne doctis omnino in hac materia peregrini, sciolis vero etiam contemptibiles videamur.

Itaque aliqui cum Davide Mevio principium co- 57
gnoscendi juris naturæ constituunt in recta ratione; alii cum Samuele Coccejo in voluntate DEI. Alii apud Joann. Balthas. Wernherum in cultu divino.

Sed contra primum eſt, quod recta ratio potius ſit applicatio hujus principii, quam ipſum principium. Neque enim ratio objectis tribuit honeſtatem vel inhoneſtatem, ſed illam jam ſupponit intrinſecam. Neque recta ratio univerſaliter ſervit ad legem naturæ dignoſcendam; cum etiam ex Catholicis præſtantiſſimi circa jus naturæ erraverint, & hæretici omnes clamitent, ſe habere rectam rationem, licet unus alteri frequenter contradicat, & quilibet rectam rationem ſibi ſoli vendicare velit. Contra ſecundum eſt, quod tali modo tantum explicetur principium eſſendi juris naturalis, non item principium cognoſcendi, & ultimatum fundamentum, cur & quænam DEUS neceſſario præcipiat vel prohibeat, adeoque interroganti, quare Deus inter duos actus honeſtos e. g. eleemoſynam, & jejunium unum neceſſario præceperit, non vero alterum, aliud ultimato reſponderi non poſſet, quam quod Deus ſic voluerit. Contra tertium eſt, quod hoc ipſum ſit in quæſtione, cur hic aut ille actus ad cultum divinum aptus, alii vero inepti ſint. Hinc opinionis hujus patroni idem agere videntur ac ſi dicerent, actus omnes jure naturæ præceptos, aut prohibitos eſſe, quia ſunt apti vel inepti ad cultum divinum: ideo vero ad eundem aptos eſſe, aut ineptos, quia jure naturæ præcepti ſunt aut prohibiti. Adde, quod tali modo omnis actus bonus & honeſtus eſſet præceptus; nam quilibet eorum aptus eſt ad cultum ſive affectum animi & exiſtimationem de divina dignitate, & excellentia teſtificandum.

58 Lambertus Velthuyſen pro fundamento juris naturæ ponit conſervationem ſui. Petrus Gaſſendus utilitatem propriam. Ambas has opiniones in unam quaſi conflavit auctor quidam Lipſienſis anno 1746. Docet ille primam cogitationem & appetitum hominis eſſe de ſe ipſo, & ſui conſervatione. Ex hoc amore dein, & ſpe boni, metuque mali illum determinari

minari ad amorem proximi, Deumque colendum ac propitium conſervandum, adeoque ſolum & omne illud legibus naturæ conforme eſſe, quod ad propriam cujusque conſervationem & utilitatem veram conducit. Veram porro utilitatem in iis dari, quæ nobis ita expediunt, ut illorum uſus nemini moleſtus ſit, nec æquale, aut gravius damnum inde oriatur, uti ſanitas, libertas, aliorum benevolentia, æſtimatio, gratia, recreatio.

Contra eſt 1. Quia ſicut Deo tanquam auctori 59
noſtro & fini ultimo omnia debemus, ſic primarium noſtrum officium eſt erga Deum, adeoque jure naturæ principaliter illi actus præcepti, & prohibiti ſunt, qui Deum concernunt. Hinc in Scriptura primum ac maximum mandatum eſſe dicitur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. non tantum ob timorem vel utilitatem, ſed propter ſeipſum. 2. Si ad officia erga proximum tantum teneremur ex ſpe boni, & metu mali, ceſſantibus iſtis circumſtantiis ceſſaret obligatio amandi proximum, & in legem naturæ peccarent, qui contempta utilitate propria pro patria laborant vel moriuntur. 3. Honeſtas non ſolum ob propriam utilitatem, ſed propter ſe ipſam meretur appeti, uti cum Seneca lib. 4 de Benefic. cap. 18 agnoverunt gentiles; quin ipſa bruta non raro proprium commodum pietati, & gratitudini poſtpoſuerunt, ut ex innumeris exemplis poſſet demonſtrari. 4. Si propria utilitas eſſet primum ac ultimatum fundamentum legis naturalis, nihil eſſet contra legem naturæ, quod propriam utilitatem promovet; ſic autem via panderetur omnibus ſceleribus cum ſummo Reipublicæ & ſocietatis humanæ detrimento.

Hugo Grotius, Puffendorfius, Thomaſius &c. 60
docent ultimum principium juris naturæ eſſe ſocialitatem, eoquod homo utpote per ſe egenus, & ſine aliorum auxilio ſervari ineptus, ad commoda mutua

promovenda maxime idoneus sæpe tamen malitiosus, petulans, & facile irritabilis, fit animal sociabile, seu societatem appetens, adeoque ita erga alios gerere se debeat, ut ne ipsi ansam arripiant eum lædendi, sed potius rationem habeant ejus commoda promovendi. Ne vero putes hanc socialitatem indifferenter se habere ad societatem bonam & malam, addunt se per socialitatem intelligere ejusmodi dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace, & charitate, mutuaque adeo obligatione conjunctus intelligatur.

61 Contra est 1. Quia lex naturæ versatur circa triplex hominis officium, nempe erga Deum, se ipsum, & proximum juxta illud Scripturæ: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum.* At vero socialitas non est fundamentum aptum ad eruenda officia erga Deum, & seipsum, imo neque complectitur omnia erga proximum; quia juxta citatos auctores pro fine tantum habet felicitatem externam. 2. Tali modo nullum fuisset datum jus naturæ, nisi homines vel libere, vel ex DEI ordinatione in societatem coaluissent, quod absolute non fuit necessarium. Neque in jus naturæ peccarunt tot piissimi Anachoretæ, qui juxta exemplum Eliæ in solitudine Deo inservierunt. 3. Aliqua sunt jure naturæ prohibita, quæ bono socialitatis non officiunt, uti peccata solum interna, incestus in primo gradu ascendentium, qui viguit apud Persas &c. 4. Imo aliqua lege naturali prohibita potius viderentur esse utilia societati, e. g. repudiatio Reginæ sterilis, occisio Tyranni, vel judicis notorie injusti &c.

62 Christianus Wolfius sicut regulam actionum humanarum ponit in sola essentia & natura humana, sic convenientiam actionum humanarum cum eadem natura dicit esse principium juris naturæ, idque independenter a voluntate DEI, ita, ut etiam in hypothesi

thesi impossibili athei hoc principium procedat. Addit tamen postea legem naturalem etiam esse legem divinam, eo quod Deus sit auctor naturæ ; & ideo hominem teneri actiones suas ita ad sui perfectionem dirigere, ut per illas gloria DEI illustretur. Contra est 1. Quia jam quæst. præced. ostendimus naturam humanam secundum se, & independenter a divina voluntate spectatam non esse sufficientem regulam actionum humanarum: ergo convenientia actionum cum natura humana independenter a voluntate DEI non potest esse principium juris naturæ. 2. Juxta hoc principium omnia essent præcepta, quæ naturæ conveniunt humanæ, e. g. teneremur lege naturæ exercere omnes virtutes, colere agros, inire matrimonia &c. 3. Si istud principium etiam procedit in hypothesi athei, quomodo ex illo potest erui officium erga Deum ? quare homo tenetur actiones suas ita dirigere, ut per illas gloria DEI illustretur ? 4. Si ipse Deus est auctor legis naturæ, & lex naturalis etiam lex divina, quomodo homo obligatur independenter a voluntate divina ? Taceo falsas doctrinas particulares, quas hic auctor ex suo sistemate deducit e. g. quod homo teneatur curare perfectionem corporis, quod falsiloquium seu mendacium non pernitiosum non sit contra legem naturæ &c.

Plures auctores Catholici jus naturæ ultimato 63
fundarunt in recta constitutione, & felicitate naturæ rationalis, seu humanæ reipublicæ. Hinc principium illorum erat: Illud est præceptum vel prohibitum jure naturæ, quod ad felicem statum naturæ humanæ simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum. Illud autem simpliciter expedit esse præceptum vel prohibitum, in cujus præceptum vel prohibitionem, omnes homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab auctore naturæ requisiti, suffragium tulissent. Sed contra est 1. Quia ista principia, prout jacent, non denotant bonum sub-

ſtantiale naturæ rationali principaliter & primario proprium, nempe rectam conſtitutionem ad Deum, & noſtram beatitudinem, quæ etiam in ſtatu puræ naturæ non fuiſſet clauſa termino hujus vitæ, ſed plene primum in altera obtenta fuiſſet. 2. Homo ſe & omnia ſua debet conſecrare pro ſalute Reipublicæ: ſi igitur hujus obligationis fundamentum eſſet temporalis Reipublicæ ſalus, omnium forent infeliciſſimi, qui juris naturalis obſervantiſſimi. 3. Redit quæſtio, quare Deus neceſſario teneatur illa præcipere, vel prohibere, quæ ad felicem ſtatum naturæ humanæ expedit eſſe præcepta vel prohibita? Quid enim Deo tanquam abſoluto domino tam ineluctabilem neceſſitatem imponit? Profecto licet ſit auctor omnis naturæ corporeæ, tamen ejus exigentiis poteſt contraire, ignem ſpoliare calore, ſolem lumine, totum univerſum unico nutu deſtruere.

64 P. Ignatius Schwarz totum jus naturale ad amorem tanquam ultimatum principium reducit, ita ſtatuens: *Fac vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi & proximo naturaliter debito, id eſt ad felicitatem naturæ humanæ non ſolum in hac vita, ſed etiam in altera, neceſſario facienda vel omittenda ſunt.* Ad hæc enim præcepta amoris omnia reliqua poſſunt revocari, & in iis adæquate continetur triplex officium hominis erga Deum, ſe ipſum, & proximum, in cujus adimpletione ipſa felicitas, & finis hominis conſtitutus eſt. At contra eſt 1. Quia ex his necdum apparet, quare Deus neceſſario debeat homini omnia iſta officia præcipere & oppoſita prohibere, ut tali modo illum ad felicitatem promoveat. 2. Sicut triplex hic amor, ſic etiam felicitas cum ipſo identificata lege naturali nobis eſt præcepta. Quodnam igitur eſt principium horum præceptorum? Sane cum ſæpe valde difficile ſit inter amorem verum & ſpurium diſcernere, facile poſſet contingere, ut potius legi naturæ contraria concluderemus, niſi ad aliud

ſubli-

ſublimius principium ipſe amor examinaretur. Sic Joan. 16 v. 2 dicitur fore homines, qui etiam, cum interfecerint alios, arbitrentur obſequium ſe præſtare Deo. Sic ex amore proximi facile ſibi aliquis poſſet perſuadere, quod liceat furari ad ſubveniendum gravi alterius neceſſitati. Ex amore erga patriam, quod liceat auctoritate privata perimere ejus proditorem vel pro bono publico mentiri. Hinc pleni ſunt tum rationibus tum exemplis aſcetarum libri, ne nos ex amore proprio decipi ſinamus.

Denique Pater Corbinianus Thomas, Huhndorff, 65
Biner &c. ultimum juris naturæ principium ex ipſo Deo, & ejus infinitis perfectionibus petunt. Cum enim juxta num. 35. Deus tamquam auctor & gubernator providentiſſimus, ac perfectiſſimus creaturam rationalem non potuerit aliter condere, quam ad laudem, & gloriam ſuam per cognitionem, ac amorem beatificum ultimo conſequendam, ſola infinita perfectio, ſapientia, ſanctitas, & providentia potuit Deo neceſſitatem imponere, omnia illa prohibendi, quæ huic fini ſunt contraria, & præcipiendi, quæ ad illum ſunt neceſſaria. e. g. Quare Deus neceſſario præcipit amorem ſui, reverentiam, cultum, obedientiam, & reliqua officia Deo debita, illis autem adverſantia, uti odium DEI, blasphemiam, idololatriam &c. prohibet? quia videlicet alias non amplius ſapienter ac provide ad finem ſuum gubernaret Rempublicam humanam. Quare neceſſario præcipit mutuum inter homines amorem, pacem, & concordiam? furta vero, rapinas, & adulteria prohibet? niſi quia alias ſocietates humanæ non eſſent bene ad finem conditoris ſui comparatæ, nec perfectiones illius manifeſtarentur, ſed potius notam quamdam aut impotentiæ, aut imprudentiæ in illum refunderent. Cur homo neceſſario ordinatur ad temperantiam, ordinatum ſui amorem, æquabilem vitæ ac morum compoſitionem &c. Cur ipſi neceſ-

necessario interdicitur gula, intemperantia, acedia, suicidium, nisi quia quidquid in homine inordinatum est reperire, gloriæ providentissimi gubernatoris, ejusque sanctissimo fini repugnat? Ergo ipsæ perfectiones divinæ sunt ultimatum principium juris naturæ, ex quibus intrinseca bonitas vel malitia actuum ultimato mensurari debet.

66 Unde ultimatum principium juris naturæ ita formari potest: omnes illi actus sunt intrinsece boni vel mali, & a Deo necessario præcepti vel prohibiti, qui ad manifestandas divinas perfectiones sunt necessarii, vel huic fini intrinsece oppositi: cæteri vero etsi ad hunc finem melius consequendum etiam conducant, spectato solo jure naturæ neque præcepti neque prohibiti sunt. Quod autem reliquas sententias a nobis relatas attinet, quamvis, ut ab auctoribus suis traduntur, non subsistant, vel saltem principium ultimatum & adæquatum non assignent, servire tamen poterunt pro principio quodam immediato, ex quo in casu particulari lex naturæ colligi potest. Neque enim rejicio hos & similes modos argumentandi. 1. Hoc est contra felicitatem naturalem creaturæ rationalis, contra officium Deo, sibi, & proximo naturaliter debitum &c. ergo jure naturæ est prohibitum. 2. Hoc exigit bonum socialis vitæ, bonum reipublicæ, amor DEI &c. ergo est præceptum. 3. Quidquid simpliciter expedit esse licitum, præceptum vel prohibitum ad felicem humanæ naturæ statum, spectato jure naturæ est licitum, præceptum vel prohibitum. 4. Id omne simpliciter expedit licere, in cujus licentiam homines consensissent &c.

67 Dices 1. Assignando perfectiones divinas pro fundamento juris naturalis petitur principium, & fit circulus. Probatur. Ideo juxta nos aliqua essent de jure naturæ, & necessario præciperentur vel prohiberentur, quia sunt intrinsece honesta vel turpia; & ideo essent intrinsece honesta vel turpia; quia sunt de

jure

jure naturæ, & necessario præcipiuntur, vel prohibentur. item: ideo aliqua essent inhonesta; quia repugnant divinis perfectionibus; & ideo repugnant divinis perfectionibus, quia sunt inhonesta. Resp. neg. illatum. Ad primam probationem neg. secundum membrum; sed ideo sunt honesta vel turpia radicaliter, quia divinis perfectionibus & fini ab auctore naturæ intento repugnat illa non præcipere vel non prohibere. Ad secundam probationem iterum nego secundum membrum. Sed quia Deus infinite perfectus ex se ipso determinatus est, ut omnia illa præcipiat, quæ ad finem a se intentum sunt necessaria, oppositaque prohibeat. Adde, adeo cuique manifestum esse, quod a Deo tanquam regula recti & honesti omnia dependeant, ut ne quidem prudenter ulterius quæri possit. Sic si ex te quæram, cur e. g. paries sit distortus? bene respondebis, quia ad normam non conformatur. Si autem ulterius quærerem, quare ad normam non conformatur, quid aliud reponeres, quam quia a norma deflectit, quod reipsa nihil significat, quam quia est distortus.

Dices 2. Aliqua sunt prohibita jure naturæ, quin 68
alicui perfectioni divinæ opponantur, uti mendacium, & ingratitudo; nam Deus neque gratus, neque ingratus esse potest; infinita autem veracitas tantum determinat Deum, ut ipse mentiri nequeat: ergo. Conf. Sæpe difficile est determinare, an aliquis actus opponatur divinis perfectionibus, vel non. Resp. neg. ant. quod non probatur per exempla addita. Nam licet ingratitudo & mendacium nulli singulari perfectioni divinæ essent contraria, forent tamen contra sanctitatem, sapientiam ac providentiam divini gubernatoris, & si licerent tantum in aliquibus casibus, facile hæc licentia ad plures extenderetur cum gravi reipublicæ humanæ præjudicio. Dein sicut Deo propter infinitam excellentiam debetur cultus, ita propter infinitam beneficentiam, a qua omnia proveniunt, debetur gratitudo, cui ingratitudo semper op-

ponitur. Mendacium videtur ſingulariter opponi veracitati divinæ; ſicut enim hæc a Deo omne mendacium excludit, ſic etiam exigit, ut illud prohibeatur creaturis, quæ alias non amplius ſatis eſſent aptæ ad divinam veracitatem manifeſtandam, imo infinitam DEI veracitatem everſum irent. Si enim Deus homini poſſet licitum facere mendacium, cur non etiam ſibi? Ad conf. Fateor in caſibus particularibus ſæpe difficile eſſe, an aliquis actus ſit contra jus naturæ, vel non; ſed hæc difficultas in nulla ſententia eſt minor, & datur in applicatione cujuscunque alterius regulæ. Sunt tamen quædam alia adminicula, & veluti regulæ particulares, ex quibus iſta difficultas multum mitigatur.

69 Talia adminicula præter illa, quæ num. 66 indicavimus, ſunt 1 Sacræ Literæ & jus divinum poſitivum. Sicut enim veritas non poteſt eſſe contraria veritati, ſic jus naturale non poteſt repugnare juri divino. Hinc recte inquit Heineccius: *Cum idem ſit revelationis ac rectæ rationis auctor, non modo multa, quæ ratio dictat in ſacris literis reperiuntur, ſed & mira eſt utriusque juris conſonantia, neque quidquam Deus in ſacris pandectis vel præcepit vel prohibuit, quod juri per rectam rationem promulgato adverſetur.* Fatetur quoque ipſe Puffendorffius legem naturalem quam maxime eſſe illuſtratam per Scripturam, ſic ut vix ullum ſit caput juris naturalis, quod tactum non ſit. 2. Decreta Conciliorum, & ſummorum Pontificum, in quibus ſæpe jus naturæ declaratur. Sic ex decreto Alexand. VII didicimus eſſe contra jus naturæ interficere falſos teſtes, vel judicem, a quo certo & inevitabiliter iniqua imminet ſententia: ex decreto Innoc. XI, quod teneamur ex jure naturæ proximum diligere non ſolum actu externo, ſed interno etiam & formali.

70 His adde 3 Jus Canonicum; conſtat enim vel obiter corpus illius juris inſpicienti, per ſacros canones officia erga Deum, ſe ipſum, & proximum

non

non tantum declarari, ſed & valide confirmari, & ad perfectionem Evangelicam ſublimari. Hinc etiam Imperator in ſuis conſtitutionibus Novell. 83 cap. 1 Jus Canonicum *ſacrarum ac divinarum regularum* nomine compellat. 4. Jus civile Romanum; nam licet neminem extra ſtatum, ubi receptum non eſt, obliget, plurima tamen in ſe continet, quæ naturæ rationali univerſe adaptata noſcuntur. 5. Teſtimonium SS. Patrum, qui a Deo ad docendos populos ſpecialiter electi, & illuſtrati multo exactius cognoverunt, quæ hominibus in omni ſtatu licita vel illicita ſint. 6. Conſenſus non ſolum gentium præſertim moratiorum, ſed etiam Theologorum ac Juriſconſultorum; cum enim jus naturæ per ipſum lumen rationis promulgetur, illud optime ex conſenſu Doctorum colligitur, ut de Theologis noſtris fatetur ipſe Grotius in hæc verba ſcribens: *Ubi in re morum conſentiunt, vix eſt ut errent; quippe perſpicaces admodum ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt; in quo ipſo diverſa tuendi ſtudio laudabile præbent modeſtiæ exemplum rationibus inter ſe certantes, non, qui mos adeo nuper literas inquinare cœpit, convitiis, turpi fœtu impudentis animi.*

QUÆSTIO IV.

An Lex naturæ ſit immutabilis ?

Tribus modis contingit legem aliquam mutari: 71
abrogatione, quando lex vim obligandi amittit ex toto: derogatione, quando vim obligandi tantum amittit ex parte: diſpenſatione, quando a lege, quæ reſpectu cæterorum integra manet, ſolum aliqui eximuntur. Omnes hæ mutationes poſſunt eſſe vel proprie & formaliter tales, vel tantum improprie & materialiter tales. Mutatio proprie talis fit, quando obligatio legis tollitur, materia, circa quam lex verſatur, manente eadem. Impropria mutatio fit, quando non tam ipſius legis præſcriptum, quam materia

materia legis mutationem recipit. Quod circa jus naturale aliqui dicunt tunc fieri posse, si illius materia dependet a dominio & potestate DEI vel hominis, uti vita, & corpus hominis, conventiones, pacta, contractus, & res fortunæ. Quæ vero ita intrinsece mala sunt, ut per nullius dominium aut potestatem cohonestari possint, patet neque mutationi improprie tali subjacere.

72 Hinc multi ac graves auctores jus naturale dividunt in absolutum & conditionatum. Per absolutum intelligunt illud, quod præcipit aut prohibet ea, quæ semper & in omnibus circumstantiis sunt intrinsece bona vel mala, ut colere & amare Deum, ei præcipienti obedire &c. odisse Deum, pejerare, mentiri &c. Jus naturæ conditionatum tunc vocant, cum tantum obligat in certis circumstantiis, & sub certis conditionibus, eo quod pro sua potestate Deus vel homo talem obligationem, quæ alias esset juris naturalis, remittere, vel licentiam dare possit. Supposita hac divisione docent, jus naturale absolutum esse omnino immutabile & indispensabile. At vero jus conditionatum saltem improprie mutari, ac dispensari posse, imo jam sæpius in illo a Deo fuisse dispensatum. Ut quando Deus Abrahamo dedit potestatem occidendi filium, Israelitis spoliandi Ægyptios, & cum alienigenis exercendi usuras. Verum doctrina hæc, licet quoad substantiam salvari, & bonitatis, vel majoris claritatis causa non nunquam adhiberi possit, quoad modum loquendi multis displicet. Si enim proprie loqui velimus,

73 Neque jus naturale præceptivum, neque prohibitivum a Deo mutari aut dispensari potest, consequenter nullum datur jus naturæ conditionatum. Ratio est, quia lex naturalis tantum versatur circa ea, quæ intrinsece & essentialiter bona vel mala sunt; repugnat autem sanctitati, sapientiæ &c. Divinæ, ut unquam aliquid intrinsece malum faciat licitum, aut intrinsece bonum faciat illicitum. Neque obstat,

quod

quod Deus saltem in pluribus materiis possit facere, ut in aliquo actu non amplius detur ratio specifica intrinsece mali, dando videlicet licentiam in vitam innocentis, bona aliorum &c. per hoc enim materia legis naturalis non mutatur, neque, ut alii loquuntur, talis actus extrahitur e jure naturali; nam lex naturalis objectum suum tantum respicit sub illis determinatis circumstantiis, sub quibus est intrinsece bonum vel malum: ergo sicut ipsa semper eadem, & invariata manet, sic etiam ejus objectum semper manet idem. Id igitur solum verum est, quod aliquis actus e.g. homicidium in illis circumstantiis, in quibus Deus non dat potestatem in vitam alterius, sit intrinsece malus & lege naturali semper prohibitus, in circumstantiis vero, in quibus Deus dat potestatem in vitam alterius, nec sit nec unquam fuerit objectum legis naturalis prohibitivæ. Declaremus ista aliquot exemplis ex sacra scriptura petitis.

Quando Deus Abrahamo præcepit, ut filium suum immolaret, non dispensavit in lege prohibente 74 homicidium; nam lex tantum prohibet homicidium injustum; occidere autem filium ex præcepto DEI, qui supremus vitæ dominus est, nullam dicit injustitiam, sed præclarum obedientiæ exemplum. 2. Quando Israelitis dedit potestatem spoliandi Ægyptios, & ab alienigenis usuras mere lucratorias exigendi, simul ex supremo, quod in omnes res habet, dominio, rei proprietatem in Israelitas transtulit, sed ideo non immutavit jus naturæ, quod solum prohibet ablationem rei alienæ domino rationabiliter invito. 3. Quando in antiquo Testamento permisit polygamiam, simul viris dedit jus in plura corpora fœminarum, & pluribus fœminis in corpus unius viri, quale jus non concedit in novo Testamento; hinc licet nunc polygamia suo modo sit prohibita jure naturali, in antiquo Testamento non ita erat prohibita; quia lex naturalis tantum vetat accessum ad non su-

am

am, five traditionem juris, quod non datur. 4. Eodem proportionaliter modo difcurre de matrimonio in primo gradu confanguinitatis lineæ rectæ e.g. patris cum filia, quod femper jure naturali fuit prohibitum; quia Deus in hac providentia nunquam dedit patri jus in corpus filiæ, efto, quod illud abfolute in alia providentia dare potuiffet, fi neceffitas propagationis generis humani id poftulaffet.

75 Si ulterius dicant, quod Deus etiam Ifraelitis Deuter. 24 v. 1 conceflerit, ut matrimonium dato uxoribus libello repudii diffolverent. 2. Quod Ofeæ cap. 1 v. 2 mandaverit, ut fumat fibi uxorem fornicationum, & faceret fibi filios fornicationum. 3. Quod permiferit obftetricibus Ægyptiis, ut in gratiam Hebræorum mentirentur; imo illorum mendacium remuneraverit ædificando eis domos, Exod. 1. v. 19 & 20. Quod denique 4 Naaman Syro permiferit, ut adoret idolum illud adorante rege, 4 Reg. 5 v. 18. Refpondetur ad 1. Per libellum repudii matrimonium non fuiffe folutum quoad vinculum, fed tantum quoad thorum, vel certe dimiffionem quoad vinculum tantum fuiffe toleratam ob duritiem Judæorum, ut ipfe Chriftus Matth. 19 v. 8. indicat. Ad 2. Deus non præcepit prophetæ, ut fornicetur, fed ut fornicariam publicam in uxorem ducat, & ex ea generet filios legitimos; quibus tamen apud populum adhæfura erat macula matris, ut hunc locum exponit S. Hieron. in cap. 1 & 2 Ofeæ. Ad 3. In obftetricibus Ægyptiis duo confideranda funt, bona intentio & pietas, qua Hebræorum mafculis voluerunt prodeffe; & medium malum feu mendacium, quo hanc intentionem fuam funt exfecutæ. Primam Deus mercede temporali remuneratus eft, alterum vero reprobavit, ut explicat S. Aug. q. fuper Exod. Ad 4. Deus nunquam permifit Naamani, ut idolum adoraret, fed Elifæus illi ad fummum declaravit, quod procumbere, & genu flectere ante idolum, præcife ut regem idolum adorantem ex officio fuo fuftentaret, non fit idolum

ado-

adorare, adeoque licite fieri poſſet. Imo verba Eliſæi, *Vade in pace*, videntur tantum ſignificare permiſſionem & voluntatem pro Naamane orandi, ſi forte aliquando peccaret.

Ex his patet, in lege naturali præceptiva, & pro- 76
hibitiva multo minus diſpenſare poſſe Pontificem, aut alium quemcunque hominem; cum enim homo per legem naturalem neceſſario ſit ligatus ab ipſo Deo, nequit a poteſtate inferiore abſolvi, vel diſpenſari. Hinc 1. Quando Pontifex dicitur diſpenſare ſuper reſidentiam perſonalem paſtorum, quæ juxta Trident. ſeſs. 23 cap. 1 de reform. videtur eſſe juris naturalis; ſolum declarat in iſtis circumſtantiis jus naturale reſidentiam perſonalem non præcipere. 2. Quando idem Pontifex improprie diſpenſat in voto, juramento promiſſorio &c. non facit, ut ſtante voto vel juramento non detur obligatio naturalis, ſed tantum vi jurisdictionis, quam tanquam Vicarius Chriſti habet in voluntates hominum, quoad ſacra ſibi ſubjectas, reſcindit & retractat actum voluntatis, quo quis vovit aut juravit, ferme ſicut pater vi poteſtatis dominativæ irritat vota, & juramenta filii; quibus caſibus ipſum votum, vel juramentum ceſſat, ſicut quando ejus materia ſit impoſſibilis, vel non amplius eſt de bono meliori. 3. Eodem modo explicatur, quomodo a contrahentibus tollatur obligatio naturalis contractuum e. g. emptionis, venditionis; non enim ideo diſpenſant in jure naturali, ſed ſicut libere contractum iniere, ſic conſenſu mutuo illum iterum tollunt, quo facto obligatio naturalis per ſe ceſſat. 4. Pariter per ſe ceſſat obligatio ſatisfactionis pro injuria, vel debitum rei jurato tibi promiſſæ, ſi ſponte velis remittere; nam juramentum habet hanc imbibitam conditionem, niſi alter remittat; & lex naturalis tantum obligat ſatisfacere pro injuria non remiſſa.

Dixi: Jus naturale præceptivum, & prohibiti- 77
vum eſſe immutabile, & indiſpenſabile. Utrum enim detur lex naturalis ſolum permiſſiva, eaque mutari

poſſit,

poſſit, rurſus ad modum loquendi pertinet. Certe talis lex non eſſet neceſſaria, cum ſolum verſetur circa indifferentia, quæ de ſe nec bona, nec mala ſunt. Neque iſta Deus poſitive permittit quaſi dicendo : volo, ut hæc ſint permiſſa ; ſed tantum negative, quatenus circa illa nihil diſponit, ſed diſponenda poſitivis legibus relinquit. Unde 1 Deus neque poſitive præcipit communionem bonorum, aut libertatem, neque poſitive prohibet diviſionem bonorum, præſcriptionem, ſervitutes &c. Alias hoc ipſo lex non tantum eſſet permiſſiva, & humana poteſtas nihil aliud de his rebus poſſet diſponere. 2. Quando in ipſo jure dicitur, quod de jure naturæ valeant fidejuſſio mulieris, mutuum filiifamilias, contractus præciſe a jure poſitivo irritati, ſenſus non eſt, quod jus naturale poſitive decernat tales actus valere, aut in omnibus circumſtantiis pro validis haberi debere, ſed tantum indicatur, quod talibus contractibus tamdiu ſtandum ſit, quamdiu jure poſitivo non irritantur, eoquod lex naturalis dictet fidem datam ſervandam, & contractum valide initum implendum eſſe.

78 Quæres 1. An in jure naturali locum habeat epiikia ? Reſp. Epiikiam aliam eſſe proprie, aliam improprie talem. Proprie talis eſt emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter univerſale, ſeu correctio legis in iis caſibus, in quibus deficere judicatur e. g. lex, quæ prohibet, ne moniales extra ſepta monaſterii exeant, per epiikiam corrigitur in hypotheſi, quod monaſterii ædes incendio conflagrent. Hæc epiikia in lege naturali locum non habet ; nam lex naturalis fertur ab ipſo Deo, & promulgatur per rectam rationem, adeoque correctione non indiget, neque prohibet vel præcipit univerſaliter pro omnibus circumſtantiis, ſed ſolum pro illis, in quibus objectum eſt intrinſece bonum vel malum ; impoſſibile autem eſt, ut objectum intrinſece bonum fiat illicitum, aut intrinſece malum licitum. Si vero mutatis circumſtantiis id fiat, tale objectum ſub jure naturali

nun-

nunquam fuit comprehensum. Epiikia improprie talis est explicatio legis, ubi sensus illius est dubius, vel propter verborum obscuritatem, vel propter circumstantias, quæ dubium generant, utrum lex ad illas extendatur, e. g. an contractus sit injustus, an materia voti de meliore bono. De hac Epiikia dubium non est, quin in lege naturali locum habeat. Constat tum exemplo Christi, qui Matth. 5 v. 21 & seq. legem naturalem explicuit, tum ex constanti ecclesiæ traditione, quæ ex potestate sibi divinitus concessa, hactenus controversias circa sensum legis naturalis ortas diremit.

Quæres 2. An detur lex naturalis irritans? Resp. 79
affirmative; nempe in his casibus. 1. Quando materia, circa quam actus vel contractus versatur, est impossibilis, aut ita turpis, ut intrinsecam & perpetuam turpitudinem habeat, etiamsi hæc tantum sit levis, ut si promittis mentiri, furari, vel contrahis cum conditione turpi, quam alter contrahentium adimplere teneatur; ad impossibile enim & intrinsece inhonestum nulla datur obligatio. Neque obstat, quod valeant contractus initi ex aliqua passione, ira, avaritia, imo etiam venditio secunda e. g. equi secuta traditione, & matrimonium initum cum voto castitatis, aut stantibus sponsalibus cum alia; quippe ejusmodi contractus non sunt turpes intrinsece & ex objecto, sed tantum ratione alicujus circumstantiæ extrinsecæ. 2. Quando ex parte contrahentis, agentis, aut disponentis deest potestas aut capacitas naturaliter requisita ad valide operandum, ut si disponas de re, cujus non amplius es dominus; si agas in amentia, ebrietate, somno; si contrahas inductus dolo substantiali, vel errore, vel absoluta coactione. Addi potest 3. Quando deest aliquod constitutivum per se requisitum ad naturam ipsius actus e. g. merx, pretium, vel consensus mutuus in contractu, ut si velles aliquid emere nullo dato pretio. Ratio omnium est, quia sanctitas & providentia Di-

vini gubernatoris exigit tales actus non solum prohibere, sed etiam irritare; foret enim omnino inordinatum & rectæ constitutioni Reipublicæ contrarium, si actus defectu substantiali laborans, vel sine potestate, libertate & advertentia positus obligationem moralem induceret.

80 Quæres 3. Quinam lege naturali obligentur? Resp. sola creatura rationalis, quia hæc sola capax est directionis moralis. Hinc quando Ulpianus leg. 1. §. 3. ff. de Justit. & Jur. jus naturale definit: *Quod natura omnia animalia docuit*, in sensu latiore ac minus proprio loquitur. De infantibus & perpetuo amentibus est aliqua controversia. Sunt enim, qui putant etiam illos non obligari lege naturali: tum quia carent lumine rationis, per quod lex naturalis promulgatur, tum quia inutilis ac imprudens videtur lex, quæ carentes usu rationis obligat, essetque idem ac si bruto præciperetur. Addunt nihilominus illicitum esse eos incitare ad blasphemias, lasciviam, aliosque actus intrinsece malos, tum ne assuescant, & malos habitus contrahant, tum quia talis actio tribueretur principaliter agenti, qui alterius opera uteretur quasi instrumento, tum denique quia nullus potest esse prudens finis eos ad tales actus incitandi.

81 Verum quamvis infantes, & perpetuo amentes lege naturali non obligentur in actu secundo, & ob defectum cognitionis a peccato formali excusentur; communis sententia est, quod obligentur in actu primo, eo quod lex naturæ sit necessaria, fundata in ipsa natura, quæ de se capax est rationis, & actus intrinsece mali semper Deo repugnent; actualis autem cognitio legis & usus rationis tantum requiritur ad obligationem in actu secundo; alias neque dormientes vel laborantes ignorantia invincibili lege naturali ligarentur. Aliud est de brutis, quæ ex natura sua directionis moralis incapacia sunt. Profecto si quis brutum ad lasciviam incitet, hæc actio

non

non tribuitur principali agenti, & apud perpetuo amentes non eſt periculum, ut pravos habitus contrahant. Inſuper ſi tales actus non eſſent intrinſece inhoneſti, & nequidem materialiter mali, fors facile poſſet prudens excogitari finis infantes, & amentes incitandi ad tales actus e. g. ut illorum vita ſalvetur coram Tyranno, vel proco laſcivo. Sed hæc minoris momenti videntur, quam ut diutius immoremur.

Quæres 4. Quid ſit jus Gentium? Reſp. Qui 82
latiſſime illud accipiunt ex leg. 1. §. 4 π. de Juſtit. & jur. dicunt, jus Gentium eſſe, quo gentes humanæ utuntur. Subin dividunt in primarium, & ſecundarium. Primarium ex leg. 9. π. titul. cit. vocant, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit. Secundarium, quod etiam humanum appellant ex §. 2 Inſt. de jur. N. G. & C. eſt quod uſu exigente, & humanis neceſſitatibus gentes humanæ ſibi conſtituerunt. Hæc ſola acceptio propria eſt; nam in prima comprehenduntur etiam illa, ad quæ nulla datur obligatio e. g. uſus panis, ædificatio domorum &c. in ſecunda vero jus gentium non differt a naturali. Igitur jus gentium proprie dictum nihil aliud eſt, quam conventio libera, quam gentes ad mutuum commercium, & felicitatem ſocialis vitæ obtinendam ac conſervandam per pactum tacitum, vel diuturnis moribus introduxerunt; uti ſunt jus legationum, vi cujus legati admittuntur, vel dimittuntur, incolumes; jus commercii quæſtuoſi apud exteras & non hoſtiles nationes &c. obligatio hujus juris non provenit ab aliqua lege, gentibus a quodam ſuperiore impoſita, ſed ex tacito quodam pacto & diuturno uſu populorum ſaltem plurium & magis moratorum, cum animo ſe mutuo obligandi continuato. Fundatur tamen in illo juris naturalis principio: fides data eſt ſervanda; unde etiam ſupremos gentium principes obligat.

83 Differt nihilominus jus Gentium multipliciter a naturali. 1. Ratione originis; nam jus naturale eſt a Deo, cœpit cum natura & per lumen rationis promulgatur. Jus gentium primum poſt multiplicatos homines ſuper terram a gentibus fuit conditum & per uſum ac obſervantiam populorum innoteſcit. 2. Ratione materiæ; jus enim naturale pro objecto habet intrinſecam honeſtatem, vel inhoneſtatem, ideoque eſt abſolutum, immutabile, & indiſpenſabile. Jus gentium eſt circa ea, quæ ad communem humanarum ſocietatum utilitatem ab ipſis populis ſunt libere in uſum deducta, unde etiam ſuppoſita humani generis exiſtentia gentibus fuit liberum; & poteſt eſſe conditionatum, ſi nempe aliæ gentes id ſervent. Quamvis autem non expediat, & moraliter fieri vix poſſit, ut totum jus Gentium abrogetur, abſolute tamen loquendo hoc per mutuum populorum conſenſum poſſet contingere, & ex parte jam ſublatum eſt, quoad captivitatem, & ſervitutem perſonalem inter Chriſtianos. 3. Ratione ſubjecti; nam jus naturæ obligat hominem ut eſt creatura rationalis, & ideo ad omnes & quemlibet in individuo, etſi ſolus in mundo eſſet, ſe extendit. At jus Gentium afficit hominem ut eſt animal ſociabile, nec illum obligat ut ſolitarie ſpectatum, ſed quatenus humanam ſocietatem conſtituit. Imo ſolum eas obligat gentes, quæ ſaltem tacite in tale jus conſenſerunt. 4. Ratione finis; finis enim juris naturalis eſt felicitas hominis & recta conſtitutio erga Deum, quæ creaturæ rationali ſimpliciter eſt neceſſaria, & præcipue ad forum internum conſcientiæ ſpectat; jus vero gentium pro fine habet felicitatem humanarum ſocietatum non ſimpliciter neceſſariam, ſed ad majorem utilitatem & commoditatem mutuam, conſequenter præcipue intendit bonum externum & politicum.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Lege divina positiva.

Lex divina dividitur in veterem & novam. Vetus seu Mosaica est, quam Moyses per ministerium Angeli a Deo acceptam Hebraico populo promulgavit. Continetur in quinque libris Moysis, uti etiam in Psalmis & Prophetis juxta illud Christi Luc. 24 v. 44: *Hæc sunt verba - - - quæ scripta sunt in lege Moysis, prophetis, & psalmis de me.* Dicitur lex vetus, quia præcessit novam, vel quia erat figura prænuntians, & testificans novam. Intelligitur autem per legem novam illa, quam Christus per Evangelistas, & Apostolos nobis tradidit tanquam figuratum & complementum legis veteris: vocatur Evangelica a voce Evangelium, quod rei prosperæ nunciationem denotat; item Testamentum novum id est pactum, seu promissio, secundum quam Deus nobis dedit Salvatorem, & per eum gratiam & gloriam. Porro ut data divisio sit adæquata, advertendum, legem hic non sumi pro termino communi seu quacunque lege in particulari, sed copulative seu pro integro quodam corpore juris Divini, quo homines sub peculiaribus signis, seu Sacramentis ad DEI cultum stabiliter in unum corpus mysticum congregantur; nam aliquæ leges particulares jam ante Moysem a Deo latæ fuerunt. 84

Inter has numerant 1 legem non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali, Gen. 2 v. 17. quæ licet jam data fuerit in statu naturæ integræ, tamen in Adamo tanquam capite obligabat omnes posteros, sicut comminatio mortis omnes comprehendit. 2. Legem utendi aliquo Sacramento seu signo necessario ad impetrandam mediante fide in Christum remissionem peccati originalis. 3. Legem circumcisionis, quæ 85

tamen jam fuit anticipatio quædam legis veteris, donec populus electus multiplicaretur. Hinc circumcisio semper in ea lege mansit, eratque janua & professio illius, ut ad Gal. 5 v. 2 testatur S. Paulus. 4. Legem discernendi animalia munda ab immundis. Quamquam Noe usum illa, maxime quoad sacrificia, discernendi habere potuerit ex consuetudine & traditione suorum parentum. Neque hæc divisio antiquitus forte fuerit omnino eadem cum illa, quam postea lex vetus induxit. 5. Legem abstinendi a sanguine & suffocato, quæ licet in sensu mystico aliter exponi possit, juxta communem Patrum interpretationem fuit lex proprie talis.

QUÆSTIO I.

Qualia fuerint præcepta in antiqua lege ?

86 Præcepta Legis veteris fuere triplicis generis, moralia, cæremonialia, & judicialia. Moralia complectebantur ea, quæ ad amorem DEI & proximi spectant, adeoque ad Decalogum reduci possunt, qui juxta opinionem S. August. lib. de decem chord. & Q. 7. in Exod. a tota fere Ecclesia receptam ita in duas tabulas divisus erat, ut in prima tabula tria de diligendo Deo, in secunda septem de diligendo proximo sculpta fuerint. Quamquam enim ista ad legem naturæ pertineant, convenienter etiam lege positiva poterant præcipi, ut sic ignorantiæ ac ruditati hominum subveniretur, & Deus etiam ut auctor supernaturalis ad illa obligaret: adeoque hæc præcepta non solum fuerunt declarativa, sed obligationis inductiva ; fuere quippe vera præcepta, & mandata, imo per antonomasiam solent præcepta vocari, & distingui a cæremoniis, & judiciis, ut patet Deuter. 4 & 5, & colligitur ex eo, quia in his præceptis quædam miscentur, quæ non sunt de lege naturæ, & tamen eodem modo præcipiuntur, vel prohi-

prohibentur, uti quando primo præcepto additur : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*; nam licet hoc præceptum sit naturale quatenus prohibet idololatriam, est tamen cæremoniale, in quantum absolute prohibet imagines DEI. Similiter præceptum: *Memento ut diem sabbati sanctifices*, quatenus præcipit, ut aliquod tempus cultui divino dedicetur, est naturale, & morale ; quatenus vero determinat diem sabbati, fuit cæremoniale, & in lege nova mutatum.

Cæremonialia præcepta erant, per quæ determi- 87
nabantur specialiter ritus, & cæremoniæ colendi Deum. Horum rursus quatuor sunt genera 1. De sacramentis e. g. de Circumcisione, esu agni paschalis, de consecratione sacerdotum, de expiationibus a peccatis, & purificatione a quibusdam immunditiis exterioribus. 2. De sacrificiis, quæ ex parte rerum materialium, quæ offerebantur, erant multiplicia, formalis vero illorum distinctio ex fine sumenda est; nam quoddam erat holocaustum in recognitionem divinæ Majestatis. Aliud hostia pacifica, quæ ad impetrandum nova beneficia vel agendas gratias pro jam acceptis mactabatur. Aliud sacrificium pro peccato, quia in ejus expiationem & satisfactionem aliquam immolabatur. 3. De rebus sacris, uti de templo, tabernaculo, arca fœderis, propitiatorio, candelabro, mensa, duplici altari, vasis, vestibus sacerdotum. 4. De observantiis peculiaribus e. g. de discretione ciborum mundorum ab immundis, de abstinentia a sanguine & adipe, de jejuniis Nazaræorum, de certo usu vestium, solemnitatibus, & festis.

Præcepta judicialia præscribebant, quomodo ju- 88
stitia servanda sit inter homines ; hæc iterum erant quadripartita ; nam 1 aliqua erant, quæ servari debebant inter Principem & populum ad invicem. Ubi tamen notant auctores, quando 1 Reg. 8 v. 11 Regibus

gibus videtur dari absoluta potestas in bona aliorum, Samuelem non proposuisse jus Regi vere competens, sed prædixisse populo usurpationem iniquam, ut illum a petendo rege absterreret. 2. Alia erant de moribus totius populi tam in ordine ad communitatem, quam inter se, instituendo judices, ordinem judicii, numerum testium, certas pœnas pro delictis, ordinando contractus, possessiones &c. 3. Alia de servandis in familia inter maritum, & uxorem, dominum & servum &c. e. g. ut uxores accipiant ex sua tribu, ne sortes tribuum confundantur; ne servos moleste tractent, ac immoderatis laboribus opprimant. Mutilantibus autem servos imposuit, ut dimitterentur in pœnam, & ancilla evaderet libera. 4. Alia de servandis erga extraneos, hospites, peregrinos e. g. de bello vitando vel gerendo cum cæteris, de conjugiis, & contractibus cum iisdem &c.

89 Præter dicta præcepta, quæ erant numero plurima adeo, ut juxta Genebrardum & Guilielmum Parisiensem sola cæremonialia fuerint ad minus 613. In lege veteri etiam continebantur aliqua consilia; nam 1, quando Psalm. 75 v. 12 dicitur: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, qui in circuitu ejus affertis munera* vox, *Vovete*, tantum consilium morale continet; licet τo *Reddite* præceptum naturale indicet. 2. Fuere in lege veteri aliqua sacrificia, quæ non præcipiebantur, sed voluntarie offerebantur, de quibus S. Chrysost. intelligit illud Psalmi 118 v. 108: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* 3. Quando Exodi 22 v. 26 dicitur: *Si pignus acceperis vestimentum a proximo tuo, ante solis occasum reddes ei,* juxta S. Thom. tantum fuit consilium judiciale, non vero rigorosum præceptum nisi in casu, quo vestimentum proximo omnino esset necessarium. Quodsi quæras, an inter præcepta legis veteris aliqua fuerint supernaturalia, respon-

deo

deo, talia fuiſſe de fide & ſpe in unum Deum, ut colligitur ex illis verbis Exodi 20 v. 2, quæ præceptis præmittuntur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Similiter præceptum Charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. de dilectione ſupernaturali intelligenda eſſe teſtatur S. Auguſt. lib. de gratia & liber. arbitr. cap. 18.

Finis antiquæ legis quadruplex conſiderari poteſt. 90 Primus & ultimus erat ſpiritualis & ſupernaturalis felicitas populi electi, conſequenda per bonos mores, & veram ſanctitatem in hac vita, ac in futura per ſupernaturalem felicitatem, ut colligitur ex Pſalm. 18 & 118. hinc Chriſtus ipſe Legisperito Luc. 10 v. 25 interroganti: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondit v. 26: *In lege quid ſcriptum eſt?* Nec obſtat, quod lex Moſaica ex ſe hominem non potuerit juſtificare; nam juſtificationem ſaltem figurabat, & ad ſalutem æternam ordinabatur. Secundus finis eſt peculiaris honor Chriſti, in quantum videlicet per legem conſervabatur explicita fides Chriſti venturi, & populus excitabatur, ut ſe ad illius adventum præpararet; in quo ſenſu ad Rom. 10 v. 4 dicitur: *Finis legis Chriſtus.* Tertius & proximus finis fuit inſtituere populum DEI tanquam peculiarem rempublicam honeſte & convenienter non ſolum in his, quæ ſpectant ad naturalem & neceſſariam honeſtatem, ſed etiam in his quæ ad divinum cultum, & politiam pertinent. *Si pactum meum cuſtodieritis, eritis mihi in peculium de cunctis populis, in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Exod. 19 v. 5 & 6. Quartus denique finis erat proprius cuique legi in particulari accommodatus propriæ materiæ, & actibus ob quos quælibet lata erat; nam quodlibet præceptum ex fine proximo ſpecificatur, adeoque etiam ex fine ab alio præcepto diſtinguitur.

91 Sicut Pelagiani ex prava intentione legem veterem nimium extollebant, dicentes, eam cuſtodientibus mandata ſua, ac per fidem juſte viventibus ex ſe potuiſſe juſtitiam, & vitam æternam conferre. Sic alii hæretici illam blasphemabat tanquam datam a Deo malo. Tales teſte S. Auguſt. lib. de hæreſ. erant circa annum 129. Carpocrates, & Cainani ſic dicti, quia Cain honorabant. Circa annum 144 Cerdo Magus, & poſtea ejus diſcipulus Marcion, præſertim vero circa annum 271 Manichæi a Manete Perſa. His addi poteſt Ptolomæus quidam, qui teſte Epiphanio hæreſ. 33 docuit auctorem legis veteris non fuiſſe unum, ſed tres, & nullum fuiſſe verum Deum; nam partem legis fuiſſe datam ab opifice mundi ſeu Numine ſecundo, partem a Moyſe, partem a ſenioribus populi. Verum delirium de Deo bono & malo clare eſt contra rationem, & damnatum a Concilio Toletano I in confeſſione fidei: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum eſſe priſcæ legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit.* Pariter fabula de Numine ſecundo aperta hæreſis eſt fundata in alia hæreſi, quod Verbum non ſit verus Deus. De Moyſe poteſt non nulla eſſe controverſia; nam etiam aliqui Catholici, inter quos præſertim refertur Origenes homil. 16 in Numeros, putarunt aliqua præcepta a Moyſe non ex inſpiratione Divina ſed proprio arbitrio data fuiſſe, nominatim legem de repudio, de pœna talionis &c.

92 Quæres 1. an ſolus Deus ſit auctor legis veteris? Reſp. affirmative ſaltem loquendo de Pentateucho usque ad finem Deuteronomii; nam Exod. 20 v. 1, ubi lex Moſaica incipit tradi, expreſſe dicitur: *Locutusque eſt Dominus cunctos ſermones hos.* & 24 v. 3 ipſe Moyſes narravit omnia, & populus acceptavit tanquam præcepta Domini: *Narravit plebi omnia verba Domini atque judicia, reſponditque populus una voce: omnia verba Domini, quæ locutus es,*

facie-

ciemus. Quando igitur lex vetus in Sacra Scriptura vocatur lex Moyſis, & Chriſtus Matth. 19 v. 8 dixit: *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores:* ſolum intelligi debet de Moyſe tanquam legis promulgatore, ſicut quando Marc. 7 v. 10 dicitur: *Moyſes enim dixit: honora patrem tuum.* Dixi ſaltem de Pentateucho, quia non nego alias quasdam obſervationes & leges poſtea humana auctoritate additas, ut de celebrando quot annis feſto Phurim Eſther. 9 v. 26. & de feſto Scenopegiæ 2 Machab. 1 v 9. Fateor quoque apud Hebræos invaluiſſe quasdam traditiones a ſenioribus recentiori tempore invectas, quæ tamen non erant deſcriptæ in libris ſanctis, & ſæpe contrariæ verbo DEI; quia autem iſtas Judæi pluris faciebant, quam mandata Divina, ideo eos Chriſtus reprehendit Matth. 15 & Marc. 7 ut advertit S. Epiphan. contra Ptolomæum lib. 1 num. 2.

Quæres 2. An & quomodo lex Moſaica fuerit 93
perfecta? Reſp. Quod fuerit imperfecta non privative, ſed negative, inquantum fuit minus perfecta, quam lex nova; non enim per ſe conferebat gratiam, ſine qua nec collective, nec quoad præcipua opera impleri poterat, ſed auxilia gratiæ, quæ dabantur, mendicabat a lege nova, & auctore ejus, per cujus merita, & in fide, ac per fidem ejus dabantur. Hinc ad Hebr. 7 v. 19 dicitur: *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et ad Galat. 2 v. 16: *Scientes, quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JEſu Chriſti.* His tamen non obſtantibus lex Moſaica fuit perfecta in ſuo ordine & gradu, in quo illi nihil perfectionis debitæ defuit; præcepit enim omnia neceſſaria ad cognitionem, & religionem DEI, & Chriſti, atque ad rectitudinem vitæ tam moralis, quam humanæ, & politicæ. Unde Apoſtolus ad Rom. 7 v. 12 ait: *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum, ac bonum.* Neque obſtat, quod etiam in

in S. Scriptura dicatur legem Moyſis fuiſſe non bonam, non vacaſſe culpa, occidiſſe. Namque intelligendum eſt illam fuiſſe minus bonam, ejus cultores non vacaſſe culpa, nec ipſam legem culpam ſuſtuliſſe, ſed occaſionaliter occidiſſe, in quantum ex ſe non conferebat auxilia ad præcepta implenda, & ſi lex non eſſet, neque peccatum foret, licet peccatum per gratiam DEI, quæ etiam Judæis non denegabatur, ſemper potuiſſet vitari.

94 Quæres 3. Quosnam obligaverit lex vetus? Reſp. Solum populum Hebraicum, quem Deus vi promiſſionis Abraham, Iſaac, & Jacob benevole factæ, elegit, ut Chriſtus ex illo naſceretur, ideoque voluit, ut etiam ſpeciali quadam prærogativa ſanctitatis polleret; hinc ſolis Judæis lex iſta promulgata eſt hoc verborum initio: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti.* Exod. 20 v. 2. Alii vero gentiles ſine hac lege ſalvari poterant juxta illud: *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Item: *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt,* ad Rom. 2 v. 12. Teſtatur quoque S. Dionyſ. lib. de cœleſt. Hierarch. cap. 9. multos ex gentilibus pie vixiſſe, ut patet in Melchiſedech, Naaman Syro, & Jobo, ſi tamen poſt legem latam vixit. Poterant nihilominus etiam gentiles ad legem Moſaicam tranſire & populo electo aggregari, ſed tunc debebant circumcidi. Si quæras, cur ergo Chriſtus Matth. 23 v. 15 improperet Scribis & Phariſæis, quod circumirent mare & aridam, ut facerent unum proſelytum, hoc eſt a gentilitate ad Judaiſmum transferrent? Reſpondeo, Chriſtum non reprehendere Scribas & Phariſæos ob ſtudium alios traducendi ad legem; hoc enim laudabile erat: ſed quod illos, quos tanto ſtudio conquiſierant, redderent ſceleratos tum exemplo malæ vitæ, tum pravis & verbo DEI contrariis traditionibus. Unde ſubdit Chriſtus: *Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*

Quæ-

Quæres 4. Quomodo differat lex vetus & nova? 95
Resp. 1. Quia lex vetus data est ministerio Angelorum Moyse promulgatore; lex nova immediatum auctorem, & promulgatorem habuit Filium DEI. 2. Lex nova ex propria virtute sua sanctificat juxta illud Joan. 1 v. 17: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per JEsum Christum facta est.* 3. Lex nova data est universo generi humano, estque omnibus ad salutem necessaria, ut Marc. 16 v. 16. habetur. 4. In lege nova dantur & clarius revelata sunt mysteria altissima, addita consilia perfectissima, & exactior morum doctrina. 5. Ubi lex vetus illam observantibus in præmium promittebat bona temporalia, nova promittit regnum & vitam æternam. 6. Lex vetus erat lex timoris, & grave jugum Judæis imponebat: lex nova est lex amoris; hinc promulgari cœpta est die Pentecostes, quo Spiritus Sanctus Apostolorum corda amore replevit. 7. Denique lex nova est veteris legis finis & perfectio; nam hæc se habet ut dispositio, & figura ad illam: *Hæc in figura facta sunt nostri*, 1. Corinth. 10 v. 4.

Cæterum hic etiam notandæ sunt & ex dictis in- 96
telligi possunt plures propositiones Quesnelli, a Clemente XI per bullam *Unigenitus* damnatæ e. g. 6ta. *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo DEUS exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero DEUS peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.* 8va. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod DEUS nobis præcipit.* 63tia. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* 65ta. *Moyses, prophetæ, sacerdotis, & doctores legis mortui sunt, absque eo, quod ullum DEO dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An lex vetus ſit mortua ?

97 Quamquam lex vetus a nullo homine mutari aut diſpenſari potuerit, cum fuerit vere lex divina, & Deus nemini hanc poteſtatem conceſſiſſe legatur ; certum tamen eſt illam potuiſſe abrogari a Deo, qui libere eandem tulit. Erat quidem antiqua Judæorum opinio hanc legem eſſe perpetuam, & nunquam abrogandam, quamdiu mundus ſtaret, & in iſta opinione multi perſeverarunt ex Phariſæis, etiam poſtquam ad fidem converſi fuerunt, ut Actor. 15 v. 2 refertur. Eundem errorem teſte Irenæo lib. 1. c. 26 poſtea tutati ſunt multi hæretici antiqui, ut Ebion, Cerinthus, Nazaræi &c. Immo non pauci auctores Catholici cum Vasquez & Bellarm. putant præcepta moralia adhuc durare non tantum prout ſunt præcepta naturalia, ſed etiam ut poſitiva legis antiquæ. Cæterum cum lex tripliciter poſſit abrogari quoad obligationem, inſtitutionem, & fructum ſeu effectum: hic ſolum agemus de abrogatione quoad obligationem ; hac enim ceſſante lex jam vere ac proprie mortua dici poteſt.

98 Dicendum. Lex vetus mortua & a Chriſto abrogata eſt quoad omnia præcepta. Ita Suarez, Salmeron, Toletus, Medina. Favet etiam S. Thomas 1 2 q. 98 a. 5, imo quoad præcepta cæremonialia definitum eſt Actor. 15, ubi quibusdam contendentibus legalium obſervantiam eſſe ad ſalutem neceſſariam, cum ſuper hoc fieret diſceptatio, imo & ſeditio, convenerunt Apoſtoli in concilio Hieroſolymitano, unde emanavit decretum v. 28 : *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris* &c. Probatur concluſio univerſaliter Auctoritate. Jerem. 31 v. 31 dicit Dominus : *Ecce dies venient, & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum - - -*

sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum. In quæ verba Apostolus ad Hebr. 8 v. 13 ait: *Dicendo novum veteravit prius* (in prænuntiatione videlicet) *quod autem antiquatur, & senescit prope interitum est.* & cap. 7 v. 12 ait: *translato sacerdotio, necesse est, ut etiam legis translatio fieret.* Denique ad Ephes. 2 v. 14 & 15 de Christo dicit: *Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, legem mandatorum decretis* (Evangelicis) *evacuans.* Qui textus cum de tota lege universaliter loquantur, non solum præcepta cæremonialia comprehendunt, sed etiam judicialia, & moralia.

Probatur conclusio ratione. Lex Mosaica posita 99
est usque ad certum terminum: *Donec veniret semen, cui promiserat,* ad Galat. 3 v. 19: ergo elapso hoc termino cessavit illius vis obligandi. 2. Post adventum Christi populus Judaicus desiit esse populus peculiaris DEI, non amplius habebat templum, sacerdotium &c. & totus illius Reipublicæ status sublatus est: ergo etiam cessarunt illæ leges, quæ ad conveniens regimen illius reipublicæ ordinatæ fuerant. 3. Lex antiqua tantum lata est pro populo judaico, & non obligabat Gentiles sive fideles sive infideles: ergo neque obligat Christianos; si enim hi sunt ex gentilibus, nunquam hanc obligationem contraxerunt; si autem sunt ex Judæis, æquiparantur in hoc cæteris Christianis; cum lex vetus non magis obliget aliquos Christianos, quam alios propter solam carnis originem. Ex prioribus autem probationibus deducitur, lege veteri etiam non amplius obligari Judæos, etiamsi in suo Judaismo perseverent. Imo quia lex antea solos Judæos obligabat, proprie loquendo solum respectu Judæorum abrogata est.

Per hoc tamen neutiquam sentio cum Manichæis 100
& Luthero, quorum primi totum vetus Testamentum respuen-

respuentes Catholicos tanquam Semi-Judæos infectabantur, quod tabulas Moysis reciperent. Alter vero in cap 20 Exodi ait, nihil ad nos gentiles & Christianos, sed solum ad Judæos lex pertinet - - - quamobrem Moyses Decalogum solum ad populum Judaicum dirigit. At quamvis dixerim præcepta moralia non amplius obligare, quatenus tanquam lex positiva a Moyse promulgata sunt: verissimum manet, quod illa nihilominus omnes obligare pergant quatenus continent præcepta juris naturalis. Hinc ipse Christus Matth. 19 v. 17 ait: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Loqui autem de præceptis Decalogi patet ex contextu. Et Apostolus ad Rom. 13 v. 9. clare significat Christianos istis præceptis obligari: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Objectiones.

101 Obj. 1. Lex durat, quamdiu non abrogatur; sed lex vetus neque fuit abrogata per expressam revocationem, neque per legem posteriorem ipsi contrariam: ergo. Conf. Circumcisio fuit instituta in signum fidei Abrahæ & solemnitas Sabbati ad recolendum beneficium creationis; sed ista semper sunt imitanda etiam a nobis: ergo. Resp. neg. maj. & min. Lex potest per se ipsam cessare per temporum mutationem & successionem, per quam completur terminus pro quo posita est. Dein licet Christus in sua lege tradenda non adhibuerit verba formaliter revocatoria legis prioris, tamen illam simpliciter sua lege revocavit, ut indicat Paulus ad Ephes. 2 dicens: *Legem mandatorum decretis evacuans.* Nec audiendus est Erasmus, qui legit: *Evacuans legem mandatorum in decretis existentem;* quia in Græco habetur particual

cula *in*; quippe præterquam quod sic inutilis fieret repetitio, & *το existentem* deberet subintelligi; hæc expositio est contra communem Patrum, qui omnes interpretantur *in* seu *per* decreta novæ legis. Ad hæc ipsa lex nova veteri est contraria, tum quia lex antiqua tantum erat figura novæ, tum quia Christus novam legem tradidit, ut per se necessariam & sufficientem ad salutem tam Judæis quam Gentilibus: *Faciens utraque unum.* Ad conf. dico, & fidem Abrahæ, & cultum Sabbati imitandum esse, sed modo novæ legi accommodato, nempe Baptismo & cultu diei Dominicæ, quo significatur nova creatura inchoata in resurrectione Christi.

Obj. 2. S. Paulus ad Gal. 5 v. 3. ait: *Testificor, omni circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ:* ergo saltem Judæi adhuc obligantur lege Mosaica. Conf. Lex data est à Deo, ut in æternum duraret; nam Exod. 12 v. 14 dicitur, quod Judæi diem Phase celebrabunt *cultu sempiterno.* Baruch. 4 v. 1: *Hic liber mandatorum DEI, & lex, quæ est in æternum.* Matth. 5 v. 18: *Donec transeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit a lege.* Resp. conc. ant. dist. conf. Judæi adhuc obligantur lege vere & a parte rei, neg. conf. ex conscientia erronea, trans. conf. quia hic error vix potest esse inculpabilis, ut adeo tales potius ligentur lege, quam obligentur, & peccent sive illam observent sive non; nam si observant, superstitiosi sunt, & infideles: si non, transgressores sunt legis, qua se obligari judicant. Ad conf. dist. ant. ut æternum duraret quoad verbum DEI aliquid affirmantis, vel quoad veritatem figuratam, conc. ant. quoad verbum DEI obligantis, & figuram, subdist. in æternum simpliciter, neg. ant. secundum quid seu longo tempore, prout sæpe in Scriptura æternum sumitur, conc. ant. & neg. conf. Lex antiqua imprimis in æternum manet quoad Verbum DEI affirman- 102

tis, quatenus veritas ejus semper manet, & nihil potest impedire, quo minus impleatur. Dein manet in æternum secundum veritatem figuratam; quia veteri successit lex nova tanquam figuratum figuræ. Denique per se patet nihil esse proprie perpetuum & æternum, quod cum hoc mundo finitur. Certe Judæi non amplius possident terram sanctam, quæ tamen ipsis promissa est *in possessionem æternam.*

103 Obj. 3. Licet in multis Scripturæ locis legatur cæremonialia præcepta cessasse, nullibi id expresse legitur de judicialibus: ergo ista abrogatio non debet ad illa extendi, præsertim cum unius expressio soleat esse alterius exclusio *cap. Nonne* 5. *de Præscript.* Conf. Tantum præcepta cæremonialia erant primario instituta ad significandum. Hinc Leo Papa serm. 6 de passion. Domini, hanc rationem explicans declarat legalium cessationem solum in cæremonialibus. Resp. trans. ant. neg. conf. Cum textus a nobis citati universaliter loquantur, & rationes non minus probent abrogationem judicialium, quam cæremonialium præceptorum, hanc abrogationem minime extendimus ultra proprietatem verborum; expressio autem unius tunc solum est exclusio alterius, quando in reliquis non procedit eadem vel similis ratio; quod vero sacra Scriptura sæpius expresse de cæremonialibus loquatur, ratio est, quia illo tempore de his potissima erat controversia. Ad conf. consulto non adhibui hanc probationem, quod significatio legis antiquæ cessaverit, quæ utique non videtur de omnibus præceptis procedere. Hinc Pontifex bene ex hac ratione tantum intulit cessationem cæremoniarum.

104 Obj. 4. Christus & Apostoli ad probanda præcepta moralia utuntur testimonio legis veteris: *Non veni solvere legem, sed adimplere,* Matth. 5 v. 17. *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statui-*

ſtatuimus, ad Rom. 3 v. ult. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, bene facitis*, Jacob. 2 v. 8. Conf. Illa promiſſio quarto præcepto addita: *Ut ſis longævus ſuper terram*, adhuc durat, licet tantum ſit temporalis: ergo etiam lex adhuc durat. Reſp. diſt. ant. Utuntur teſtimonio legis veteris ad illam approbandam vel confirmandam, neg. ant. ad præcepta moralia reſtauranda, & de novo firmanda, conc. ant. & neg. conſ. Primus textus a Chriſto prolatus eſt, quando lex Moſaica adhuc obligabat. Neque Chriſtus dixit, quod non velit legem veterem abrogare, ſed tantum quod illam nolit transgredi, quamdiu obligat. Textus ſecundus tantum ſignificat, quod per fidem lex non damnetur, & rejiciatur tanquam prava, ſed potius defendatur, eique proprius ſtatus ac conditio tribuatur. Textus tertius plus non probat, quam quod præcepta moralia adhuc bene obſerventur ex lege naturali, & Evangelica. Ad conf. Promiſſio legis veteris erat omnino temporalis, videlicet de terra promiſſionis: *Super terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* Hæc promiſſio cum lege veteri ceſſavit; in nova tantum durat, quatenus in illa figurabatur terra viventium. Hinc in novo Teſtamento verba ultima: *Quam Dominus Deus tuus* &c. omiſſa ſunt, vel certe longa vita tantum promittitur eatenus, quatenus neceſſaria vel utilis eſſe poteſt ad majorem perfectionem, & vitam futuram.

Dices 1. Leo Pontifex ſerm. 6 de Jejun. decem 105
menſ. ait: *Evangelicis ſanctionibus multum auctoritatis præbet doctrina legis, cum quædam de mandato veteri ad novam obſervantiam translata ſunt.* Et ſerm. 14 de paſſ. Domin. *In præceptis moralibus nulla prioris Teſtamenti decreta reprobata, ſed Evangelico magiſterio multa ſunt aucta.* Hinc etiam S. Aug. lib. 10 contra Fauſtum cap. 2. diſtinguit præcepta vitæ

agendæ, & ſignificandæ, & ſubdit, *ſervari a Chriſtianis ex ipſis libris præcepta vitæ agendæ.* Conf. Deus præcepta moralia tulit ut auctor naturæ, & Chriſtiani adhuc judicant ſe obligari ad illa, quæ in lege veteri fuerunt prohibita e. g. ad vitandam uſuram. Reſp. ex his textibus iterum plus non probari, quam quod præcepta moralia legis veteris non ſint reprobata tanquam mala, ſed potius in lege nova reſtaurata ſint, quodque ex eadem lege colligi poſſit, quænam ſint intrinſece bona vel mala, adeoque de jure naturæ ſervari debeant. Ad conf. Deus quidem hæc præcepta tulit ut auctor naturæ, in quantum ſunt juris naturalis, non vero in quantum ſunt juris poſitivi, & Chriſtiani tantum in priore ſenſu judicant, quod ad hæc præcepta ſervanda obligentur.

106 Dices 2. S. Leo loc. cit. expreſſe ait, præcepta moralia apud nos manere *in eadem forma*, in qua ſunt condita, & quod ſint *nulla commutatione variata.* Confirm. S. Thomas hic q. 103 a. 3 ad 1 docet, *Quod lex vetus dicitur eſſe æterna ſecundum moralia ſimpliciter, & abſolute:* ergo. Reſp. diſt. ant. manent in eadem forma, id eſt eodem modo obligant, conc. ant. ex vi ejusdem legis obligant, neg. ant. quoad hoc membrum, & diſt. etiam alterum: nulla commutatione ſunt variata quoad vim obligandi naturaliter, conc. quoad vim obligandi ex lege Moſaica, neg. Ad confirm. eadem proportionaliter eſt reſponſio; nam Doctor Angelicus ſolum vult, quod præcepta moralia veteris legis maneant ſimpliciter & abſolute quoad rem præceptam, & ſubſtantiam obligationis, in quantum etiam in lege nova obligant, ſicut antea obligarunt in lege naturæ, ubi lex ſcripta nondum exiſtebat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quando lex vetus fuerit mortua ?

Sicut omnes facile conveniunt legem veterem non fuisse mortuam ante Christi adventum : *donec veniret semen*, ad Gal. 3 v. 19, mortuam tamen esse non multis retro temporibus & a principio nascentis Ecclesiæ; nihilominus de ipso puncto temporis, quo expiravit, magna est controversia. Quidam hæretici nostri temporis volunt, legem veterem abrogatam esse a Joanne Baptista; sed hæc opinio satis refutata est quæstione præced. ubi ostendi, quod ipse Christus medium parietem maceriæ solverit, & legem mandatorum decretis Evangelicis evacuaverit, cumque lex vetus abrogata sit per novam, constat illam abrogari non potuisse nisi ab eo, qui legem novam tulit. Itaque ex Catholicis Gabriel docet, legem veterem mortuam esse, quam primum a Christo fuit institutus Baptismus. Cardinal. Gotti citans pro se S. Thomam in morte Christi : Sotus in resurrectione : S. Bonavent. cum Scotistis & Suario die Pentecostes. 107

Dicendum 1. Lex vetus non fuit abrogata ante mortem Christi. Probat. 1. Quia juxta Apostolum tunc fuit facta translatio legis, quando translatum est sacerdotium ; sed sacerdotium non fuit translatum, donec Christus in ara Crucis se ipsum obtulit hostiam pro peccatis totius mundi. 2. Quia ipse Christus servavit legem Moysis & aliis præcepit, ut servent ; nam & ipse circumcisus est die octavo, Luc. 2 v 21. misit discipulos, ut ascenderent ad diem festum, Joan. 7 v. 8. celebravit adhuc ante mortem suam cum ipsis Pascha, Matth. 26 v. 18. & quamvis super cathedram Moysis sederent Scribæ, & Pharisæi, dixit tamen Matth. 23 v. 3 : 108

Omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite. Probat. 3 ſpecialiter de circumciſione; hæc enim ante mortem Chriſti neque fuit abrogata per revocationem expreſſam, neque per aliam legem contrariam, cum nulla oſtendi poſſit. Neque per meram ceſſationem, aut ex defectu materiæ, quaſi neceſſitas illius remedii ceſſaſſet; nam lex circumciſionis non minus fuit abſolute lata quam alia præcepta Moſaica. Neque fundabatur primario in neceſſitate remedii, ſed erat profeſſio legis veteris. Hinc S. Joannes Baptiſta circumciſus eſt, licet jam in utero fuerit ſanctificatus, & alii inſontes licet remedio legis naturæ ſanctificari potuerint, ante octavam diem ob periculum mortis, nihilominus poſtea convaleſcentes ex præcepto debuerunt circumcidi, ut ſic in templo & cæremoniis cum Judæis communicare valerent.

109 Dicendum 2. Lex vetus non fuit abrogata ante diem Pentecoſtes. Prob. 1. Quia lex vetus non amiſit ſuam obligationem, niſi quando nova cœpit obligare juxta illud: *Legem mandatorum decretis evacuans,* ad Epheſ. 2 v. 15. *Dicendo novum veteravit prius*, ad Hebr. 8 v. 13; atqui lex nova non cœpit obligare ante diem Pentecoſtes, cum antea nunquam ſolenniter & ſufficienter fuerit promulgata. 2. Neque Judæi neque ipſi Diſcipuli Chriſti ante diem Pentecoſtes ſciverunt legem veterem abrogatam eſſe; nam Luc. 23 v. 56 dicitur: *Revertentes paraverunt aromata & unguenta, & Sabbato quidem ſiluerunt ſecundum mandatum:* ergo abrogatio prius a Chriſto neque prudenter neque utiliter fieri potuit; aut quæ potuiſſet eſſe utilitas abrogationis invincibiliter ignoratæ? 3. Cum nullibi legatur, quod lex vetus ante Pentecoſten fuerit abrogata expreſſe & formaliter, neque lex nova exſtiterit; gratis fingitur tempus aliquod intermedium, neque populus DEI ſua lege, ejusque utilitate privari debuit, niſi propter legem meliorem.

Dicendum 3. Lex vetus cœpit abrogari die Pen- 110
tecoſtes. Concluſio patet ex præcedentibus; nam tunc lex antiqua cœpit abrogari, quando nova cœpit obligare; ſed nova cœpit obligare die Pentecoſtes, quando poſt adventum Spiritus ſancti promulgata eſt: ergo. Confirm. Die Pentecoſtes cœpit Baptiſmus eſſe neceſſarius ad ſalutem: ergo deſiit circumciſio eſſe neceſſaria, conſequenter tota lex. Circumciſio quippe erat fundamentum totius legis, quæ non niſi circumciſos obligavit; quod autem circumciſio deſierit eſſe neceſſaria, ulterius probatur, tum quia ſecundum moralem & congruam providentiam non debuerunt ſimul præcipi duæ profeſſiones quodammodo contrariæ, quarum altera erat per ſignum diſtinctivum populi Judaici a Gentili, altera per ſignum utrique commune tollens inter utrumque populum diviſionem: tum quia neceſſitas circumciſionis derogabat multum dignitati & ſufficientiæ Baptiſmi jam ſufficienter promulgati, & ideo ſemper fuit malum ſumere circumciſionem ut neceſſariam, ex quo Baptiſmus neceſſarius eſſe cœpit. Dixi tamen, quod lex vetus die Pentecoſtes abrogari *cœperit*; nam ut Suarius advertit, hæc abrogatio non facta ſimul & in toto orbe, ſed ſucceſſive, nempe primum in Judæa, dein etiam in aliis locis, prout lex Evangelii ſucceſſive fuit promulgata. Ratio eſt, quia lex vetus quoad obligationem per legem novam quaſi formaliter excludebatur; ſi autem una forma non excluditur niſi ad introductionem alterius, non poteſt brevius, aut citius excludi, quam altera introducitur.

Ex his deducit Suarius 1, quod vis Circumci- 111
ſionis, uti etiam remedii naturæ contra peccatum originale non ceſſaverit, donec a die Pentecoſtes Apoſtoli euntes in univerſum mundum ſucceſſive cœperunt docere omnes gentes baptizantes eos. 2. Quod eodem modo duraverit vis ſanctificandi legaliter, ſeu juſtificandi carnaliter, imo vim hanc manſiſſe, donec lex

lex omnino facta est mortifera; quia usque ad illud tempus cæremoniæ retinuerunt suam institutionem, seclusa tamen obligatione. 3. Quod a die Pentecostes expirare cœperint præcepta cæremonialia, & promissiones speciales legis veteris; quia factæ fuerant operibus ut impletivis legis per modum pacti mutui, ideoque cessante obligatione ex parte unius cessavit etiam ex parte alterius. 4. Pariter quoad vim coactivam sublatas esse leges pœnales irritantes, & irregularitates cæremoniales, esto, quod statutæ fuerint in transgressores juris naturalis; quia nihilominus illorum additio erat positiva & legalis. 5. Præcepta vero judicialia tunc primum efficaciam suam amisisse, quando synagoga post consummatam Evangelii promulgationem extincta est; quamdiu enim Respublica Judæorum statum suum retinuit, potuit adhuc secundum legem suam irritare, judicare, punire &c. at illa funditus destructa etiam hæ leges cessarunt. Hinc hodie matrimonia Judæorum contra legem tenent, quæ per conscientiam erroneam constitui non potest, nec denuo ferri a Judæis, utpote subditis alteri principi sine potestate leges ferendi.

Objectiones.

112 Obj. 1. *Lex & prophetæ usque ad Joannem*, Luc. 16 v. 16. ergo lex mortua est ante mortem Christi. Confirm. Lex vetus fuit umbra, Christus lux, ut colligitur ex cap. 10 ad Hebr. v. 1. & Joan. 1 v. 4; sed adveniente luce statim evanescit umbra; hinc ipse Christus & Apostoli legem non custodierunt, & ideo a Pharisæis accusati sunt, ut Matth. 12 v. 2, quod in Sabbato spicas vellerent, & 15 v. 2, quod pransuri manus non lavarent. Resp. conc. ant. neg. cons. Sensus textus est, vel quod lex & prophetæ usque ad Joannem Christum prædixerint venturum, Joannes vero præsentem demonstraverit, vel potius quod usque ad Joan-

Joannem lex & prophetæ bona temporalia promiserint, Joannes autem cœperit proponere regnum DEI, quod in ſpiritualibus bonis ſitum eſt; nam Chriſtus propter paupertatem irriſus reſpondet, & ita proſecutus eſt: *Ex eo regnum DEI evangelizatur.* Ad confirm. dico legem fuiſſe umbram Chriſti non quomodocunque ſed mundum illuminantis per mortem, reſurrectionem, & legem gratiæ. Accuſatio vero Phariſæorum erat injuſta, qui legem non ad mentem legislatoris, ſed ad ſuam voluntatem, & traditiones interpretabantur; unde ibidem v. 3 Chriſtus illis objicit: *Vos transgredimini mandatum DEI propter traditionem veſtram.*

Obj. 2. Quam primum baptiſmus fuit inſtitutus, 113
& cœpit habere efficaciam conferendi juſtitiam, baptiſmus fuit de conſilio: ergo circumciſio non amplius erat de præcepto; tum quia non amplius erat neceſſaria, tum quia conſilium rei perfectioris, & utilioris tollit præceptum rei minus perfectæ. Conf. Si gentilis eo tempore in Chriſtum credidiſſet, & filium ſuum baptizaſſet, non fuiſſet obligatus ei adhibere remedium legis naturæ; ergo neque Judæus remedium circumciſionis. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Circumciſio enim adhuc fuiſſet neceſſaria ob cauſam allatam num. 108. & conſilium rei perfectioris tunc ſolum tollit vel potius ſupponit non dari obligationem rei minus perfectæ, quando utrumque non poteſt ſimul ſervari. Hinc enim Judæus jam circumciſus ante Chriſti mortem baptizari potuiſſet. Ad confir. conc. ant. neg. conſ. Gentilibus nullum fuit præſcriptum remedium particulare, ſed tantum aliquod ſignum fidei proteſtativum, ideoque Gentilis eo tempore aſſumens Baptiſmum pro fidei proteſtatione ad nihil amplius obligabatur; at Judæis vel determinate præſcriptum erat remedium circumciſionis, vel certe circumciſio ex aliis cauſis præcepta. Videatur numerus cit.

114 Obj. 3. Die Parasceves Sacerdotium fuit translatum, maceries diruta, & nova lex completa: ergo tunc jam cessavit lex vetus. Resp. dist. ant. Sacerdotium fuit translatum, maceries diruta, & lex nova completa plene & perfecte, neg. ant. solum imperfecte, conc. ant. neg. cons. Quamvis Christus per Sacrificium crucis consummaverit omnia, quæ ad implendas figuras antiquorum sacrificiorum requirebantur, & sic confirmata sit quommodo translatio antiqui Sacerdotii, nondum tamen expediebat, ut statim executioni daretur, donec novo ordine Episcoporum & Summo Pontifice in Ecclesia Christi creato, hæc translatio publice promulgaretur: alias dici posset sacerdotium jam fuisse translatum in ultima cœna, ubiChristus illud secundum ordinemMelchisedech exercuit, & Apostolos sacerdotes creavit. Legem quod attinet, illa non tantum debuit impleri in ratione figuræ vel prophetiæ, sed etiam in ratione legis revocatæ. Imo multa adhuc supererant implenda, uti resurrectio, missioSpiritus sancti, convocatio gentium, ipso Apostolo ad Rom. 4 v. ult. dicente: *Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

115 Dices. In morte Christi velum templi fuit scissum, & ipse Christus in cruce dixit: *Consummatum est*: ergo in morte Christi redemptio nostra fuit plene completa: ergo lex vetus cessavit. Confirm. Postquam Apostolus ad Hebr. 9 v. 8 dixit: *Nondum propalatam esse Sanctorum viam, tabernaculo habente statum*, v. 12 subdit: *Christum introiisse in Sancta, viamque ad cœlestia aperuisse æterna redemptione inventa*: ergo. Resp. conc. ant. dist. cons. Redemptio nostra in morte Christi fuit plene completa quo ad sufficientiam meritorum, conc. cons. quoad abrogationem legis veteris, neg. cons. cum ulteriore sequela. Aliud est, quod Christus per suam mortem merita pro redemptione nostra plene consummaverit: aliud, quod plene abrogaverit legem Mosaicam; nam velum

lum templi scissum per se tantum fuit signum apertæ januæ cœlestis, reliqua vero uti translationem legis tantum significavit consecutive pro tempore futuro. Hinc ad conf. rursus dist. conf. destructus est status tabernaculi quoad aliqua, conc. conf. quoad omnia & obligationem legis, neg. conf. Ex objecto Apostoli loco plus non potest colligi quam quod per mortem Christi via ad cœlum patefacta fuerit, quæ in statu veteris Testamenti clausa fuerat.

Obj. 4. Apostolus in epist. ad Hebr. cap. 8 v. 17 116
ait: *Testamentum novum confirmatum esse in morte Christi*: ergo ibi plene cessavit lex vetus. Conf. prob. Testamentum novum conditum fuit ad revocandum vetus: ergo per valorem novi tollitur valor veteris. Resp. dist. ant. fuit confirmatum in ratione pacti a Christo cum Patre initi, conc. ant. in ratione legis & regulæ morum, completam, & integram obligandi vim habentis, neg. ant. & dist. conf. ergo ibi cessavit lex vetus quasi fundamentaliter, conc. conf. formaliter, neg. conf. Christus in morte sua complevit quidem pactum cum Divino Patre initum, & nostram justificationem per meritum & satisfactionem, in quantum ab illo puncto nihil amplius meruit, aut satisfecit, sed hoc testamentum nondum implevit quoad omnes reliquas actiones, & obligationem legis novæ, sed sicut Testamentum per mortem hominis non statim operatur, donec aperiatur authentice, & notificetur; sic Testamentum novum post mortem adhuc veluti clausum debuit prius quasi aperiri & promulgari, ut antiquum omnino excluderet. Hinc S. Chrysost. homil. 16 ait: *Testamentum esse factum firmum, & ratum in die mortis. postea vero impletam fuisse promissionem in illo factam.*

Dices. S. Paulus ad Gal. 5 reprehendit omnes 117
illos, qui post mortem Christi in lege justificari volebant; *evacuati estis*, inquit vers. 4, *a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis*: ergo. Conf.

S. Au-

S. Augustinus in epist. 8 ad Hieronymum fatetur, post mortem Christi nunquam licuisse in cæremoniis legalibus spem ponere : ergo lex tunc jam erat mortua. Resp. conc. ant. neg. conf. S. Paulus epistolam hanc primum scripsit post Concilium Hierosolymitanum aliquot annis post mortem Christi celebratum, in eaque tantum reprehendit illos, qui observationem legis veteris putabant esse necessariam ad justificationem. Hinc addit : *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.* Ad conf. dico textum objectum non debere intelligi de tempore & momento mathematico, aut physico, sed moraliter ; nam ipse S. Augustinus epist. 8 ad Hieron. ait : *post passionem, & resurrectionem Christi dato ac manifestato Sacramento gratiæ putabant* (Judæi) *vetera Sacramenta esse necessitate salutis celebranda* : neque S. Hieronymus se aliter declarat, quam quod vetus Testamentum cessaverit post Evangelium Christi.

118 Obj. 5. Ad Rom. 7 v. 1 & seq. dicitur : *An ignoratis, fratres, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit ; nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est a lege viri - - - Itaque fratres mei, & vos mortificati estis per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Jam sic : juxta Apostolum sicut vivente viro mulier subjecta est legi, ita viro mortuo liberatur a lege ipsius : ergo similiter mortuo Christo liberata est synagoga a legis obligatione. Resp. dist. conf. mortuo Christo liberata est synagoga a legis obligatione quoad sufficientiam, conc. conf. statim quoad effectum, neg. conf. Textus objectus varie exponitur. Sensus magis proprius juxta Suarium est, quod per virum intelligatur ipsa synagoga seu respublica Israelitica, cui singuli de illo populo conjungebantur, & in hoc uxori comparantur. Cum autem

autem ſynagoga per mortem Chriſti diſſoluta, & mortua eſt, omnes de illo populo mortificati ſunt legi, id eſt, ſoluti a lege per corpus Chriſti crucifixum, in quantum per virtutem paſſionis Chriſti lex mortua eſt. Ubi vides Apoſtolum docere quidem, quod mortua ſynagoga Judæi ab obſervatione legis ſoluti fuerint, quando autem ſynagoga mortua ſit, hic non declarat. Hinc alii dicunt, quod ſolum inſtituat paritatem inadæquatam quoad ipſam mortem, non vero adæquatam etiam quoad circumſtantias &c.

Dices. Poſt mortem Chriſti circumciſio non amplius potuit adhiberi cum vera fide : ergo non amplius potuit dari obligatio ad illam. Ant. prob. poſt mortem Chriſti circumciſio applicabatur ex fide, & in ſignum venturi Meſſiæ ; hoc autem tunc erat falſum. Conf. Etſi nunc Judæus invincibiliter ignoret Evangelium, tamen circumciſionem inutiliter & ſine vera fide adhibet : ergo a pari. Reſp. neg. ant. Nam vera fides quoad ſubſtantiam tantum conſiſtebat in hoc, quod Chriſtus ſit venturus aliquo tempore a Deo prædefinito, quam fidem quilibet habere potuit etiam poſt adventum Chriſti. Quod autem Judæus ex errore invincibili putaverit Chriſtum necdum veniſſe, erat tantum error privatus, qui non obſtabat utilitati remedii ; ſicut apud nos error miniſtri non obſtat valori Sacramenti. Ad conſ. conc. ant. neg. conſ. Quamdiu ignorantia invincibilis provenit ex defectu promulgationis vel ſufficientis temporis ad illam, erat defectus ex parte ipſius legis, adeoque necdum inducebatur neceſſitas baptismi : at poſt ſufficientem legis novæ promulgationem ignorantia tantum datur per accidens, adeoque jam obligat baptismus & circumciſio abrogata eſt, quin illa ignorantia accidentalis illi aliquam virtutem conferre, aut reſtituere poſſit. 119

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quando lex vetus facta sit mortifera?

120 LEx mortua dicitur, cum non amplius obligat. Mortifera est, quando non solum non obligat amplius, sed neque sine peccato observari potest. Movetur autem quæstio ferme de solis præceptis cæremonialibus; nam præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, non solum licite adhuc possumus, sed ex jure naturæ tenemur servare. Præcepta judicialia quidem non obligant, possunt tamen servari, & ab iis, qui potestatem condendi leges habent, præscribi, exceptis iis, quæ a Christo expresse abolita sunt, uti libellus repudii, pluralitas uxorum, usuræ erga alienigenas &c. Usus quoque cæremonialium triplex est, formalis, materialis, & medius. Formalis est, si cæremoniæ adhibentur ea intentione vel credulitate, ut significent Christum primum venturum, vel quasi ad justificationem & salutem essent adhuc necessariæ aut sufficientes. Et hic usus post legem mortuam semper fuit illicitus, utpote continens hæresim vel contemptum novæ legis; hinc neque judicialia aut moralia ex vi legis Mosaicæ observari possunt. Usus materialis est, si legalia tantum adhibentur ex alio fine, sine credulitate legis, aut intentione alicujus cultus, ut si quis ad curandum corpus tondeatur, vel abstineat ab aliquo cibo. Hoc per se & secluso scandalo malum non est. Usus medius vocatur, si cæremoniæ veteris legis fiant ex intentione cultus, & tanquam religiosæ cæremoniæ, non tamen tanquam præceptæ vel necessariæ.

121 De hoc usu legalium medio magna olim fuit controversia inter S. Hieronymum, & Augustinum Occasionem dedere aliqua facta Apostolorum; nam S. Pau-

S. Paulus non ſolum more Nazaræorum in Cenchris ſe totondit; ſed etiam circa annum a promulgatione Evangelii 24 Jeroſolymis more Judæorum ſe purificavit, & oblationes ac vota obtulit; cum enim eſſet rumor Jeroſolymis, quod Paulus Judæos, quos inter gentiles ad fidem converterat, prohiberet ab obſervatione legalium, & ideo apud fideles Jeroſolymis recenter ad fidem converſos gravem offenſionem incurreret; Jacobus & Seniores Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Paulo conſilium dedere, ut ſe cum aliis quatuor, qui tum in urbe erant, & votum hebebant, ſanctificaret, ut omnes intelligant rumorem de ipſo ſparſum eſſe falſum. At poſtquam idem Paulus audivit, quod Divus Petrus ex timore eorum, qui ex circumciſione erant, & a Jacobo Antiochiam venerant, ſe a gentibus ſubtraxerit, & ſegregaverit, quodque ſimulationi illius conſenſerint cæteri Judæi: Paulus in faciem reſtitit Cephæ, eumque reprehendit, quod gentes exemplo ſuo cogeret judaizare, id eſt, exemplo ſuo adduceret ad legalia obſervanda, prout ipſe Paulus narrat Galatis epiſt. 1 cap. 2, ut illos revocaret a falſa exiſtimatione, quaſi legalia una cum Evangelio ſervari deberent. Non deſunt tamen, qui Petrum ab omni peccato excuſant, dicentes, eum potius errore facti quam juris lapſum eſſe, tum quia ſe ſegregavit bona intentione, ne Judæi, qui a Jacobo venerant, turbarentur, tum quia legalia ibi adhuc erant licita, ut adeo gentibus nullum rei malum exemplum præbuerit.

Verum S. Hieronymus credens legem veterem 122
poſt promulgatum Evangelium ſemper mortiferam fuiſſe, ut Apoſtolos a peccato excuſaret, contendebat, ab illis omnia tantum per ſimulationem facta eſſe, licet poſtea hanc ſimulationem potius honeſtam diſpenſationem fuiſſe admiſerit, & tandem in dialog. 1 contra Pelagianos ſententiam Auguſtini amplexus ſit, ut teſtatur S. Auguſtin. epiſt. 260 ad Ocea-

Oceanum. Præcipuum autem argumentum Augustini erat, quod hæc ipsa simulatio Apostolorum fuisset mala, & mendacium vel officiosum, vel omnino pernitiosum. Hinc potius tenendum esse legalia adhuc aliquo tempore fuisse licita & ab Apostolis serio exercita. Petrum vero nihilominus fuisse reprehensibilem & a Paulo merito reprehensum. Et vero si lex tunc jam fuisset mortifera, consequenter legalia prohibita, ex nullo amplius fine per modum cæremoniæ sacræ potuissent exerceri, alias id etiam nunc esset licitum e. g ob spem Judæos convertendi, quod tamen Hieronymus non admittit, nec, ut ait Augustinus, a Catholico admitti potest, præsertim, quia talis simulatio esset professio externa falsæ fidei, sicut siquis externe adoraret idolum, ut adeo fideles in observatione rei moriferæ fuissent ab Apostolis confirmati, & scandalizati, a quo adeo abhorruit Eleazarus 2 Machab. 6.

123 Dicendum 1. Lex non statim, postquam mortua est, fuit mortifera, sed post promulgatum Evangelium adhuc aliquo tempore licuit legalia exercere. Ita cum S. Augustin. Beda, Hugone a S. Victor. S. Thomas, Scotus, Bonavent. Suarez &c. Probatur 1, Legales cæremoniæ non poterant esse mortiferæ eo tempore, quo Apostoli illustrati, ac pleni Spiritu sancto ea observarunt. At Apostoli cæremonias adhuc observarunt, postquam lex jam fuit mortua & Evangelium promulgatum, ut patet ex num. 121 de S. Paulo & tota Ecclesia Hierosolymitana cum ejus Episcopo Jacobo Apostolo. S. Petrus quoque anno 10 post Christi mortem dixit: *nunquam manducavi omne commune & immundum*, ut Actor. 10 v. 14 habetur: quibus verbis significat se hactenus a cibis immundis abstinuisse. 2. In Concilio Hierosolymitano orta inter Judæos & gentes ad Christum conversas seditione anno a passione Domini 19 sancitum fuit, ut abstinerent imposterum ab

im-

immolatis fimulacrorum, fanguine, & fuffocato, & nihil ultra oneris fidelibus imponeretur: ergo ad ea usque tempora Apoftoli legalia permiferant. 3. Legalia neque ftatim fuerunt facta intrinfece mala per promulgationem Evangelii; erant enim inftituta a Deo, & adhuc fervabant fignificationem aliquam, nempe fubjectionem reverentiæ & cultus erga Deum. Neque fuerunt facta mala per fpeciale præceptum; nam tale neque poteft oftendi, neque expediebat, tum quia erat difficillimum totum populum tam cito avellere a confuetudine antiqua, quæ ipfi maxime cordi erat: tum ne cæremoniæ ita abominabiles exiftimarentur, ficut cæremoniæ gentilium, quod in contumeliam DEI, legis Mofaicæ conditorem redundaffet, ut notat S. Auguftin. epift. 19.

Dicendum fecundo. Poftea tamen lex facta eft 124
mortifera, & legalia graviter prohibita. Eft juxta Suarium de fide, eratque jam temporibus Auguftini, & Hieronymi, ut conftat ex epift. 89 S. Hieronymi, & 19 S. Auguftini. Unde cum S. Hieronymus in epiftola Auguftini legiffet licuiffe Judæis ad fidem converfis legalia fervare, ad Auguftinum fcripfit, fe legiffe in ejus epiftola, quod fibi hæreticum videbatur. S. Auguftinus autem refpondit, mentem fuam fuiffe tantum loqui de illo tempore, quo primum gratia fidei revelata eft. In eadem fententia eft S. Ambrof. epift. 4 & tribus fequentibus, aliique Patres. Unde conclufio potiffimum probatur ex traditione Ecclefiæ, ut teftatur S. Auguftinus. Fundatur infuper in illis Scripturæ teftimoniis, quibus oftendimus legem veterem ceffaffe, quæ Ecclefia ita interpretatur, ut cæremonialia non folum non obligent, fed etiam non liceant, nec Deo placeat ufus illorum juxta illud: *Sacrificium & oblationem noluifti*, Pfalm. 39 v. 7. item: *Feriam domui Ifrael, & domui Judæ teftamentum*

novum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum, Jerem. 31 v. 31. Ex quo colligit S. Hieronymus, Deum ita disposuisse Testamentum novum, ut antiquo uti non liceat, ita & intelligendam esse censet ponderationem S. Pauli ad Hebr. 8: *Dicendo novum, veteravit prius.*

125 Quo determinato tempore legalia facta fuerint mortifera, est incertum; quia id neque ex Scriptura sacra, neque ex definitione Ecclesiæ habetur. Communiter dicunt cœpisse mortifera esse quadragesimo circiter anno a Christi morte; tum quia promulgato tunc jam satis Evangelio non oportebat cum pertinacibus Judæis uti œconomia diuturniore, ne forte scandalum præberetur gentilibus, & Ecclesia favere videretur Cerintho & Ebioni: tum quia tunc destructo templo Hierosolymitano juxta Danielis vaticinium cessavit hostia & sacrificium, & Judæi undequaque dispersi populus esse desierunt. Nec obstat, quod Asiatici Episcopi usque ad tempora Victoris Papæ seu annum 185 celebrarint Pascha semper Luna 14 mensis Martii; nam praxis illa reprobata fuit a Victore, qui Asiaticos excommunicavit, ut testatur Eusebius lib. 5 histor. cap. 24 cum Nicephoro Socrate, & Nicolao I in epistola ad Michaelem Imperatorem, quamvis pax inter Victorem & Asiaticos brevi iterum fuerit reducta. Adde quod Asiatici hoc fecerint, non ut legalia observarent, sed quia credebant hoc esse ex Evangelii præscripto, & a prioribus Ecclesiæ Episcopis, ac ipso S. Joanne Evangelista earum Ecclesiarum fundatore & rectore observatum fuisse; utramque enim hanc rationem objecit olim Victori Polycrates data ad ipsum epistola, quam Eusebius libr. cit. cap. 23 describit.

126 Pariter Suarius dubitare videtur, an lex antiqua facta sit mortifera jure Divino, vel tantum humano? Sed ex dictis tenendum est, quod jure divino; nam

nam ſicut lex Moſaica quoad omnia præcepta jure divino mortua eſt per ſufficientem Evangelii promulgationem, quatenus illa facta Deus noluit, ut lex amplius vim obligandi habeat, ita quoad cæremonias mortifera facta eſt jure divino, poſtquam ſufficiens honos delatus eſt ſynagogæ, quatenus Deus cæremonias illas repudiavit, & prohibuit, ut colligitur ex textibus citatis, qui univerſaliter loquuntur de ceſſatione legis tam quoad obligationem, quam inſtitutionem; unde cæremoniæ illæ ſuperſtitioſæ & illicitæ evaſerunt etiam jure naturali. Tempus tamen quo honorem ſynagogæ exhibere oporteret, Deus veriſimiliter determinandum reliquit Eccleſiæ, quo elapſo Eccleſia non amplius potuit cæremonias legales revocare, aut in illis diſpenſare. Potuit tamen & adhuc poteſt alias ſimiles cæremonias inſtituere & præcipere, modo Judaicam ſuperſtitionem non redoleant. Sic utimur veſtibus ſacerdotalibus, oleo incenſo &c. non ex vi legis cæremonialis ſed ex inſtituto Eccleſiæ, & diverſa ſignificatione ac fine. Quodſi iſtis omnino abſtinere deberemus, quia aliquando lege cæremoniali præſcripta fuerunt, neque templa habere liceret, ne videremur imitari cæremonias gentilium.

Objectiones.

Obj. 1. Apoſtoli legalia non exercuerunt animo colendi Deum, ſed tantum ſimulate e. g. quando S. Paulus ſe purificavit, id tantum fecit ut nomini ſuo conſuleret, & Judæi non ſcandalizarentur. Ob ſimilem rationem Petrus tantum ſimulate a gentibus ſe ſegregavit, & ex compoſito a Paulo fuit reprehenſus: ergo ex Actis Apoſtolorum nihil probatur pro noſtra ſententia. Ant. prob. quia hanc ſimulationem aſſerunt Patres Græci Origenes, Didymus, Lao- 127

 diceuus,

dicenus. Alexander, Eusebius Emissenus, & Joannes Chrysostomus, ut testatur Hieronymus. Resp. neg. ant. nam 1 quando Act. 21. v. 20 S. Jacobus ad Paulum dixit: *Vides, frater, quot millia sunt ex Judæis, qui crediderunt, & omnes sunt æmulatores legis*; est apertissimum, quod loquatur de vera observatione absque simulatione. 2. Quando eodem cap. v. 24 S. Jacobus Paulum hortatus est, ut se cum aliis quatuor purificaret, non dixit simulate, sed: *Sanctifica te cum illis, ut sciant, quod & tu custodias legem.* Et postea de Paulo additur: *purificatus intravit in templum.* Ipse quoque Paulus Actor. 24 dixit: *Invenerunt me purificatum in templo.* 3. S. Paulus ad Gal. 2 v. 11 & seq. expresse ait, quod Petrus fuerit *reprehensibilis*, quod *non recte ambulaverit ad veritatem Evangelii*, addens: *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Quomodo autem ista tam asseveranter scribere potuisset, si Petrus tantum simulate exercuisset legalia, & ex condicto reprehensus fuisset. Ad prob. Imprimis Patribus Græcis cum S. Augustino oppono Latinos Cyprianum, Ambrosium, Gregorium magnum, & Tertullianum &c. Dein teste ipso Hieronymo Laodicenus egressus est ab Ecclesia, Alexander appellatus hæreticus, Origenes & Didymus in pluribus reprehensione dignus.

128 Dices 1. Petrus, ut ad Galat. 2 v. 12 & seq. narratur, legalia solum exercuit ex timore, *segregabat se timens eos, qui ex Judæis erant.* 2. Et quidem simulate; *simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* 3. Hinc Paulus dicit, quod illi restiterit, *in faciem*, id est tantum secundum faciem. 4. In Græco textu non dicitur, quod Petrus fuerit *reprehensibilis*, sed quod fuerit *reprehensus*. Resp. ad 1. Timorem Petri non fuisse humanum, & mundanum, sed timorem charitatis & misericordiæ, ne Judæi turbaren-

tur

tur; non enim Petrus tunc habebat, quod ab illis timeret, qui Pharisæis tam constanter restiterat. Licet etiam ex timore mundano legalia serio exercere potuisset. Ad 2. Factum Petri vocatur simulatio, non quia Petrus simulate egit, sed quia abstinens a cibis a lege vetitis, aliis occasionem præbebat judicandi observantiam legalium esse necessariam. Imo Syrus pro *simulatione* legit *segregationem*. Ad 3. *in faciem* hic non significat apparenter, sed in præsentia, & coram omnibus, ut patet ex lectione Græca, Æthiopica, & Syriaca, quæ habet *palam, coram omnibus, in faciem ipsius*, & demonstrat ipse Apostolus inferius dicens: *dixi Cephæ coram omnibus*: item dum profert causam: *quia reprehensibilis erat*. Ad 4. Sicut Hebræis familiare est participia pro verbalibus adhibere, sic id familiare erat Paulo, & versoribus Græcis; quod autem hic intelligendum sit *reprehensibilis*, patet imprimis ex versione vulgata, cui consonat Syriaca, Arabica, Vatablus &c. Dein ex ratione addita; *quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii*, qui enim ita non ambulat, reprehensibilis est, & corrigendus.

Dices 2. De S. Paulo Actor. 16 v. 3 dicitur: 129
quod circumciderit Timotheum propter Judæos, qui erant in illis locis, videlicet in Derben & Lystris. 2. Ipsemet 1 ad Corinth. 9 v. 20 fatetur: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem*. 3. Idem 2 Cor. 12 v. 16 ait: *cum essem astutus, dolo vos cœpi*. Conf. Paulus non potuit serio facere id, quod in aliis damnabat; sed in Galatis damnat usum circumcisionis: *Si cirumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, ad Gal. 5 v. 2. Resp. ad 1. Quando Apostoli leguntur cæremonias servasse propter Judæos, non est sensus, quod simulate

 late

late id fecerint, sed quod ea servarint tanquam non mala, ut Judæos facilius ad Christum traherent, & ne putarentur ea repudiare tanquam illicita & mortifera. Ad 2. Paulus factus est Judæis Judæus non mentientis astu, sed compatientis affectu, eorum scil cet infirmitati quoad aliquas observationes non malas se accommodando. Unde subdit, quod se etiam gentibus accommodaverit, quod certe simulate non fecit. Ad 3. Imprimis ibi non agitur de usu legalium, sed de victu accipiendo ab iis, quibus prædicabat. Dein verba: *cum essem astutus &c.* juxta S. Thomam non pronunciantur afferendo, sed occurrendo tacitæ objectioni, id est, *ut credidistis* : quam statim solvit dicens: *numquid per aliquem, quos misi ad vos, circumveni vos?* Ad conf. conc. maj. dist. min. damnat usum circumcisionis, si accipiatur tanquam necessaria ad salutem, conc. min. si tantum accipiatur ut cæremonia pia, neg. min. quomodo enim alias ipsemet Timotheum circumcidere potuisset.

130 Dices 3. Si tam Petrus, quam Paulus serio observarunt legalia, vel neuter vel uterque fuisset reprehensibilis; atqui solus Petrus fuit reprehensibilis, adeo ut S. Augustinus segregationem Petri vocet *pravam & superstitiosam simulationem*, D. Gregor. & Anselm. *hypocrisim*. Conf. quando Apostoli observarunt legalia, gerebant se tanquam legi subjectos, & tales volebant videri populo : ergo jam aliqua simulatio intervenit. Resp. neg. Maj. Paulus semper observavit legalia prudenter, & in iis circumstantiis, in quibus eorum observatio gentibus non fuit scandalo sed potius ædificationi, ne legalia contemnerent tanquam mala; sed Petrus legalia observavit in tlibus circumstantiis, ubi gentes inde potuerunt scandalum accipere, quamquam ipse putaverit se habere sufficientem causam hoc scandalum permittendi ob Judæos, præsertim cum prius

prius jam cum gentibus conversatus fuerit. Quia autem revera ad puriorem libertatis Evangelicæ prædicationem, conversionem gentium & instructionem Judæorum, melius fuisset non separari a gentibus, & Judæos instruere, ideo Petrus per imprudentiam errore facti lapsus, & merito a Paulo reprehensus est. Unde S. Augustinus, Gregorius & Anselmus nimium videntur exaggerare culpam Petri, & intelligendi potius de superstitione, & hypocrisi apparente, & ab aliis acceptata, quam a Petro admissa; cum illo tempore Apostoli jam fuerint confirmati in gratia. Ad conf. neg. ant. contrarium enim ipsis factis ostenderunt communicantes etiam cum gentibus. Unde si aliqui ita male mentem Apostolorum fuerint interpretati, erat per accidens & ex ipsorum culpa. Ex quo ad summum sequitur intervenisse aliquam simulationem materialem im facto, non item formalem in animo.

Obj. 2. Lex vetus non potuit licite observari, 131
nisi quamdiu in ratione legis mansit; talis enim observatio in Christi injuriam & Evangelii contemptum fuisset, quasi hoc ad salutem non sufficeret. Hinc damnati sunt Cerinthus & Ebion, quod legis cæremonias Evangelio miscuerint; atqui lex mortua non amplius mansit in ratione legis. Conf. Observatio legalium post promulgationem Evangelii continebat pernitiosum mendacium, significando Christi mysteria ut primum ventura: ergo. Resp. neg. maj. Licet lex vetus non amplius obligaverit, nihilominus cæremoniæ in illa præscriptæ manserunt quoad institutionem, & vere fuerunt divinæ, donec a Deo omnino sunt prohibitæ, neque Christo, aut Evangelio injuriosum erat, si aliquo adhuc tempore observarentur præcise ut licitæ, exigente id prudente œconomia, ut synagoga cum honore sepeliretur. Cerinthus & Ebion contenderunt legalia ad salutem esse necessaria, adeoque cum præceptis Exange-

 licis

licis perpetuo retinenda. Ad conf. dift. ant. Si cæremoniæ fuiffent obfervatæ ut neceffariæ, & tanquam figna Chrifti primum venturi, conc. ant. fi tantum fervatæ fuerunt tanquam exuviæ legis mortuæ & cum honore abrogandæ, neg. ant. legalium obfervatio poft promulgatum Evangelium erat tantum proteftatio Myfteriorum Chrifti futurorum pro illo tempore, pro quo Deus illa prædixit: imo potuerunt exerceri abftrahendo a tempore præterito vel futuro, & forte fignificatio futuri jam erant abrogata. Vide num. 119.

132 Dices. Vel ergo cæremoniæ erant malæ, vel bonæ, aut indifferentes? Non malæ; alias non potuiffent obfervari. Non bonæ; nam lege mortua & facrificio Miffæ introducto Sacramenta & facrificia antiqua jam nihil erant. Non indifferentes; alias etiam nunc licite poffent obfervari. Conf. Si cæremoniæ non fuerunt adhibitæ propter fignificationem futurorum, non fuerunt factæ ut legales, & propter fignificationem a legislatore intentam: ergo non fuerunt aptæ ad cultum Divinum. Refp. Tria tempora cum S. Auguftino diftinguenda effe; primum usque ad promulgationem Evangelii, quo legalia non folum bona, fed etiam præcepta erant. Secundum ftatim poft Evangelium pomulgatum. Hoc legalia non amplius erant præcepta, neque tanquam neceffaria ad falutem poterant exerceri, manebant tamen adhuc quoad fuam inftitutionem, & pium ac religiofum erat illa obfervare. Tertium tempus eft, quando Evangelio jam fufficienter per orbem promulgato, & Synagoga cum honore fepulta, lex omnino fuit prohibita, & facta mortifera, tunc ceffavit etiam legalium inftitutio, eaque mala facta funt. Ad conf. dico, quamvis tunc cæremoniæ non fuerint factæ ex obligatione, potuiffe nihilominus dici legales, quamdiu ex inftitutione legis fiebant, & faltem aliquam fignificationem moralem,

ralem, ac quasi fundamentalem retinebant, figuralem vero participabant, prout esse poterant tempori & personæ accommodatæ. Sic circumcisio Christi, & purificatio B. Virginis legalis fuit, licet non significaretur in illis personis totum id, quod in aliis significabatur.

Obj. 3. Ipsi Apostoli Actor. 15 v. 20 gentibus 133
imposuerunt: *Ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*, quod præceptum iterum restauratum est in Concilio Aurelianensi II sub Vigilio, & in Wormatiensi sub Hadriano II. adeo, ut in hoc ultimo etiam prohibitæ fuerint aves retibus strangulatæ; ergo usus legalium longo tempore in Ecclesia duravit. Conf. Innocent. III cap. unico de purificat. post partum ait: *Licet mulieres non teneantur post partum ab ingressu templi abstinere propter legem Moysis, si tamen abstinere voluerint, devotionem illarum non esse improbandam.* Resp. dist. ant. Apostoli hoc præceperunt vi legis veteris, vel tanquam cæremoniam legis veteris, neg. ant. ex aliis motivis & tanquam præceptum morale, conc. ant. & neg. conf. Sicut prohibitio fornicationis, & esus idolothitorum, quatenus fiebat in idolorum cultum, fuit præceptum morale, sic esus sanguinis, & suffocati prohibitus est; quia in idololatriis gentium peculiari modo usurpabatur, ut testatur Alexander Alensis, & Guilielmus Parisiensis. Expediebat insuper, ut Judæi & gentiles per aliquod commune præceptum magis adunarentur, ut notat S August. testificans hoc præceptum suo tempore jam fuisse sublatum, licet verisimiliter duraverit, quamdiu Imperatores erant idololatræ, & Christiani gentibus immixti. Hinc Concilia citata speciales debuerunt habere rationes, ut illud iterum in suis regionibus restaurarent. Forte ut tali modo homines magis absterreantur a crudelitate, & sanguine etiam humano. Ad confir-

mat. eadem eſt reſponſio ; nam ſeparatio talis mulieris ab ingreſſu Eccleſiæ propter aliquam corporalem immunditiam & indecentiam, modo tantum ſpectat ad honeſtam circumſpectionem, & moralem prudentiam.

134 Quæres 1. An cæremoniis legalibus, antequam factæ ſunt mortiferæ, etiam licite uti potuerint gentiles ? Ratio dubitandi eſt, quia Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa prognatus erat, Titum autem ex patre & matre gentili ortum noluit circumcidere. Reſp. Cæremonias illo tempore etiam gentilibus converſis fuiſſe licitas; fuerunt enim ſacræ & divinæ, & legibus Evangelicis non contrariæ, nec ulla ratione probatur, quod reſpectu gentilium ſpecialem aliquam malitiam aut prohibitionem habuerint. Ad rationem dubitandi dico, Paulum circumcidiſſe Timotheum, ne cognationi ejus videretur Sacramenta vetera omnino reprobare ac contemnere inſtar rituum idololatrarum. Quia autem Judæi contendebant etiam Titum circumcidi debere, ad hoc adduci non potuit, ut defenderet Evangelii veritatem, & oſtenderet circumciſionem non amplius ad ſalutem neceſſariam eſſe, quemadmodum narratur ad Galat. 2.

135 Quæres 2. An Cephas, cui reſtitit Paulus, revera fuerit Petrus Apoſtolus ? Negarunt hoc aliqui antiqui, quorum opinionem iterum reſuſcitavit Harduinus. Sed contrarium teſtantur Patres tam Græci, quam Latini, nominatim Tertullianus, Cyprian. Auguſtin. Gregor. Magn. & S. Hieronym. in epiſtolam ad Galatas, hanc quæſtionem accurate pertractans. Nam 1 ſanctum Petrum fuiſſe cognominatum Cepham extra controverſiam eſt; ei quippe Chriſtus Joan. 1 v. 42 dixit : *Tu es Simon filius Jona : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* 2. Dein poſtquam Paulus ad Galat. 2 v. 9 dixit :

dixit: *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes;* statim subdit: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem;* atqui huic Cephæ Paulus restitit, ut patet ex contextu; *cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti.* Et hic Cephas erat Petrus; cur enim alias Paulus istos tres respectu sui appellaret columnas Ecclesiæ? An non ipsemet repetit illos fuisse Apostolos circumcisionis? Certe nullum alium fuisse Cepham est expressa sententia S. Hieronymi. Nec obstat, quod in epistola ad Tolosanos Martialis Episcopus Lemovicensis se Cepham appellet; nam hæc epistola est supposita, cum illius auctor scribat se baptizasse Stephanum regem, proferatque loca Scripturæ ex versione Hieronymi. Adde quod Martialis jam anno 14 a Christi passione ab Apostolis missus fuerit in Galliam, ibique usque ad finem vitæ manserit, cum tamen Paulus primum circa annum 19 vel 20 a Christi passione Cepham Antiochiæ reprehenderit.

QUÆSTIO V.

An Evangelium sit lex divina a Christo legislatore pro omnibus lata?

LUtherus, Calvinus, Beza &c. docuerunt Christum nullam legem novam condidisse, sed tantum a veteri nos liberasse. Thomas quoque Hob- 136
besius in suo Leviathan ait: testamentum novum in iis tantum locis esse legem, in quibus ita a summa potestate civili facta est, in reliquis autem se tantum habere per modum consilii, quod unusquisque accipere vel rejicere sine injustitia possit. Sed catholica veritas est, in Evangelio non tantum contineri

tinere præcepta moralia, ſed etiam cæremonialia. Ad moralia pertinent præcepta fidei, ſpei, charitatis, decalogi, quæ ſicut prius in lege Moyſis, ſic poſtea in Evangelio iterum præſcripta ſunt: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joan. 15 v. 12. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti,* ad Galat. 6 v. 2. Ad cæremonialia præcepta ſpectant ſacrificium & Sacramenta: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22 v. 19. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI,* Joan. 3 v. 5. Præcepta judicialia lex nova non habet, quia Chriſtus tantum voluit ea ſtatuere, quæ perpetua & immutabilia eſſe expediebat; cum ergo judicialia pro temporum & occaſionum varietate ſæpe mutare conveniat, ſatius judicavit Apoſtolis & ejus ſucceſſoribus, atque comprimis ſummo Pontifici de ejusmodi præceptis ſtatuendi poteſtatem, & arbitrium relinquere: *Paſce oves meas,* Joan. 21 v. 17. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo,* Matth. 18 v. 18.

137 Dicendum 1. Chriſtus non ſolum fuit redemptor, ſed etiam vere & proprie legislator. Eſt de fide, & definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can 21. *Si quis dixerit Chriſtum JEſum a Deo hominibus datum fuiſſe ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema ſit.* Probat. 1. ex veteri Teſtamento, Iſaiæ cap. 33 verſ. 22: *Dominus enim judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos:* quibus verbis Meſſias non ſolum dicitur Salvator, ſed etiam Rex, Judex, & Legislator. 2. Ex novo Teſtamento, in quo Chriſtus paſſim de ſua lege, & mandatis loquitur: *Mandata mea ſervate,* Joan. 14 v. 15. *Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis,* Matth. 28 v. 20. Probatur 3 ratione. Chriſtus eſt Rex noſter: *dabit illi Dominus Deus ſedem patris ejus, & regnavit in domo Jacob in æternum,* Luc. 1 v. 32. Et Pontifex noſter;

ſter: *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JEſum filium DEI*, ad Hebr. 4 v. 14. ergo Chriſtus dare debuit, & revera dedit leges Eccleſiæ; hoc enim exigit officium boni Regis atque Pontificis, ut per congruas leges ſubditos ſuos regat.

Dicendum 2. Evangelium eſt proprie lex præceptiva. Eſt rurſus definitum in Tridentino ſeſſ. cit. 138
can. 19: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* Probatur 1 ex teſtamento veteri: *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jeruſalem*, Iſai. 2 v. 3. Ubi ex contextu conſtat eſſe manifeſtam prophetiam de adventu, & prædicatione Chriſti, & proprietas verbi *Lex* juxta veram regulam interpretandi Scripturam, retinenda eſt, ut libr. 17 de civitate cap. 5 advertit S. Auguſtinus. 2. Ex teſtamento novo: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Matth. 19 verſ. 17. *Mandatum novum do vobis.* Joan. 13 verſ. 34. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, Jacob. 2 v. 10. Probatur 3 ratione. Chriſtus Eccleſiam inſtituit tanquam aliquod corpus myſticum ordinatum ad veram felicitatem, & juſtitiam conſequendam: ergo debuit ferre congruas leges, ſine quibus nulla Reſpublica aut perfecta ſocietas rite adminiſtrari, ſtabiliter conſervari, & ad ſuam felicitatem convenienter dirigi poteſt.

Dicendum 3. Lex Evangelica lata eſt pro omnibus hominibus. Eſt de fide, & conſtat ex verbis 139
Chriſti Matth. ultimo verſ. 18: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes* &c. & Marc. ultimo verſ. 15: *Euntes in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hinc cum Judæi poſt baptizatum Cornelium contenderent, gentilibus non fuiſſe dandum baptiſmum,

mum, hunc errorem Petrus Actor. 11 brevi sermone repulit, eumque latissime refutat Paulus in epistola ad Romanos, ostendens, Christum ejusque legem non fuisse datam ex operibus secundum legem factis, & ideo in Christo non esse distinctionem Judæi & Græci, neque circumcisionem aut præputium aliquid valere, sed fidem per charitatem operantem, quæ quantum est ex parte Christi omnibus sine discrimine communicatur. Ex quo principio colligitur ratio a priori assertionis; quia Christus est Redemptor universalis omnium hominum: ergo etiam est legislator omnium, quia a tempore adventus Christi vivebant, & per observantiam Evangelii salutem & redemptionem participare potuerunt, licet circa eos, qui adventum Christi præcesserunt, munus legislatoris non amplius exercere potuerit, quia non amplius erant viatores. Unde patet, quod Ecclesia Christi non tantum sit particularis, ut synagoga, sed, ut habetur in symbolo, *Catholica*, id est universalis quoad personas, loca & tempora ab institutione Christi.

Objectiones.

140 Obj. 1. Christus non venit in mundum ad judicandum, sed ad salvandum; *non enim Deus misit filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, Joan. 13. v. 17. *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum*, Joan. 12 v. 47. *Ego non judico quemquam*, Joan. 8 v. 15. ergo Christus non est legislator. Confirm. Licet Christus habuerit potestatem ferendi leges, illa tamen non est usus. Hinc ipsemet Pilato dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. 18 v. 36 Resp. trans. ant. neg. cons. Primus textus ad explicandum DEI in homines amorem significat, quod licet DEUS jure potuisset filium mittere in mun-

mundum, ut eum tot scelerum reum perderet, nihilominus miserit filium ad mundum redimendum & salvandum, ut adeo τo *judico*, idem significet ac *condemno, punio, in tartarum mitto.* Textus secundus eodem modo denotat, quod tunc non fuerit tempus judicii sed misericordiæ, sed statim additur: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die.* Textus tertius a S. Augustino exponitur, quod Christus non judicet seu testimonium perhibeat secundum carnem, id est, erronee & falso, ut Pharisæi, qui Christum criminabantur, quod de se ipse testimonium perhiberet. Porro ipse Christus Joan. 5 v. 22 ait: *Pater omne judicium dedit filio.* Ad confirm. neg. ant. cujus falsitas satis patet ex probationibus. Quamvis autem regnum Christi non fuerit temporale, aut terrenum, vere tamen a Patre constitutus fuit Rex universorum, habens regnum spirituale & æternum, unde acute Augustinus tractat. 115 in Joan. *Hinc non ait, regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo*, seu acceptum ab hominibus.

Obj. 2. Lex Evangelica est lex fidei. *Ubi ergo* 141
gloriatio tua? exclusa est, per quam legem? factorem? non: sed per legem fidei, ad Rom. 3 v. 27. *Gratia estis salvati per fidem non ex operibus*, ad Ephes. 2. v. 8. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, ad Roman. 4 v. 2. ergo lex Evangelica tantum obligat ad credendum. Confirm. Patres sæpe dicunt: solam fidem in Christum justificare. Origenes in cap. 3 epist. ad Rom. *Credentem justificari, etsi ab eo nihil operis fuerit expletum.* Basilius Homil. de humilit. *Quod aliquis veniat ad gratiam non merito præcedentium operum sed fide.* Resp. Quod sola fides non justificet, hic tuto supponimus, præsertim quia ad ipsam fidei conservationem & exercitium illius alia præcepta sunt

ſunt neceſſaria. Dicitur autem Evangelium lex fidei; quia in ſe habet ſpiritum & gratiam, cujus fundamentum & radix eſt fides, & quia omnia, quæ præcipit, ſunt principaliter fundata in fide. Atque hoc in ſenſu Apoſtolus opponit legem Moſaicam ſeu factorum legi novæ, docens hominem non juſtificari per cæremonias & opera legis, ſed per fidem Chriſti juſtificationis gratiam conſequi, ſiquidem non deſint aliæ conditiones requiſitæ. De Abrahamo conditionate loquitur, eum videlicet non habiturum gloriam apud Deum, ſi tantum ex operibus non provenientibus ex gratia fidei juſtificatus eſſet, ut ii putabant, qui ſuis viribus tribuebant juſtitiam. Ad confirm. S. Patres debent intelligi de fide viva, & aliis conditionibus neceſſariis veſtita. Item de excluſione legis Moſaicæ aliorumque operum mere naturalium, præſertim externorum & fidem præcedentium, quæ utique gratiam de condigno mereri non poſſunt: ſicut viciſſim fidelis per Baptiſmum rite ſuſceptum ſtatim juſtificatus eſt, etſi nullum adhuc aliud opus bonum exercuerit.

142 Obj. 3. Lex nova eſt lex gratiæ: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt*, Joann. 1 v. 17 Hinc. 2 ad Corinth. 3 v. 3 dicitur *ſcripta in tabulis cordis carnalibus*. Et Jerem. 31 v. 33 ſcripta *in viſceribus*: ergo lex Evangelica vitam æternam confert gratis ſine conditione operum. Confirm. Lex nova dicitur Evangelium ſeu bonum nuntium. Hinc Chriſtus Apoſtolos tantum miſit, ut regnum DEI prædicarent, & baptizarent, & quidem ſicut oves ad lupos, non ſicut reges ad ſubditos: ergo lex Chriſti nullam inducit obligationem, *ſed qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, Marc. 16 v. 16. Reſp. conc. ant. nec. conſ. Evangelium dicitur lex gratiæ non quaſi minus proprie obligaret, quam lex Moyſis, ſed quia ex propriis confert gratiam ſanctificantem & gratiæ auxilia longe abundantiora, quam data ſunt in lege veteri. Unde

etiam

etiam cum tanta gratiarum abundantia promulgata fuit, ut semper in cordibus hominum potuisset durare, licet scripta non fuisset. Cumque sine gratia vita æterna non possit obtineri, hæc quidem gratis confertur, non tamen sine conditione, ut nos cooperemur; hinc Paulus ad Rom. 8. v. 13. ait: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ad conf. Evangelium dicitur bonum nuntium, quia peccatorum remissio, adoptio filiorum, corporum resurrectio, & beatitudo æterna in ea promittuntur. Rationes vero additæ solum probant, quod Christus non condiderit legem timoris, terroribus ac pœnis temporalibus terribilem, nihilominus etiam iis fidelibus minatur pœnam æternam, qui mandata non observant. *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim & non dedistis mihi manducare &c.* Matth. 25 v. 41 & seqq.

Obj 4. Lex Evangelica est lex libertatis: *Lex* 143
Spiritus vitæ in Christo JEsu liberavit me a lege peccati, & mortis, ad Rom. 8. v. 2. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis,* Jacobi 1. v. 52. ergo lex Evangelica nos liberat ab omni onere. Conf. Etsi fidelis peccaret, ipsi tamen hoc peccatum non imputaretur, quia a Christo jam esset liberatus, nam *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum,* ad Galat. 3. v. 13, id est, liberavit nos a culpa & pœna illam in se suscipiens. Resp. conc. ant. neg. conf. Lex Evangelica est lex libertatis, vel quia nos liberat a jugo legis Mosaicæ, vel quia nos liberat per gratiam a reatu & dominatu concupiscentiæ; non vero quod liberet nos ab omni onere præceptorum, ut manifestum est ex loco Jacobi cit. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Ad conf. quæro quomodo ergo aliquis possit peccare, si non detur lex? Cur Deus minetur peccatoribus damnationem non solum ob defectum fi-

dei, ſed etiam ob alia peccata ? Nempe Chriſtus nos redemit a culpa & pœna merendo nobis gratiam, ut pœnam & maledictionem transgreſſoribus ſtatutam evitemus, vel poſt peccatum admiſſum per veram pœnitentiam reatum pœnæ & culpæ iterum delere poſſimus.

144 Dices 1. Ad Galat. 5 v. 18 expreſſe dicitur : *Si Spiritu ducemini, non eſtis ſub lege.* & 2 ad Corinth. 3 v. 17 : *Ubi Spiritus, ibi libertas* : ergo. Conf. poſtquam S. Paulus ad Galat. 3 dixerat illos, qui ex fide ſunt, benedicendos eſſe cum fideli Abraham, poſtea v. 10 ſubjungit : *Qui ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt* : ergo qui ſervando legem juſtificari volunt, maledicti ſunt. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Juxta S. Auguſtinum enarration. in Pſalm. 1 : *Aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege, qui eſt in lege ſecundum legem agit* (ex affectu juſtitiæ legem ſervans) *qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur* (timore compulſus) *ille ergo liber, iſte ſervus.* Itaque ſenſus primi textus eſt : qui Spiritus ſancti ſequuntur inſtinctum, & ita ex affectu juſtitiæ legem ſervant, non ſunt ſub lege terrente, premente, vindicante, ſicut ii, qui legem transgrediuntur, aut illam tantum ſervant ex metu ſerviliter ſervili. In ſecundo textu Apoſtolus loquitur de libertate affectus, qua fruuntur, qui legem obſervant ex amore juſtitiæ, & qua carent, qui illam ſervant ex ſolo timore pœnæ & vindictæ. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Sunt maledicti, ſi ſine fide & gratia legem ſervare, & ita juſtificari volunt, conc. conſ. ſi id volunt per fidem & gratiam, neg. conſ. Apoſtolus loco citato duo oſtendit. Primum eſt, quod circumciſio, & cæremoniæ legales non amplius ſint ad ſalutem neceſſariæ. Alterum ex operibus legis ſine fide nullam eſſe juſtitiam ; alias Chriſtus gratis mortuus eſſet.

145 Dices 2. Tamen ipſe Chriſtus Matth. 11 v. ult. dixit : *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* ;

atqui

atqui hoc non esset verum, si fideles tenerentur servare mandata. Hinc Petrus Actor. 15 v. 10 ait: *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec Patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri JEsu Christi credimus salvari.* Conf. Præcepta moralia sunt difficiliora, quam fuerunt cæremonialia, & præsertim aliqua præcepta Evangelica, uti præceptum confessionis, sunt valde difficilia. Resp. conc. maj. neg. min. Jugum Christi suave est, & onus leve tum respectu legis veteris; cum abolita modo sint tot sacrificia, & genera holocaustorum, ablata legalis immunditia ciborum, carnalis circumcisio, purificationum & cæremoniarum antiqua præscriptio, nec amplius opus sit, ut omnes undique ascendant Jerosolymam ad sacrificia, & festivitates celebrandas: tum absolute, cum universa Christianorum lex ad charitatem referatur, Deus autem abunde subministret Spiritum bonum petentibus. S. Petrus, ut ex contextu patet, solum locutus est de lege veteri cæremoniali. Ad conf. Lex moralis Evangelica non debet comparari cum sola cæremoniali antiqua, sed cum cæremoniali & morali simul; sic autem lex Evangelica multo est facilior, & ea ipsa, quæ aliquibus gravia videntur, levia apparent illis, qui illorum necessitatem & utilitatem attentius considerant. Certe præceptum Pœnitentiæ solum illos obligat, qui libere peccaverunt, & sicut pœnitentia peccatoribus summe necessaria & optabilis est, ita forma illius humanæ imbecillitati satis est accommodata.

QUÆSTIO VI.

Quando Lex Evangelica cœperit obligare?

QUæstio hæc magnam connexionem habet cum 146
illa, quam secundo loco hujus disputationis tractavimus; unde auctores de ista ferme eodem

 modo

modo loquuntur. Hæretici quidam contendunt legem novam inſtitutam eſſe a S. Joanne Baptiſta. Ex Catholicis pro ejus initio aliqui aſſignant tempus mortis, vel reſurrectionis Chriſti, aliqui diem Pentecoſtes: controvertitur autem de ſola obligatione; cum certum ſit multa a Chriſto jam fuiſſe inſtituta ante mortem, uti Baptismus, Euchariſtia, Sacerdotium, Sacrificium, cæterea vero poſt reſurrectionem ante aſcenſionem conſummata, uti Sacramentum pœnitentiæ, ordo Epiſcopalis, Eccleſiæ Monarchia &c. pariter juxta veriorem doctrinam utilitas horum myſteriorum ſtatim incepit, quando inſtituta ſunt, e. g. Baptismus cœpit eſſe utilis & gratiam conferre, quam primum a Chriſto inſtitutus eſt, & juxta S. Auguſtin. epiſt. 108 Apoſtoli jam ante paſſionem Domini baptizati ſunt, quia veriſimile non eſt Chriſtum in cœna ultima Euchariſtiæ, & ordinis Sacramentum dediſſe Apoſtolis non baptizatis.

147 Dicendum 1. Lex Evangelica primum cœpit obligare die Pentecoſtes. Probatur. Tunc & non antea cœpit obligare lex Evangelica, quando publice & ſolenniter fuit promulgata; ſed hoc primum contigit die Pentecoſtes, quo Apoſtoli repleti Spiritu ſancto variis linguis loqui, & Evangelium prædicare cœperunt. Et ideo Chriſtus ab Apoſtolis receſſurus Matth. 28 v. 19 eis dixit: *Euntes docete omnes gentes, & prædicate Evangelium*, utique poſt receptum Spiritum ſanctum; nam de priore tempore Luc. 24 v. 49 dixerat: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Conf. 1. Quia ante mortem Chriſti neque confirmatum erat Teſtamentum novum, ut dicitur ad Hebr. 9 v. 16. neque confirmatum pactum & fœdus promiſſum Jerem. 31 v. 31. neque ulla lex poſitiva poteſt oſtendi, quæ tunc jam obligaverit. Conf. 2. Chriſtus non complevit inſtitutionem ſuæ Eccleſiæ ante tempus proximum aſcenſioni, ut patet ex Joan. cap. 20 v. 22 & 23. ubi Sacramen-

mentum Pœnitentiæ inſtituit, & cap. 21 v. 15. ubi creavit Petrum in ſummum Pontificem, in quo ſunt data erat Eccleſia juxta promiſſionem factam Matth. 16 v. 18. atqui non eſt veriſimile Chriſtum obligaſſe ad ſuam legem, priusquam erat Eccleſia, pro qua illam legem ferebat.

Dicendum 2. Lex Evangelica die Pentecoſtes 148
non ſtatim obligavit omnes Judæos, & gentiles, ſed ſucceſſive. Probatur. Quia non potuit obligare per modum legis, niſi poſtquam pro toto orbe facta fuit ſufficiens promulgatio: hæc autem fieri non potuit, nec facta ſimul eodem tempore; alias etiam remedium naturæ eodem tempore pro toto orbe fuiſſet abrogatum, quod de divina providentia, & miſericordia credi non poteſt. Cœpit igitur Evangelium primum prædicari Judæis juxta illud Petri Actor. 3 v. 25: *Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros - - vobis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum.* Similiter Paulus Judæos, qui Antiochiam Piſidiæ incolebant Actor. 13 v. 46, ita alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum DEI, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ: ecce convertimur ad gentes.* Et vero intra aliquot annos usque ad converſionem Cornelii centurionis, Apoſtoli ſolis Judæis, & proſelytis prædicarunt, eosque ſolos ad Baptismum admiſerunt. Unde Cornelio baptizato mirati ſunt fideles, & *glorificaverunt Deum dicentes: ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam,* Act. 11 v. 18.

Ex quibus cum Suario inferes 1, Gentiles pri- 149
mum cœpiſſe obligari Evangelio poſt revelationem Actor. 10 S. Petro factam de illis admittendis ad baptismum; quia lex nova antea nunquam fuit promulgata pro gentilibus. Neque refert, quod multi gentiles habitantes vel peregrinantes inter Judæos doctrinam Apoſtolorum audiverint & ſigna

viderint; ex hoc enim tantum sequitur, quod lege naturali tenebantur ad credendum, & colendum verum Deum, vel etiam Christum, & ad sperandam salutem per ipsum. Ast ideo non obligabantur lege Evangelica positiva, aut ad Baptismum suscipiendum, ad quem ne quidem admittebantur. 2. Post illam revelationem Petro factam Apostoli libere cœperunt Evangelium prædicare etiam gentibus, ita ut adhuc illis viventibus lex Evangelica omnes homines obligaverit. Ad sufficientem enim promulgationem satis fuit, ut Evangelium annuntiaretur in multis & variis orbis terrarum partibus, unde ad alios hujus intimationis fama pervenire potuisset, licet ob negligentiam aut malitiam hominum ad illos non pervenerit; atqui ante mortem Apostolorum partim per ipsos Apostolos, partim per alios viros pios ab ipsis missos lex Evangelica in multis, & variis orbis partibus promulgata est, & sufficiens tempus fluxit, quo etiam pervenire potuisset ad reliquas regiones.

Objectiones.

150 Obj. 1. Christus jam in vita sua sufficienter promulgavit novam legem; multa enim instituit Sacramenta, revelavit mysteria, & dedit præcepta moralia Matth. cap. 5, 6, & 7: ergo lex nova jam tunc incepit obligare. Conf. Ante mortem Christi Judæi jam tenebantur credere mysteria a Christo revelata, eumque verum esse Messiam juxta illud Joan. 15 v. 24: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* ergo jam tunc obligabat lex fidei, & Judæi tenebantur Christo obedire. Resp. neg. ant. Nam tum Christus ferme tantum docuit privatim & respective coram paucis, nec Ecclesia nova jam fundata erat, & fœdus novum confirmatum. Ad legem autem tanquam regulam

lam publicam, & præceptum communitatis requiritur publica, & solennis promulgatio, ut jam advertimus num. 19. Ad conf. conc. ant. dist. conf. ergo jam tunc obligabat lex naturalis fidei, conc. conf. lex positiva, neg. conf. quando per sufficientia signa credibilitatis doctrina a Deó revelata proponitur, ex ipsa natura rei datur obligatio credendi, adeoque illi, quibus per signa & prodigia innotuit, Christum esse Messiam, tenebantur ex lege naturali in eum credere, imo etiam ei obedire saltem in animi præparatione, si quid præciperet sive præcepto privato, sive publico per modum legis universalis.

Obj. 2. Quamvis ex institutione hominum requira- 151
tur publica promulgatio ad legem humanam, non tamen requiritur ad legem divinam; quis enim hunc modum ferendi leges Deo præscripsit? hinc ipse Christus Joan. 6 v. 54 dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et Joan. 3. v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.* In quæ verba S. Augustin. lib. 1. de origine animæ cap. 9. ait: *Ex quo illud a Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine baptismo aquæ vel sanguinis.* Conf. Christus in cœna ultima sacerdotibus præceptum celebrandi imposuit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19. Resp. neg. ant. Quamvis modum leges ferendi nemo possit DEO præscribere, ipsa tamen conditio hominum requirit, ut leges divinæ pro communitate latæ publice innotescant; hinc lex tam antiqua quam nova jussu divino publice promulgata fuit. Ad textus Scripturæ additos dico illa verba a Christo dicta esse pro tempore, quo futura erat sufficiens promulgatio; nam Eucharistia tunc ne quidem erat instituta, sed tantum prænuntiabatur. Et Christus interrogatus, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, Matth. 19 v. 16 tantum respondit: *Serva mandata*, nulla facta men-

tione Baptismi. S. Auguftin. vero folum dicit, quod fine Baptismo nullus poffit effe Chriftianus, feu membrum Ecclefiæ Chrifti. Ad conf. Præceptum illud erat tantum privatum, tunc datum folis Apoftolis, & quidem non exfequendum ante mortem Chrifti, fed poftea fuo tempore.

152 Obj. 3. Ipfe Chriftus præcepit: *Euntes in mundum univerfum prædicate Evangelium omni creaturæ* Matth. ultim. v. 19; & quando Petrus die Pentecoftes Hierofolymis Evangelium promulgavit, aderant Judæi, & profelyti ferme ex toto mundo: ergo lex Chrifti ftatim cœpit obligare totum mundum. Conf. Orta fub Stephano feditione difcipuli difperfi jam cœperunt Evangelium prædicare Samaritanis, Actor. 8 v. 1. Paulus quoque in primo acceffu ad Hierufalem, locutus eft gentibus; & difputavit cum Græcis, Actor. 9 v. 29: Philippus vero ante Cornelium baptizavit Eunuchum reginæ Candacis. Refp. dift. ant. ut prædicarent omni creaturæ fucceffive, & fuo tempore, conc. ant. ftatim initio, neg. ant. & conf. Qui die Pentecoftes aderant Judæi, imprimis non omnes crediderunt. Dein fucceffione opus fuit, ut ad fuas regiones redirent, denique etiam ibi non ftatim fufficientem potuerunt facere fidem. Ad conf. Samaritani erant Judæi, licet in moribus & doctrina errantes. De S. Paulo non dicitur, quod prædicaverit, fed tantum quod locutus fit, & difputaverit cum gentibus, fi tamen fuere gentiles, & non potius Judæi vel profelyti, qui ex provinciis gentium Jerofolymam venerant. Eunuchus denique probabilius Judæus, vel faltem profelytus fuit, ut colligit S. Chryfoft. Hom. 19 in acta; quia tantam pietatem, reverentiam & affectionem ad facram Scripturam oftendit, certe quando Actor. 11 difcipuli ob perfecutionem usque Phœnicem & Cyprum pervenerunt, expreffe teftatur Scriptura, quod *nemini locuti fint verbum, nifi folis Judæis.*

Di-

Dices. De facto adhuc dantur multi ethnici & 153
gentiles, qui nihil omnino audierunt de Evangelio: ergo juxta nos lex Evangelica hodie nondum omnes obligaret. Conf. Quando lex promulgatur in metropoli Principis, statim totum principatum obligat, imo lex Ecclesiastica obligat totum mundum, etsi tantum Romæ sit promulgata: ergo etiam Evangelium obligavit totum mundum, quamprimum fuit promulgata Jerosolymis. Resp. conc. ant. dist. conf. Nondum omnes obligaret in actu secundo, conc. conf. in actu primo, neg. conf. Ejusmodi gentiles non obligantur lege Evangelica in actu secundo ob inculpabilem ignorantiam, qua laborant, obligantur tamen in actu primo, quia lex per sufficientem promulgationem jam est in suo statu completa, & ad omnes pervenire potuit; quod autem per accidens non pervenerit, nihil obstat, ut in simili diximus num. 119. Ad conf. transf. ant. dist. conf. quamprimum fuit promulgata, & ejus promulgatio sufficienter moraliter innotescere potuit, transf. conf. si non potuit moraliter innotescere, neg. conf. ut promulgatio Evangelii ubique sufficienter innotesceret, non statim suffecit prima Petri allocutio, sed ulterius per signa & prodigia demonstrari debuit, quod hæc promulgatio revera divina auctoritate fiat. Unde Christus cum Marc. ultim. Apostolis præcipit, ut toto terrarum orbe Evangelium prædicent, simul dat eis potestatem prædicationem suam variis signis, & prodigiis confirmandi.

Quæres 1. An & quomodo lex Evangelica ju- 154
stificet? Resp. quod lex Evangelica ex se & propria virtute justificet, jam indicavi num. 95, & ulterius colligitur ex Apostolo, dum ad Roman. 1. vers. 16 dicit: *Non erubesco Evangelium; virtus enim DEI est in salutem omni credenti.* Et 1 ad Cor. 15 v. 1 & 2: *Notum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis - - - - per quod & salvamini.*

Ubi vides Apostolum salutem adscribere Evangelio, salus autem non nisi per justificationem obtinetur; nempe lex nova etiam constat ex Sacramentis & sacrificio Missæ. Jam vero Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, & sacrificium ex opere operato gratias actuales, quibus injusti ad primam justificationem se disponere possunt, justi vero augere justitiam suam. Congruentia a priori est, quia lex nova præsentem habet Christum suum auctorem, & institutorem, adeoque propter merita ipsius jam exhibita, & pretium pro redemptione nostra persolutum, meretur hanc prærogativam præ lege naturæ & Mosaica, ut ex se ipsa gratiam, & justificationem conferat; quo tamen non obstante etiam in lege veteri, licet non ex vi legis, gratia interior ad servanda præcepta dabatur, & salus obtineri potuit, ut docet S. Paulus ad Rom. 9 v. 4: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio.* Videatur num. 93.

155 Quæres 2. An lex Evangelica possit mutari? Resp. 1. Quod Deus in præceptis positivis (de naturalibus jam diximus disputat. 1 q. 4) dispensare, eaque, si vellet, mutare posset, videtur extra dubium; tulit enim hæc præcepta liberrime, potuisset esse contentus sola lege naturæ, restrinxit legem Mosaicam ad solos Judæos, & denique omnino abrogavit. 2. Nemo hominum, ne ipse quidem Pontifex in præceptis divinis positivis dispensare potest; quia Deus nunquam legitur hanc potestatem concessisse, & potius cederet in destructionem quam ædificationem Ecclesiæ; cum enim in lege nova non dentur alia præcepta positiva, quam quæ pertinent ad Sacramenta, & sacrificia, facile labefactaretur unitas Ecclesiæ, si in his aliquid mutare liceret. Hinc quando Christus dixit: *Quodcunque solveris super terram &c.* hæc verba nimis generalia non debent extendi ad concessionem rei tam gravis & extraordinariæ, ut videntur ipsi Pontifices

tifices agnoviſſe; cum nunquam hac poteſtate uſi ſint, ſed quando diſpenſarunt e. g. in matrimonio rato, vel adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis ſimplici ſacerdoti conceſſerunt, dicendum eſt, iſta non eſſe de jure divino. 3. Aliud eſt de illis præceptis, quæ quidem in novo Teſtamento continentur, vel jam a tempore Apoſtolorum obſervantur, ſed mere humana ſunt, uti prohibitio de eſu ſanguinis & ſuffocati, præceptum de celebranda die Dominica, jejunio quadrageſimali, de non ordinandis bigamis &c.

Quæres 3. An lex nova aliquando a Deo ſit 156
mutanda, vel utrum ſemper ſit duratura? Reſp. Lex nova durabit usque ad finem mundi. Reſponſio hæc eſt contra Montanum, qui circa annum Chriſti 173 blasphemare auſus eſt, legem a Chriſto datam ſuo ſæculo finitam eſſe, & ſe tanquam Paracletum a Chriſto promiſſum meliorem afferre. Huic inſaniæ poſtea etiam adhæſit Manetes. Demum etiam Mahumetes, ut ſectæ ſuæ auctoritatem conciliaret, aſſeruit, ſicut adveniente lege Evangelica ceſſavit lex Moſaica, ſic adveniente Alcorano ceſſaſſe Evangelium, quod juxta ipſum ſexcentis tantum annis duravit. Verum contra eſt 1; quia ſacra Scriptura non tantum dicit de lege nova, quod ſit in æternum duratura, ſicut de lege veteri, ſed expreſſe ait: *Chriſtus regnabit in domo Jacob* (id eſt in Eccleſia ſua) *in æternum, & regni ejus non erit finis*, Luc. 1 v. 32, *poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur*, Daniel. 7 v. 14, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum*, Pſalm. 109 verſ. 4. Contra eſt 2. Sicut lex vetus pro fine habuit adventum Chriſti, ſic lex gratiæ pro ſine habet gloriam, regnumque ſanctorum, adeoque ſocietatem Chriſtianorum ſola hæreditas ſupernorum civium ſequitur juxta illud 1 ad Cor. 13 v. 10: *cum venerit,*

quod

quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Profecto juxta S. Thomam, nemo potest sibi imaginari legem, quae pro statu praesentis viae perfectius cum Deo ultimo fine conjungat, quam lex Evangelica, quae insuper offerendo Deo in sacrificium ipsum DEI filium, perfectissimum Deo cultum exhibet.

DISPUTATIO III.

De lege humana.

157 Leges tam civiles, quam Ecclesiasticas varie impugnarunt haeretici. Aliqui ipsam potestatem ferendi leges negabant. Sic 1 circa adventum Christi, *in diebus professionis, quando exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur orbis universus, & ibant omnes, ut profiterentur,* exstitit Judas quidam Galilaeus, qui, ut Actor. 5 v. 37 dicitur, avertit populum post se, & spargere coepit, non licere fidelibus alium dominum recognoscere quam Deum, ideoque legibus principum saecularium parendum non esse. 2. Postea magna exaggeratione docuit Lutherus dicens, Christianis nullam sive ab hominibus, sive ab Angelis imponi posse legem, nisi quantum ipsi velint. Lutherum secuti sunt Anabaptistae, & Trinitarii, contendentes non licere Christianis gerere Magistratus, nec inter Christianos debere esse tribunalia, judicia &c. 3. Marsilius Paduanus negavit Christum Ecclesiae dedisse ullam potestatem jurisdictionis, sed tantum potestatem praedicandi, & ministrandi Sacramenta, qui error primo tribui potest Aetio, quatenus dixit jejunia Ecclesiae non esse servanda. Eundem errorem amplexi sunt Waldenses, Wicleff. Joannes Huss, Lutherus, Melanchton, Calvin. &c.

Secun-

Secundus error hæreticorum eſt, quod leges 158
tam civiles quam Eccleſiaſticas privent vi obligandi in conſcientia, ſola videlicet fide, & libertate Evangelica confiſi. Tales fuerunt Waldenſes, Joannes Wicleff. Joannes Huſs, & Joannes Weſſalia, inter cujus articulos Moguntiæ anno 1479 damnatos primus erat: *Non poſſe prœlatos Eccleſiæ condere legem quæ obliget in conſcientia.* 2. Lutherus, qui ut non ſolum verbis ſed etiam factis Eccleſiaſticas leges damnaret, anno 1520 totum jus canonicum publice combuſſit, ut ſcribit Joannes Cochlæus in vita Lutheri. 3. Calvinus; nam licet contra Anabaptiſtas defendat in Eccleſia debere eſſe leges civiles, negat tamen ejusmodi leges obligare in conſcientia. Adhuc pejus loquitur de prælatis Eccleſiaſticis; ait enim, Pontificem & Epiſcopos, qui ſuis legibus onerent conſcientias ſubditorum, eſſe tyrannos & carnifices conſcientiarum, & eorum leges eſſe impias & libertati Chriſtianorum repugnantes.

Errant hæretici tertio, quod aſſerant poteſtatem 159
leges condendi dependere a fide, aut moribus legislatoris, nec ſe extendere ad obligandos fideles & juſtos; nam 1 Montaniſtæ exiſtimabant, morum ſanctitatem adeo neceſſariam eſſe in Epiſcopo, ut Epiſcopus malus non ſit Epiſcopus verus, nec vera & legitima poteſtate fruatur. 2. Waldenſes affirmabant, principes iniquos vel infideles non habere civilem poteſtatem, conſequenter non poſſe ſuis legibus ſubditos obligare. 3. Hunc errorem rurſus excitavit & auxit Wicleffus, cujus in Concilio Conſtantienſi damnatus eſt hic articulus: *Nullus eſt dominus civilis, nullus eſt Prœlatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Wicleffum poſtea ſecutus eſt Joannes Huſs, damnatus in eodem Concilio; cujus veſtigia etiam premunt Proteſtantes, hoc titulo ſuam ab Eccleſia Romana defectionem palliantes, quod iſta fuerit in fide, & moribus deformata, adeoque Romanum Pon-

Pontificem non esse Christi Vicarium. Hinc illa blasphemia Lutheri: Caveamus a peccatis, sed multo magis a legibus & bonis operibus, & tantum attendamus ad DEI promissionem & fidem.

160 Quartus error est, quod hæretici potestatem Ecclesiasticam confundant cum civili. 1. Juxta Marsilium Paduanum clerici, & Prælati Ecclesiæ in omnibus dispositioni & jurisdictioni principum subjecti sunt, excepta administratione Sacramentorum & prædicatione verbi DEI. 2. Illyricus centur. 1. lib. 2 cap. 7 docet: nullum esse in Ecclesia, qui omnibus præsit, sed auctoritatem Ecclesiasticam esse in ministris & populo. Eandem Calvinus tribuit cœtui seniorum, Brentius vero principibus sæcularibus, hinc totam Ecclesiæ curam optimatibus adjudicat, Episcopos vero adeo deponit, ut velit esse principum mancipia. 3. Henricus VIII Angliæ Rex, licet prius adversus Lutherum in Petri sedem debacchantem librum ediderit, in eoque disertis verbis professus sit, Lutherum non posse negare, quin omnis Ecclesia fidelium, sacrosanctam sedem Romanam velut matrem, primatemque recognoscat, tamen postea amore Annæ Bolenæ captus edito alio libro omnino diversa scripsit, nempe reges temporales quoad spiritualia nemini alteri subjectos esse, sed potestatem Ecclesiasticam regio sceptro esse annexam, ideo se ipsum esse summum pontificem Ecclesiæ Anglicanæ. Hanc doctrinam in suo jure naturæ sedulo tuetur Puffendorffius, aliique regum adulatores, & hostes Ecclesiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An detur potestas ferendi leges civiles & politicas?

HOmines considerari possunt vel singuli secundum se, vel prout sunt membra alicujus familiæ, aut communitatis perfectæ. In prima consideratione patet, quod ex natura rei in nullo seorsim sumpto detur potestas ferendi leges; singuli enim nascuntur liberi, & nullus habet jurisdictionem politicam, vel dominium in alios. Pariter ex dictis num. 6 constat potestatem legislativam non dari in communitate tantum imperfecta: hinc Adam tantum habuit potestatem patriam in filios, quamdiu non fuerunt emancipati, vel œconomicam in familiam, siquidem decursu temporis etiam famulos acquisivit, adeoque potestas ferendi leges tunc primum incipere potuit, quando homines in communitates perfectas congregati sunt, & pro suo arbitrio certum modum regiminis statuerunt; nam politica gubernatio alia est simplex seu Monarchica, id est per unum caput supremum, alia Aristocratica per magistratus & optimates, alia Democratica per populum & plebejos, ex quibus rursus variæ gubernationes mixtæ & compositæ confici possunt. 161

Dicendum. In communitate perfecta datur potestas ferendi leges civiles, & politicas. Est de fide, & probatur auctoritate 1, Christus ipse & verbo & exemplo docuit principibus sæcularibus obediendum esse; nam Lucæ 20 interrogatus, an liceret tributum dare Cæsari? tacite redarguens Judæos v. 25 respondit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et Matth. 17 v. 26 pro se & Petro solvit didrachma census. 2. Eandem obedientiam erga principes sæpius mandant Apostoli: *Omnis anima subli-* 162

mio-

mioribus potestatibus subdita sit, ad Rom. 13 v. 1, ubi juxta S. Augustin. Chrysostom. &c. sermo est de potestate politica. Ipse autem Apostolus addit: *ideo necessitate subditi estote,* significans non esse subjectionem urbanitatis aut arbitrariam, sed necessariam & ex obligatione; hinc etiam ad Titum 3 vers. 1 scribit: *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire &c.* Similiter S. Petrus epist. 1 cap. 2 v. 13 ait: *Subditi estote omni creaturæ propter Deum* (id est omni homini, qui vices DEI gerit) *sive regi quasi præcellenti, sive ducibus a Deo missis ad vindictam malefactorum.* 3. In hanc sententiam conspirant Patres, ex quibus S. Clemens lib. 4 constitut. cap. 12 ait: *Estote subjecti omni regi, & potestati in iis, quæ Deo placent tanquam ministris DEI, & impiorum judicibus - - exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum &c. hæc enim est lex DEI.*

163 Probatur conclusio 2 ratione. Homo ex natura sua propensus est ad civilem societatem, eaque ad convenientem hujus vitæ conservationem maxime indiget, quod a Deo sic ordinatum esse ad conciliandam inter homines concordiam & charitatem longo discursu expendit S. Chrysostom. homil. 31; non potest autem communitas hominum sine justitia & pace conservari, neque conservari potest justitia & pax sine gubernatore, qui potestatem præcipiendi, & coercendi habeat, ut agnoverunt etiam ethnici, Aristoteles, Plato, Cicero &c. ergo in humana communitate necessario debet dari potestas legislativa. Propterea Proverb. 11 v. 14 dicitur: *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Et Ecclesiast. 10 v. 16 additur: *Væ tibi terra, cujus rex puer est.* Confirm. Humana societas se habet per modum unius corporis, quod sine variis ministris, & ordinibus personarum, quæ sunt instar plurium membrorum, subsistere non potest. Jam vero nul-

lum

lum corpus poteſt conſervari, niſi detur aliquod principium gubernans, & bonum commune procurans, ut patet in exemplo de navi, quam neceſſe eſt perire, ſi gubernator deſit, de exercitu, ſi deſit dux &c.

Objectiones.

Obj. 1. Homo natura ſua eſt liber, nemini ſubjectus, niſi ſuo Creatori: ergo principatus & poteſtas legislativa eſt contra ordinem naturæ, & inducit tyrannidem. Confirm. Principatus introductus eſt per vim; nam de Nemrod Geneſ. 10 v. 9 & 10 dicitur: *Ipſe cœpit eſſe potens in terra; fuit autem principium regni ejus Babilon.* Similiter de Alexandro dixit Lucanus: fuiſſe felicem terrarum prædonem; quod etiam ſignificat S. Auguſt. lib. 4 de civit. cap. 4. Reſp. diſt. ant. Homo eſt liber, & nemini ſubjectus, niſi ſit conſtitutus in aliqua communitate, tranſ. ant. ſi in aliqua ſit conſtitutus, neg. ant. & conſ. Quamvis homo liber creatus ſit, eſt tamen aptus, ut juſta & rationabili de cauſa alteri poſſit ſubjici. Imo ex ſuppoſito, quod in ſocietate civili vivere velit, hæc ſubjectio eſt neceſſaria, ſicut ſuppoſita generatione naturali ſubjectio filii ad patrem, vel ſuppoſito pacto matrimoniali ſubjectio uxoris ad virum. Ad confirmat. Licet aliqua regna per tyrannidem introducta ſint, quod neutiquam ad rationem intrinſecam & naturam principatus, ſed ad hominum abuſum pertinet, id non poteſt dici de omnibus regnis; nam Iſraelitis Deus ipſe duces & reges conſtituit, & alii fuere principes ſancti & laudati in Scriptura, Melchiſedech, Abraham, Job &c. 164

Obj. 2. Iſai. 33 v. 22 dicitur: *Dominus judex noſter, dominus legifer noſter, dominus rex noſter.* Et Jacob. 4 v. 12: *unus eſt enim legislator & judex*: ergo Scriptura poteſtatem ferendi leges tribuit ſoli Deo. Confirm. Deus Oſeæ 8 v. 4 ait: *Ipſi regnaverunt,* 165

& non ex me, principes exstiterunt, & non cognovi eos. Resp. conc. ant. dist. conf. tribuit soli Deo potestatem ferendi leges supremam & independentem, conc. conf. participatam, & subordinatam, neg. conf. In primo textu Isaias excitat populum ad fiduciam in Deum, & ejus protectionem, eo quod Deum peculiari modo regem, judicem, & legislatorem habeat. Per quod Deo quidem tribuit, quod proprium est DEI, sed non negat hominibus, quod ab ipsis participari potest. Locus Jacobi potest intelligi vel de legislatore & judice summo, ut indicant verba addita: *Qui potest perdere & liberare.* vel *τo unus* non singularitatem, sed identitatem significat hoc sensu: ille qui est legislator, est etiam judex, nec alius debet usurpare judicium, qui legislator non est, nec ejus virtutem participat. Unde subjungit: *Tu autem, quis es, qui judicas fratrem tuum.* Ad confirm. Oseas loquitur de regibus Israel præter DEI voluntatem introductis; vel *τo non regnare ex Deo*, potest accipi pro non regnare secundum DEI voluntatem, aut non ex ordinatione DEI, sed ex mera permissione.

166 Obj. 3. S. Augustin. lib. 19 de civit. cap. 15 expendens illud Genes. 1: *Faciamus hominem, ut præsit piscibus maris, volatilibus cœli, bestiis terræ*, advertit Deum non dixisse, ut homo præsit hominibus, & ideo, inquit, priores justi non reges, sed pastores ovium fuerunt, & appellati sunt. S. Gregor. quoque libr. 21 moralium cap. 10 judicat ejusmodi potestatem esse per peccatum introductam. Confirm. Videtur ipsi Deo injuriosum, quod homo in ipsius creaturas communem cum illo potestatem habeat. Resp. S. Augustinus ibi plus non vult, quam quod principatus humanus non sit congenitus cum natura. Addit quidem dominium unius hominis in alium esse ex occasione peccati, sed loquitur de dominio, cui servitus & conditio servilis respondet. Clarius de potestate gubernandi loquitur S. Gregorius: intelligendus autem

tem eſt, quoad poteſtatem coercitivam, & exercitium illius; nam quoad directivam probabiliter videtur futuram fuiſſe etiam in ſtatu innocentiæ. Ad confirm. nego ſuppoſitum, quod homo habeat communem poteſtatem cum Deo; nam poteſtas hominis tantum eſt participata, & poteſtati divinæ pleniſſime ſubjecta. Quæ autem injuria DEI, ſi Deus homine tanquam ſuo miniſtro uti velit.

Quæres 1. Quis poſſit ferre leges civiles? Reſp. 167
attendendum eſſe regimen cujuslibet communitatis; nam in ſtatu Democratico leges condit populus; in Ariſtocratico optimates, in Monarchico ſummus princeps, uti Imperator pro toto Imperio Romano, vel ſolus ut olim, vel cum conſenſu ſtatuum, ut hodie juxta receſſus Imperii, & Capitulationes Imperatorum. 2. Reges ac alii principes ſuperiorem non recognoſcentes pro ſuis regnis & provinciis vel ſine vel cum conſenſu procerum, prout cujuslibet regni conſuetudo, & capitulatio habet. 3. Regina ſi ſit moderatrix, & domina regni; ſi enim tantum eſt uxor regis, ſolum habet dignitatem honoris, non vero jurisdictionis. 4. Leges civiles particulares ſeu ſtatuta localia poſſunt etiam condere principes, & ſtatus Imperii tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, ut electores, principes, civitates Imperii liberæ, & quidem leges juri communi contrarias, ut notat Panormitan. in cap. finale de conſuetudine, ſuffragante praxi. Hinc illud vulgatum: Quivis Imperii ſtatus tantum poteſt in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio.

Summus Pontifex per ſe & directe tantum po- 168
teſt ferre leges civiles in ſuo territorio, non vero extra illud, quia talem poteſtatem neque a Chriſto, neque a principibus ſæcularibus accepiſſe probatur. Hinc Nicolaus I can. 8 diſt. 10 ait: *Chriſtum eccleſiaſticæ, & politicæ poteſtatis officia di-*

ſcreviſſe, nec Pontificem ſæcularibus negotiis debere ſe immiſcere. Et can. 6 diſt. 96: *cum ad verum ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum uſurpavit.* Poteſt tamen Pontifex declarare jus naturæ e. g. in aliquo contractu, quia ſic proprie non conſtituit jus novum. Item poteſt indirecte corrigere leges Imperatorum, & regum, ſi ſunt iniquæ, eccleſiaſticæ libertati præjudicioſæ, vel peccatum foventes. Sic correxit legem approbantem præſcriptionem cum mala fide, legem prohibentem alimenta liberis ſpuriis &c. atque de hac poteſtate indirecta intelligi debet Nicolaus can. 1 diſt. 22 aſſerens, quod *Chriſtus Beato Petro terreni ſimul & cœleſtis imperii jura conceſſerit.* Et Bonifacius VIII Extravag. unam ſanctam, de Majorit. ubi ait: *Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati.*

169 Quæres 2. An poteſtas condendi leges civiles ſit immediate a Deo? Reſp. ſi hæc poteſtas ſpectetur in genere & ſecundum ſe, illa hominibus in politicam communitatem congregatis immediate eſt a Deo conceſſa, non quidem ex peculiari, & quaſi poſitiva inſtitutione diſtincta a creatione talis naturæ, ſed per naturalem conſequentiam ad creationem, ex qua tanquam proprietas moralis quaſi emanat. Nam 1 hæc poteſtas politica eſt naturalis, & ſine ulla revelatione per lumen rationis agnoſcitur tanquam conſentanea, & neceſſaria Reipublicæ humanæ; neque homo ſuppoſita voluntate coeundi in communitatem perfectam, poteſt illam impedire: ergo hæc poteſtas non minus quam ipſa natura eſt a Deo tanquam auctore naturæ. 2. Hæc poteſtas a ſacra ſcriptura expreſſe Deo adſcribitur Sapient. 6 v. 3 & 4: *Præbete aures vos, qui continetis multitudinem -- quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo.* Proverb. 8 v. 15: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Ad Rom.

Rom. 13 v. 1: *Non est potestas nisi a Deo.* 3. Vis gubernativa se extendit ad tales actus, qui potestatem mere humanam excedere videntur, uti punitio malefactorum usque ad mortem, constitutio alicujus actus in materia necessaria virtutis, obligatio in conscientia &c.

Resp. 2. Si potestas condendi leges civiles spe- 170
ctetur, prout est in hoc determinato homine, saltem ordinarie loquendo, non est immediate a Deo, sed ab hominibus seu communitate. Ratio est; quia ista potestas neque ex natura rei potius uni quam alteri competit: neque ex institutione divina; quando enim in Scriptura dicitur, quod Deus elegerit Saul & David, quod Cyrum constituerit regem &c. hoc aliquid est extraordinarium, vel tantum significat specialem quamdam providentiam DEI ita rem ordinantis, vel permittentis; de reliquis vero principibus nulla habetur revelatio, quod immediate a Deo regnum suum habeant, sed sicut homines libere in unam communitatem coierunt, & modum regiminis Monarchici, Aristocratici, vel Democratici determinare potuerunt, sic liberum ipsis fuit, ut gubernandi potestatem in hanc vel illam personam transferrent, vel proxime per electionem, vel remote per hæreditariam successionem, quæ tamen ipsa consensum populi initio supponit. Hinc licet princeps vere gerat vicem DEI, & ipsum jus naturale obliget, ut ei obediatur, non tamen habet majorem potestatem, quam populus in illum contulit. Quod si quis principatum acquisiverit bello injusto, non datur vera potestas in principe, nisi postea populus consentiat; si autem bellum fuit justum, subjectio est in pœnam delicti, & populus tenetur consentire, ut adeo etiam hic quodammodo interveniat consensus reipublicæ vel exhibitus vel debitus.

QUÆSTIO II.

An detur poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas?

171 Duplex poteſtas Eccleſiaſtica diſtingui poteſt, videlicet ordinis & jurisdictionis. Poteſtas ordinis eſt facultas quædam moralis ad cultum DEI ordinata per oblationem ſacrificii, adminiſtrationem Sacramentorum aut quascunque alias cæremonias, quæ ad ornatum Sacrificii & Sacramentorum, convenienter & ordinate fieri debent. Poteſtas jurisdictionis ſubdiſtinguitur in jurisdictionem fori interni, & externi. Prior proxime conſtituit ſacerdotes, ſuperiores, & judices in foro quodam divino, & ſecreto, quod in Sacramento Pœnitentiæ exercetur. Poſterior pertinet ad gubernandam Eccleſiam, quatenus eſt quædam ſpiritualis Reſpublica, & corpus Chriſti myſticum a communitate politica ſuo modo diſtinctum. De hac ſola nobis hic agendum eſt.

172 Dicendum. Datur in Eccleſia poteſtas condendi leges Eccleſiaſticas. Eſt de fide. Probatur. Chriſtus Eccleſiæ, ejusque prælatis dedit poteſtatem regendi fideles: ergo etiam dedit poteſtatem condendi leges, quibus regantur, & obedire teneantur. Antec. patet; nam Matth. 16 v. 19 Chriſtus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum* &c. quam promiſſionem dein implevit Joan. 21 v. 15 & 17 dicens: *Paſce oves meas; paſce agnos meos.* Sed & reliquis Apoſtolis Matth. 18 v 18 promiſſum eſt; *Quæcunque alligaveritis ſuper terram erunt ligata,* ac poſtea Joan. 20 v 21 dictum; *Sicut me miſit Pater, ſic ego mitto vos.* Hinc Paulus epiſcopos Aſiæ, qui eo jubente Epheſi convenerant, ſic alloquitur: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam DEI*, Actor. 20 v. 28. Confirm.

Apoſtoli poteſtatem legislativam ſæpius exercuerunt; ſic Actor. 15 v. 28 ſtatuerunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil vobis ultra oneris imponere, quam hæc neceſſaria.* Sic Paulus Hymenæum, & Alexandrum propter hæreſin tradidit Sathanæ, 1 Timoth. 1 v. 20, excommunicavit Corinthium inceſtuoſum, 1 Corinth. 5 v. 5. In eadem epiſtola cap. 7 v. 10 expreſſe diſtinguit ſua præcepta a præceptis Chriſti, cap. 11 v. 2 autem Corinthios laudat: *Laudo vos, quod præcepta mea teneatis.* Ex quibus vides, quod textus a nobis allati non tantum loquantur de poteſtate docendi, vel jurisdictione in foro interno, ſed etiam de jurisdictione in foro externo.

Probatur concluſio 2 ratione. Poteſtas legisla- 173
tiva nihil aliud requirit, quam poteſtatem directivam & coactivam ordinariam & de ſe perpetuam ſupra communitatem aliquam perfectam; atqui hæc poteſtas datur in Eccleſia, ut cum S. Clemente, Ignat. Hieronymo teſtatur univerſalis Patrum auctoritas & perpetua traditio Eccleſiæ, ex qua diſcimus multa præcepta ab Apoſtolis tradita adhuc in Eccleſia durare, ut lex de bigamis non admittendis ad Epiſcopatum, de Euchariſtia non niſi a jejunis ſumenda, de Sabbato, & Paſchate in Dominicam translato &c. Eandem poteſtatem Eccleſiam trium primorum ſæculorum in ſe agnoviſſe demonſtrant canones, quos edidit. Confirmatur. Eccleſia eſt unum quoddam corpus myſticum, & regnum ſpirituale Chriſti: ergo a Deo perfecte, & ordinate conſtituta eſt juxta illud ad Rom. 13 v. 1: *Quæ ſunt, a Deo ordinatæ ſunt;* atqui non eſſet perfecte & ordinate inſtituta, niſi haberet poteſtatem per convenientes leges gubernandi fideles, ut patet ex dictis de communitate politica.

Objectiones.

174 Obj. 1. Ex una parte lex Evangelica per seipsam sufficit ad salutem : ex altera parte Christus ipse est Monarcha suæ Ecclesiæ : ergo nulli alteri dedit Potestatem ferendi leges Ecclesiasticas. Conf. Christus ad regendam Ecclesiam non Petrum, sed Spiritum sanctum se relicturum promisit, qui vices ejus suppleat: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*, Joann. 14 v. 16 Hinc Tertullian. lib. de præscript. hæret. Spiritum sanctum vocat vicarium Christi. Resp. transf. ant. neg. conf. Licet Christus sit supremus monarcha Ecclesiæ, & leges ab ipso latæ absolute ad salutem sufficerent, quia tamen nunc non amplius per se ac proxime pastoris visibilis munus præstat, providit Ecclesiæ per alium vicarium visibilem, qui per congruas leges pacem Ecclesiæ, unitatem religionis, morum puritatem &c. conservet. Unde lex Evangelica ad salutem tum solum perducit, si tota etiam quoad leges Ecclesiasticas observetur. Ad conf. neg. ant. Spiritus sanctus missus est, ut Apostolos consolaretur, & doceret ea, quæ Christus pro temporis brevitate nondum docuerat ; & vero Spiritus sanctus nec rector Ecclesiæ visibilis, nec vicarius Christi proprie dici potest ; quia vicarius proprie est alterius principalis minister, qui ex potestate commissa vices ejus gerit, Spiritus sanctus autem interius docet & inspirat tanquam principalis & proxima causa gratiæ.

175 Obj. 2. Christus sæpe damnat præcepta humana: *In vanum me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum*, Marc. 7 v. 7. Reprehendit Pharisæos, quod *alligent onera gravia, & importabilia, & important in humeros hominum*, Matth. 23 v. 4 : ipsis vero Apostolis tantum dixit, ut docerent servare sua præcepta ;

cepta; *docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis*, Matth. 28 v. 20. Conf. Vel potestas Ecclesiastica dirigeret homines ad finem naturalem, vel ad supernaturalem? non ad primum: quia ad hunc sufficit potestas politica. Non ad secundum; quia ad finem supernaturalem nemo potest efficaciter movere, quam Deus. Resp. In duobus primis locis Christum merito reprehendere Pharisæos, eo quod traderent aliqua inutilia & vana, imo etiam præceptis divinis repugnantia, eaque pluris facerent, quam leges divinas, atque aliis imponerent gravia præcepta, quæ ipsimet non servarent; addit tamen Matth. 23 v. 23 etiam præcepta humana servanda esse, licet minutiora videantur: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Textus tertius potius est pro nobis; cum enim Christus jam antea docuerit, præcepta Ecclesiæ servanda esse: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, Matth. 18 v. 17, hoc ipso jussit ut Apostoli etiam hoc prædicarent. Ad conf. conc. maj. neg. min. & dico, etiam homines posse dirigere alios ad finem supernaturalem non quidem ex sua virtute, sed ut adjutos a Spiritu sancto, qui per gratiam suam dat efficaciam, & incrementum.

Obj. 3. Neque in lege naturali, neque in Mosaica 176
fuit potestas Ecclesiastica ferendi leges: ergo etiam non datur in lege Evangelica. Conf. In lege scripta prohibitum erat ad divina præcepta aliquid addere: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, Deut. 4 v. 2; *quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*, Deut. 12 vers. ultim. ergo a pari. Resp. trans. ant. neg. cons. Contrarium constat ex revelatis, & nostris probationibus. Imo jam in lege naturali dabatur potestas aliqua publica, præscribens sacrificia, cæremonias, & ritum colendi Deum, quamquam ibi hæc potestas principaliter fuerit penes reges. In lege Mosaica finis sacerdotum tantum erat ministra-

re, & ſacrificare pro populo, ad quem ſatis erat, ſi ſacerdotes haberent poteſtatem gubernandi pertinentia ad res ſacras, & dubia decidendi, quæ ipſis etiam competebat, ut colligitur ex Deut. cap. 17 v. 8 & ſeq. & Matth. 23 v. 2: *Super cathedram Moyſis &c.* leges vero novæ conditæ ſunt communi conſenſu populi, ut Eſther. 9, & Machab. 4. Ad conf. Textus objecti loquuntur de præceptis cæremonialibus, & prohibent Judæis, ne aliquid addant ex ritu gentilium, inter quos vixerant in Ægypto, & deinceps victuri erant in Palæſtina. Præterea in lege antiqua Deus ipſe dederat innumera præcepta cæremonialia & judicialia, adeoque leges poſitivæ ad religionem, & Eccleſiæ ordinem pertinentes minus erant neceſſariæ.

177 Obj. 4. Deus ab Eccleſia ſua abſtulit jugum legis veteris: ergo multo magis jugum tot legum canonicarum, quæ Chriſtianam libertatem longe magis gravant, quam onus legis Moſaicæ. Conf. S. Auguſtin. epiſt. 119 dicit voluiſſe Chriſtum religionem pauciſſimis Sacramentis eſſe liberam; & ſubdit hanc libertatem premi humanis obſervantiis, adeo ut tolerabilior fuerit conditio Judæorum, quia illorum præcepta, utut multa, tamen erant divina. Reſp. conc. ant. neg. conſ. præcepta legis veteris erant innumera pro toto populo, eaque valde oneroſa & futurorum figuræ, merito igitur veniente figurato ceſſarunt. Præcepta Eccleſiæ principaliter feruntur, quatenus ad bonos mores conducunt, & ſolum quatuor aut quinque obligant omnes Chriſtianos nempe præcepta de ſervandis jejuniis, feſtis, confeſſione annua & communione Paſchali. Imo etiam hæc præcepta potius determinant tempus, quo lex divina implenda eſt. Ad conf. S. Auguſtin. hoc loco tantum damnat abuſus quosdam, qui absque legitima auctoritate, & contra communem Eccleſiæ conſuetudinem irrepſerant. Sic enim pergit: *Omnia*

Omnia itaque talia, quæ neque ſacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt - - ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.

Quæres 1. Quis poſſit ferre leges Eccleſiaſticas? 178
Reſp. 1. Summus Pontifex tanquam legitimus Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor pro tota Eccleſia, idque etiam ſine conſenſu Cardinalium, aut Concilii generalis. 2. Cardinales pro Eccleſiis ſuorum titulorum. 3. Legati ſedis Apoſtolicæ in provincia ſuæ legationis, valentque hæ leges etiam finita legatione, donec a Papa vel ſucceſſore, aut contraria conſuetudine abrogantur. 4. Patriarchæ, Primates, Archi-Epiſcopi pro ſua particulari diœceſi; vel etiam pro diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum, ſed hoc ultimum tantum in Concilio provinciali, & de conſenſu Epiſcoporum comprovincialium. 5. Epiſcopi pro ſua diœceſi. 6. Abbates & alii prælati exempti habentes jurisdictionem quaſi epiſcopalem pro ſua quaſi diœceſi. 7. Concilia particularia pro ſuo territorio, videlicet nationalia pro ſua natione, provincialia pro ſua provincia, diœceſana pro ſua diœceſi. 8. Capitula cathedralia ſede epiſcopali vacante, quia tunc univerſa jurisdictio ad ipſos devolvitur. 9. Communitates aut ſuperiores religionum juxta modum & ordinem ſuarum conſtitutionum.

Quæres 2. An poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas ſit immediate a Deo? Reſp. dubium non eſſe, quin S. Petrus ejusque in Pontificatu ſucceſſores hanc poteſtatem immediate a Chriſto acceperint: *Paſce oves meas*, Joan. 4 v. 17. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. 16 v. 18. Nec obſtat, quod Papa a Cardinalibus eligatur, quippe Cardinales tantum perſonam nominant, quin 179

illi ſupremam poteſtatem conferre, aut eam limitare valeant. Aliter loquendum eſt de aliis prælatis & communitatibus Eccleſiaſticis; quamvis enim etiam reliqui Apoſtoli aliquam poteſtatem legislativam immediate a Chriſto acciperint, & Epiſcopi illis in Epiſcopatu ſeu poteſtate ordinis ſuccedant, non tamen ſuccedunt in Apoſtolatu ſeu poteſtate jurisdictionis, niſi in quantum illam a ſummo Pontifice accipiunt, qui juxta perpetuum uſum Eccleſiæ potuit Epiſcopos conſtituere, eorum jurisdictionem limitare, ſuſpendere vel omnino ex juſta cauſa iterum auferre, ut adeo nullus Epiſcopus, aut quæcunque congregatio Papa inferior pro ſuo territorio leges juri pontificio contrarias ferre, aut aliquid immutare poſſit circa res gravioris momenti, quæ univerſalem Eccleſiam concernunt, uti canonizatio ſanctorum, ſacerdotum continentia &c. congregatio autem Cardinalium, aut Concilium generale mortuo pontifice ſolum poteſt ordinare ea, quæ pro electione novi Papæ, vel pro Eccleſiæ defenſione, aut periculis occurrentibus avertendis neceſſaria videbuntur. Parochi denique, cum jurisdictione externa careant, nullam legem condere poſſunt.

QUÆSTIO III.

An leges civiles & eccleſiaſticæ obligare poſſint in conſcientia?

180 Duo hic controverti poſſunt, an leges humanæ ita poſſint obligare, ut earum transgreſſio hominem coram Deo, & in conſcientia culpæ & pœnæ reum conſtituat? & an transgreſſor hujus culpæ & pœnæ reus fiat ex vi ipſius legis humanæ, vel utrum lex humana tantum ſit aliqua conditio & applicatio legis divinæ, vel naturalis, vi cujus dein obligatio in conſcientia oriatur. Primum eſt de re, alte-

alterum multum habet de modo loquendi, qui tamen eſt contra communem Theologorum, & ita ambiguus, ut facile ſenſum erroneum inducere poſſet, ac ſi leges humanæ nihil poſſint præcipere, niſi quod lege divina vel naturali præceptum eſt, aut ſaltem per neceſſarium diſcurſum poteſt deduci, ut juxta aliquos ſenſit Gerſon lect. 4 de vita ſpiritual. At vero niſi fiat quæſtio de nomine, ita eſt de eſſentia omnis legis, ut in conſcientia ad aliquid obliget, ut alias ne quidem proprie lex eſſe poſſit; lex enim eſt rationabile præceptum ſuperioris, non poteſt autem intelligi præceptum ſubditis impoſitum, niſi præcepto obligentur. Vide Num. 10.

Dicendum. Leges tam civiles quam Eccleſiaſticæ poſſunt obligare in conſcientia. Probatur 1 de civilibus. Quando Apoſtolus ad Rom. 13 verſ. 1 ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,* verſ. 2 addit: *qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* & verſ. 5: *ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:* ergo. Probatur 2 de legibus Eccleſiaſticis. Luc. 10 v. 16 Chriſtus principes Eccleſiæ ita alloquitur: *Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me:* atqui qui ſpernit Chriſtum aut Deum, peccat in conſcientia: ergo etiam qui ſpernit legem Eccleſiæ, quam qui non audierit, habendus eſt ut ethnicus, & publicanus, Matth. 18. v. 17. Conf. Tam principes politici, quam Eccleſiaſtici habent poteſtatem condendi leges proprie tales, ut præcedentibus quæſtionibus oſtendimus: ergo cum de eſſentia legis ſit obligare in conſcientia, poſſunt in conſcientia obligare. 181

Probatur concluſio ratione. Legislator humanus fert legem ut miniſter DEI per poteſtatem a Deo acceptam, dictante ipſo jure naturali ſuperiori legitime 182

time imperanti parendum esse: ergo qui leges humanas non servat, offendit Deum, & infert legislatori injuriam; quia violat ipsius jus, quod habet ad præcipiendum, & quod ad regendam communitatem omnino inefficax ac debile esset, nisi in conscientia posset obligare. Hinc etiam in aliis communitatibus datur talis obligatio; sic patrifamilias filii & famuli, uxor marito, religiosi suo superiori in conscientia obedire tenentur. Conf. Jus naturale & divinum multa non satis determinant, quæ ad bonum commune, & rectam gubernationem communitatis requiruntur, sed ea determinanda relinquunt superiori humano, qui ideo sæpe talia præcipit, quæ jure naturali & divino necdum essent præcepta, ut communio paschalis, determinatum tempus jejunii, imo Ecclesia res aliquas prohibet sub censura, quæ alias essent indifferentes, e. g. intrare claustra monialium, nutrire comas &c. ergo obligatio harum legum non tantum oritur ex jure naturali, sed ipsum jus humanum novum onus & obligationem addit. Certe sacra Scriptura non tantum dicit, illum peccare, qui resistit Deo, aut Deum spernit, sed etiam illum, qui resistit potestati aut spernit ministros DEI.

Objectiones.

183 Obj. 1. Forum conscientiæ est forum DEI; sed homo non potest obligare in foro DEI; nam forum DEI est superius, nullus autem inferior potest obligare in foro superioris, & hinc S. Augustin. definit peccatum, dictum, factum vel concupitum contra legem Dei. Conf. Nemo potest obligare ad pœnam, quam non potest infligere; sed homo non potest infligere pœnam æternam: ergo. Resp. conc. maj. dist. min. nisi præcipiat, ut minister DEI per potestatem a Deo acceptam, conc. min. si ita præcipiat, neg. min.

min. quia legitimus superior præcipit ut minister Dei, non potest ejus præceptum violari, quin hoc ipso offendatur Deus, adeoque non est inconveniens, quod per potestatem a superiore acceptam in foro superioris obliget. S. Augustinus in definitione peccati voluit ponere regulam universalem & ultimatam, & in ea posuit legem divinam, quia transgressio legis humanæ etiam est transgressio legis divinæ. Ad confirm. neg. maj. tum quia ad puniendum plus requiritur, quam ad præcipiendum, nempe potentia pœnam infligendi & notitia transgressionis, quæ sæpe etiam de peccatis externis occulte factis haberi non potest; tum quia ipse Deus voluit observari leges a suis ministris latas etiam sub pœna alterius vitæ; adeoque qui talem legem in re gravi transgreditur, hoc ipso saltem indirecte, & consecutive pœnam æternam incurrit.

Obj. 2. Potestas civilis est mere temporalis: 184 ergo se non extendit ad conscientiam, & obligationem spiritualem, præsertim cum solum ordinata sit ad conservandam pacem externam. Conf. Homines de actibus internis non judicant, non possunt illos cognoscere, imo ne quidem præcipere: ergo. Resp. dist. ant. est mere temporalis ratione objecti, quatenus præcipit res & actiones temporales, conc. ant. ratione obligationis, neg. ant. sic enim dici potest spiritualis; nam licet solum ordinata sit ad pacem externam, hanc ipsam intendit procurare per actiones morales honestas, & Deus vult, ut etiam in actionibus externis & temporalibus potestati politicæ sub peccato obediamus. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Judicium, & cognitio actus præcepti requiritur quidem ad vim coactivam, seu punitivam, sed non ad vim directivam, & homo satis efficaciter potest imperare, modo transgressores legis puniantur a Deo. Aliud vero est obligare ad actum internum, aliud ad actum externum

ternum in conſcientia. Prius involvit certam mentis diſpoſitionem; poſterius tantum requirit voluntatem rite ponendi actum externum. Sic Titium potes obligare in conſcientia, ut tibi ſolvat debitum, licet parum cures, an bona vel mala voluntate ſolvat, & ſimili modo, quando præcipitur actus externus, obligaris in conſcientia illum rite ponere, licet de interna mentis diſpoſitione parum curet legislator.

185 Obj. 3. Nemo poteſt ligare in eo foro, in quo non poteſt ſolvere, neque lex obligat ad pœnam, niſi illam expreſſe imponat; atqui ſuperior civilis non poteſt ſolvere in foro interno, neque leges civiles pœnam peccati mortalis expreſſe imponunt: ergo. Conf. Lex minima DEI magis obligat, quam humana maxima: ergo cum lex DEI in re levi tantum obliget ſub veniali, humana ſub nullo peccato obligat. Reſp. neg. maj. Quod ſolvere & ligare non ſint correlativa neceſſario, vel ex eo oſtenditur, quia quilibet homo per votum poteſt ſeipſum ligare, non tamen ſe ipſum in illo ſolvere. Alterum membrum tantum verum eſt de pœnis per legem pro culpa determinandis, non de pœnis ex natura rei cum culpa connexis, ſicut pœna damnationis æternæ ex natura rei cum peccato mortali connexa eſt. Ad conf. diſt. ant. obligat magis, id eſt, firmius & immutabilius, conc. ant. id eſt gravius, neg. ant. falſum namque eſt, quod lex divina obliget ſemper ſub graviore reatu culpæ & pœnæ, quam humana.

186 Obj. 4. Principes præſertim ſæculares non intendunt obligare ſub peccato: ergo lex ſub peccato non obligat, cum actus non operentur ultra intentionem agentium. Ant. prob. quia principes ſæculares modo non aliter ferunt leges, quam olim Imperatores ethnici, qui nihil curarunt de obligatione conſcientiæ, & pœna alterius vitæ. Eccleſia quoque per ſuas leges ſæpe decernit pœnam temporalem,

poralem, quod non faceret, si vellet obligare in conscientia, alias idem peccatum bis puniretur. Confirm. In quibusdam Religionibus a Summo Pontifice approbatis Fundatores tradentes regulam diserte explicant, se nolle obligare sub ullo peccato, sed tantum sub pœna, & tamen certum est illorum statuta sancta esse, & transgressores juste puniri. Resp. dist. ant. non intendunt obligare sub peccato explicite, conc. ant. non intendunt implicite, neg. ant. sicut ad obligationem voti sufficit, quod velim me obligare ad illud, quod voveo, quia tum obligatio in conscientia sequitur ex ipsa natura voti: sic ad legem non requiritur, ut obligationem in conscientia expresse intendat legislator, sed hæc obligatio oritur ex ipsa natura legis, modo legislator velit obligare ad illud quod præcipit; quam intentionem etiam Imperatores ethnici habuerunt. Quando autem Ecclesia pœnas temporales adjicit, non ideo vult essentiam legis, & obligationem parendi tollere, sed potius magis urgere & sæpe idem furtum punitur a Deo, & Magistratu politico. Ad confirm. dico, ejusmodi regulas ad summum esse leges pœnales, de quibus inferius.

Quæres 1. An, & quando leges humanæ possint 187
obligare sub gravi? Resp. Quemadmodum legislator humanus simpliciter potest obligare in conscientia, sic etiam potest obligare sub peccato gravi, si materiæ gravitas id exigit, quod tum fit, quando & finis proximus legis, ratione cujus materia in certa specie virtutis ponitur, est magni momenti in ordine ad bonum commune, & id, quod præcipitur, multum ad hunc finem confert. Sic quia finis Justitiæ est magni momenti, actus illi graviter sunt prohibiti, per quos multum læditur æqualitas juris servanda. At vero ad rem levem potestas humana non potest obligare graviter; est enim limitata & proportionata capacitati materiæ, neque bonum publicum exigit, aut patitur, ut homo pro levissimis rebus graves

obligationes imponat. Aliud eſt, quod lex humana etiam ad rem gravem poſſit obligare tantum ſub levi, ſi legislator expreſſe ita velit; nam ſic non excedit ſuam poteſtatem, & ſicut ejusmodi rem libere ſimpliciter prohibet vel præcipit, ſic poteſt illam præcipere ſub levi, & habere rationabiles cauſas ita præcipiendi. Interim per ſe loquendo quilibet Legislator cenſetur obligare pro capacitate materiæ, cujus gravitas vel levitas in dubio prudentum judicio definienda eſt, conſideratis fine, verbis, pœna addita, aliisque circumſtantiis.

188 Quæres 2. An detur lex mere pœnalis? *Reſp.* lex pœnalis mixta eſt, quæ ſimul aliquid præcipit, vel prohibet, & ſimul pœnam in transgreſſores ſtatuit: nemo exportet frumentum, qui autem exportaverit, mulctabitur 50 florenis. Lex pure pœnalis dicitur, quæ nihil præcipit aut prohibet, ſed tantum ſtatuit pœnam: qui exportaverit frumentum, mulctabitur 50 florenis. Neque dubium eſt, quin Princeps utroque hoc modo aliquid ſtatuere poſſit, id ſolum controvertitur, utrum ſtatutum mere pœnale proprie poſſit vocari lex; cum enim nulla poſſit dari pœna, ubi nullum eſt delictum, neque delictum eſſe poſſit, ubi nihil præcipitur, aut prohibetur, impoſſibile videtur, ut lex aliqua, quæ nihil præcipit, aut prohibet, obliget in conſcientia, ad pœnam ſubeundam, præſertim quia neque culpa juridica, & politica videtur locum habere, ubi nulla negligentia, aut incuria ſaltem præſumpta intercedit. Hinc aliqui putant ejusmodi ſtatuta non tam imponere pœnam, quam aliquam taxam, nec obligationem ſolvendi pœnam ex his ſtatutis oriri, ſed ex lege quadam morali, quæ ſolutionem absque ulla culpa imponat. Alii autem communius docent, ipſam legem pœnalem obligare ad pœnam ſubeundam, eo quod jam cenſeatur eſſe culpa ſaltem politica, quod pars ſe non conformet toti; conſequenter legislatorem habere juſtam cauſam infligendi pœnam ſaltem latius talem, ſeu qualecunque incommodum,

modum, licet ipsum actum nec præceperit, nec prohibuerit. Loquere cum pluribus, & tene quod placet.

Quæres 3. An legislator humanus possit præci- 189
pere actus internos? Resp. 1. Cum finis potestatis politicæ tantum sit procurare felicitatem, & pacem externam Reipublicæ; hic finis autem sufficienter obtineatur, si actus externi sint bene ordinati, legislator civilis nequit directe præcipere actus internos, licet probabilius illos possit præcipere indirecte, quatenus ad actum externum rite ponendum sunt necessarii. Sic ad contractum potest requirere consensum liberum & spontaneum, a metu & dolo immunem. 2. Multo magis legislator Ecclesiasticus potest actus internos præcipere indirecte, quatenus requiruntur ad actum externum rite ponendum, sive in suo esse physico, ut consensus ad validum contractum, intentio ministri ad valorem Sacramenti; sive in suo esse morali, & quasi artificiali, ut interna reverentia, & dispositio ad sacram synaxin licite recipiendam. Hinc Alexand. VII damnavit hanc propositionem: *Præcepto ecclesiastico confessionis satisfit per confessionem voluntarie nullam.* Innocent. vero XI istam: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.* 3. Communior tamen docet, Ecclesiam non posse actus internos præcipere directe, tum quia tantum potest præcipere modo humano & sensibili, tum quia potestas legislativa debet esse conjuncta cum potestate coactiva; atqui Ecclesia non habet potestatem coactivam in actus internos, utpote de quibus ne quidem judicare potest.

Sed contra est. Licet Ecclesia in ferendis legibus 190
debeat sensibiliter procedere quoad promulgationem, illas publice manifestando, quia tamen a Christo non tantum habet potestatem politicam, sed sacram dirigendi oves ad finem supernaturalem, & æternam beati-

titudinem, ad quam longe magis conducunt, & necessarii sunt actus interni, quam externi, hæc potestas non esset satis accommodata suo fini, nisi etiam ad actus internos se extenderet. Hinc Ecclesia jam sæpius actus internos directe præcepit. Sic Innocent. XI & Alexander VII, in virtute sanctæ obedientiæ mandarunt, ne quis propositiones ab ipsis damnatas in praxin deducat, licet ex illis multæ concernant actus mere internos fidei, spei, dilectionis. Pariter Clemens XI in Bulla : *Vineam Domini Sabbaoth*, contra Jansenistas decernit, non satisfieri præcepto Ecclesiæ per obsequiosum silentium, sed requiri, ut propositiones Jansenii etiam in animo pro vere hæreticis habeantur. Porro quod potestas legislativa debeat esse conjuncta cum coactiva, sine sufficienti fundamento asseritur; quia hi duo effectus obligare ac punire ex natura sua sunt separabiles, & alias Ecclesia actus internos neque indirecte posset præcipere. Tum quia ad efficaciam legum sufficit, quod transgressores judicentur & puniantur a Deo. Immo ipsa Ecclesia habet aliquam vim coactivam in actus internos; potest enim in illos statuere, & statuit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, ut patet ex bullis citatis.

QUÆSTIO IV.

An legibus humanis etiam obligentur fideles & justi, quin in legislatore requiratur fides, aut probitas?

191 Communissima Catholicorum doctrina est, quod legibus humanis obligentur omnes, & soli subditi usum rationis habentes; lex enim est actus jurisdictionis & regula morum, adeoque solos subditos rationis compotes afficit, juxta illorum tamen capacitatem & non attendendo ad casus tantum raros, & per

per accidens evenientes. Hinc 1. pueri, etsi per accidens jam usum rationis habeant, legibus humanis non obligantur ante completum septennium; hoc vero completo solum illis, quæ illorum ætati & judicio conveniunt. Imo pœnæ a jure civili statutæ regulariter mitigandæ sunt, quamdiu sunt minorennes. De jure canonico pœnas non incurrunt ante annos pubertatis excepta irregularitate propter homicidium, excommunicatione ob percussionem Clerici & ob ingressum in Monasterium Monialium. 2. Legibus Ecclesiasticis non tenentur infideles Mahometani, Judæi, & Catechumeni, quia necdum per Baptismum sunt subjecti Ecclesiæ, tenentur tamen jure divino Baptismum petere, & Ecclesiam ingredi. At vero hæretici, & apostatæ a fide manent ob indelebilem Baptismi characterem Ecclesiæ subjecti, nec rebellio illos a legum obligatione eximit; nihilominus sæpe ab obligatione harum legum excusantur per accidens ob ignorantiam hujus subjectionis & obligationis.

Dicendum 1. Legibus humanis obligantur etiam fideles tam justi, quam injusti. Est definitum in Tridentino session. 6 can. 20: *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observationem mandatorum DEI & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, anathema sit.* Probatur 1. Quando Christus Joann. 21 v. 17 ad Petrum dixit: *Pasce oves meas*, & Paulus ad Rom. 13 v. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: loquuntur expresse de fidelibus, & quidem universaliter; ergo omnes sive justi sive iniqui præceptis politicis, & Ecclesiasticis obligantur. 2. Lex Evangelica neque Prælatos Ecclesiasticos, neque Principes sæculares privat sua jurisdictione. Imo institutio potestatis Ecclesiasticæ est pars legis Evangelicæ, per quam ipsa etiam potestas civilis laudatur, & commendatur, ut notant SS. Patres, nominatim Augustinus in Epistol. ad Rom. dicens: 192

Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non esse sibi vectigal reddendum aut tributum, aut non esse exhibendum debitum honorem eis, qui hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur. Profecto cum etiam fideles & justi communitatem tam civilem, quam Ecclesiasticam constituant, non solum potestate directiva, sed etiam coactiva in utraque indigent.

193 Dicendum 2. Potestas legislativa non dependet a fide & probitate legislatoris. Est fide certum, & probatur 1. Quando Christus & Apostoli fideles docuerunt, ut regibus & potestatibus obedirent, non tantum quia non poterant resistere, sed propter conscientiam & quia ministri DEI sunt; Imperatores, Reges, ac Præfecti eorum erant improbi & infideles, ethnici, ac idololatræ: ergo vis legislativa non dependet a fide vel probitate legislatoris, ut advertunt SS. Patres præsertim Polycarpus & Justinus. Cum enim Christiani traducerentur, quasi leges Imperatorum contemnerent, S. Justinus scripsit apologiam ad Antoninum Pium asserens: *Tributa vero, & census iis, qui a vobis constituti sunt, ubique imprimis conamur pendere, quemadmodum ab eo* (Christo) *instituti sumus - - hinc Deum solum adoramus, vobis autem in aliis rebus læti servimus, Regesque vos, & hominum Principes confitemur.* S. Polycarpus quoque ad Proconsulem ait: *Præceptum nobis est, ut magistratibus, & potestatibus a Deo constitutis, honorem debitum exhibeamus.* Sed & Plinius ad Trajanum de Christianis scribens testatur, se nihil invenire, quo culpari possent de non servatis (excepta Religione) Imperatoriis legibus, atque edictis. 2. Potestas legislativa naturaliter, & jam ante Christi adventum competebat Principibus, fuissetque summe noxium, & occasio maximarum perturbationum, si hac potestate ob infidelitatem, vel improbitatem essent privati. Sane non solum inter gen-

gentiles, sed etiam inter Judæos fuerunt multi reges impii & tamen fuerunt veri reges, neque David aut Salomon, qui aliquando graviter peccarunt, ideo regno privati sunt.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta doctrinam S. Pauli justi & fideles 194
sunt exempti a lege; nam 1 ad Timoth. 1 v. 9 ait: *Lex justo non est posita, sed injustis.* 1 Corinth. 7 v. 23: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* ad Galat. 2 v. 4: *Subintroierunt* (falsi fratres) *explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo JEsu, ut nos in servitutem redigerent.* Confirm. Ipse Christus ad Apostolos Luc. 22 v. 25 dixit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Resp. neg. ant. Primus textus tantum vult, quod lex posita sit ad coercendos, & pœnis terrendos injustos, non vero justos qua tales, qui sponte, & ex amore justitiæ legem observant, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Secundus textus hortatur, ut non postponamus servitium DEI, cujus pretio empti sumus, servitio hominum, neve istis ita serviamus, ut DEUM offendamus; nam ad Ephes. 6 v. 5 ipse Apostolus inquit: *Servi obedite dominis carnalibus.* Tertius textus loquitur de lege Mosaica, in quam Galathas aliqui falsi fratres redigere volebant. Ad confirmat. Christus his verbis solum monet discipulos, ne temporalem principatum, aut dominatum ambiant; sed potius exoptent aliis servire, vel si aliis etiam præesse cogantur, id potius faciant quasi ministrantes, non vero ut dominantes sicut reges gentium, qui non tam subditis suis prodesse, quam illos in servitutem redigere volunt.

195 Obj. 2. Quando Matth. 17 v. 24 Christus Petrum interrogavit: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum?* & Petrus respondit: *ab alienis*: conclusit Dominus: *ergo liberi sunt filii*, nempe a tributo & potestate: atqui omnes fideles sunt filii, ut docet S. Augustin. libr. 1 quæst. Evangel. quæst. 23: *Quia omnes sunt filii regni illius sub quo sunt omnia regna terræ.* Hinc etiam in cit. locum S. Hieronym. ait: *Ille pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus.* Confirmatur. Postquam Saul factus est malus, statim a Samuele audiit: *pro eo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex*, 1 Reg. 15 v. 23. Resp. Cum Christus hoc loco loquatur de filiis naturalibus, ut manifeste patet ex contextu, & omnium expositione, plus non indicat, quam quod ipse a tributo liber sit, neutiquam autem sub nomine filiorum omnes fideles aut justos voluit comprehendere. S. Augustin. locutus est in sensu spirituali, quatenus filii regni sunt liberi a servitute peccati, & tributo, quod ratione illius pendere debebant. Eodem modo intelligi potest S. Hieron. nisi potius tantum loquatur de personis Ecclesiasticis, & immunitate Ecclesiastica. Ad conf. Quamvis Samuel Sauli statim privationem regni prædixerit, Saul non prius illo fuit spoliatus, quam permittente Deo occisus, idque ex speciali DEI dispositione.

196 Obj. 3. Est Christianis indignum, & periculosum, ut infideles ipsis dominentur. Ideo S. Paulus 2 Cor. 6 v. 14 monet: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? &c.* Conf. Fideles non possunt sibi eligere principem infidelem, ut docet Apostol. 1 Cor. 6 v. 1: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos,* seu fideles: ergo neque principi infideli obedire.

Resp.

Resp. dist. ant. ut infideles dominentur in iis, quæ præcise pertinent ad regimen politicum, neg. ant. in iis, quæ ad religionem & leges fidei pertinent, conc. ant. & neg. conf. S. Paulus tantum monet, ne fideles communicent cum infidelibus prout tales sunt, & in propriis eorum operibus, utque nimiam cum illis familiaritatem, & consuetudinem evitent, ne in fide aut moribus corrumpantur, quod ipsum jus naturale exigit. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Ex eo, quod Christiani non possint libere eligere principem infidelem, quia hoc cederet in scandalum, & fidei periculum, cum illi, qui non sunt magnæ virtutis, facile sequerentur imperium principis, & religionem, neutiquam sequitur, quod princeps infidelis etiam spoliari possit dominatu prius legitimo acquisito, præsertim si urgens Ecclesiæ necessitas id non exigat. Hæc ipsa enim privatio cederet in magnum scandalum infidelium & ignominiam Christianæ religionis, cujus propagatio plurimum posset hoc modo impediri.

Quæres 1. An peregrini obligentur legibus particularibus sui domicilii? Resp. negative; nam jurisdictio legislatoris, vi cujus leges fert, se non extendit extra illius territorium, ut desumitur ex Can. 2 de constit. in 6, ibi: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur.* Hinc peregrinus non tenetur observare festa, & jejunia specialia suæ patriæ. Idem est de legibus universalibus, si in loco, ubi peregrinus existit, non vigeant e. g. si Lavingæ esset dispensatum in jejunio quadragesimali, Dilinganus licite ibi carnes comederet; non enim est ratio, cur peregrinus non possit gaudere favore locali, vi cujus lex de se communis, & universalis, in loco, ubi existit, propter dispensationem vel privilegium locale licite non observatur. Imo juxta multos etiam licite illuc iret, ut carnes posset comedere; quamvis enim non liceat impedimentum 197

ponere legi, seu facere, ut stante lege eam non possis implere, e. g. abjicere Breviarium, ne debeas recitare: licet tamen se ponere in talibus circumstantiis, in quibus lex cessat, cum hoc non sit prohibitum, nisi legislator universalis specialiter id exprimat, uti Urbanus VIII speciali decreto prohibuit exire ad locum, ubi Tridentinum non est promulgatum, ad contrahendum ibidem clandestinum matrimonium; nam tale matrimonium irritavit. Idem dicendum est de præceptis personalibus, quæ dantur ipsi personæ immediate, & ratione sui subjectæ; hæc enim eidem ubique inhærent. Sic excommunicatus ab episcopo manet excommunicatus, etiamsi diœcesi exeat. Sic tenentur milites exequi mandata ducis, licet extra illius territorium existant.

198 Quæres 2. An peregrini & vagi obligentur legibus particularibus locorum, ubi transeunt, vel morantur? Resp. affirmative in his casibus. 1. Quando aliquis accedit talem locum cum animo ibi figendi domicilium vel quasi domicilium, quia statim fit subditus. 2. Quando lex in tali loco vigens est universalis, quia consuetudo, quæ excusabat in patria, est tantum privilegium locale. 3. Qui in aliquo contrahit, delinquit, vel ratione rei sitæ convenitur, tunc enim ibi sortitur forum, & tenetur stare consuetudine, ac statutis illius loci. 4. Si lex specialiter lata est in bonum illius loci ob necessitatem reipublicæ e. g. ne merces ex oppido extrahantur; nam tunc ipsa lex naturæ obligat ad statuta talia servanda. 5. Si lex specialiter lata est pro peregrinis e. g. ne quis ultra triduum maneat in urbe, quia his legibus hoc ipso te subjicis, quod talem locum adeas. 6. Si transgressio legis particularis cederet in scandalum, vel detrimentum privatorum illius territorii, in quo quis moratur. Extra hos casus juxta Less. Laym. utrumque Sanchez, Schmalzgrueb. Sylvest. &c. peregrini non obligantur

tur legibus particularibus, tum quia reipublicæ ſatis conſultum eſt, ſi a peregrinis ſerventur ea. quæ enumeravimus; tum quia non ſufficienter probatur, quod legislator etiam in aliis velit peregrinos obligare; nam licet leges ferat pro territorio, tamen illos ferre cenſetur cum reſpectu ad ſolos ſubditos. Hinc etiam peregrini non ſortiuntur forum, niſi ratione contractus, delicti, aut rei ſitæ.

Quæres 3. An legislator obligetur propriis ſuis 199
legibus? Reſp. negative loquendo de obligatione directa. Non enim obligatur vi coactiva ſeu ſub pœna; quia legislator ſupremus nullum habet ſuperiorem, a quo invitus cogi, aut puniri poſſit; neque obligatur vi directiva ſive ſub culpa, quia hæc obligatio debet imponi a ſuperiore; nemo autem erga ſeipſum ſuperioritatem, aut ſubjectionem habet. Obligatur nihilominus legislator propriis legibus, quæ ſtatui ſuo conveniunt, indirecte ex quadam decentia & æquitate naturali; cum lumen naturæ dictet, quod caput reipublicæ ſe debeat conformare corpori. Attamen hæc obligatio naturalis per ſe loquendo non eſt gravis, niſi alias ſequeretur grave ſcandalum, gravis perturbatio, aut aliud grave incommodum reipublicæ, ut ſi Pontifex duceret uxorem, vel legislator negligendo ſuas leges læderet juſtitiam commutativam, aliisque grave damnum inferret e. g. non ſervando ſolennitates contractuum, taxam pro mercibus ſtatutam &c. in his enim ipſa natura juſtitiæ exigit æqualitatem, & legislator habetur inſtar privati. Porro dicta procedunt de legislatore, qui ſe ſolo leges condere poteſt, ſi enim poteſtas legislativa pluribus communis eſt, quilibet conlegislator tenetur lege communiter lata; quia quilibet eſt ſubditus totius corporis, uti quando lex fertur a duce Veneto cum ſuis ſenatoribus, a prælato cum capitulo, a magiſtratu, a populo &c.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An potestas Ecclesiastica sit distincta a politica?

200 Quod in lege veteri sacerdotium fuerit distinctum a potestate politica, & sacerdotes habuerint potestatem gubernandi ea, quæ pertinebant ad res sacras, & ad declarationem dubiorum circa legem occurrentium, constat tum ex libro Levitici, ubi describitur, quomodo Aaron, & filii ejus fuerint uncti in sacerdotes; tum ex Deut. cap. 17 vers. 12: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, moriatur.* Hinc quando Saul in Galgala obtulit holocaustum acriter a Samuele objurgatus, & Ozias volens adolere thus gravissima lepra percussus fuit. Pariter in tract. de Sacrament. & Pœnitent. ostenditur, potestatem ordinis, sacerdotium, & jurisdictionem fori interni in nova lege neutiquam laicis competere: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron,* ad Hebr. 5 v. 4. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores &c.* 1. Cor. 12 v. 29. De jurisdictione fori externi

201 Dicendum 1. Potestas Ecclesiastica est distincta a politica. Ita omnes Catholici. Nam 1 Potestas politica est a Deo ut auctore naturæ, & quoad se spectata naturalis, prout vero consideratur in rege vel senatu, est tantum juris humani; potestas autem Ecclesiastica est ex jure divino positivo & speciali concessione Christi tanquam auctoris gratiæ & Ecclesiæ. 2. Potestas politica pro fine tantum habet felicitatem naturalem, & moralem honestatem reipublicæ: potestas Ecclesiastica per se & primario data est ad dirigendos homines in felicitatem æternam, & supernaturalem futuræ vitæ juxta illud ad Hebr. 13 v. 17: *Obedite præpositis vestris; ipsi enim pervigilant, tanquam rationem pro animabus vestris* red-

reddituri. 3. Poteſtas politica ſe non extendit ultra cujusque imperii limites, & non niſi temporalia ac naturalia ordinat: poteſtas eccleſiaſtica habet pro objecto ſpiritualia principia fidei & gratiæ, pœnas & cenſuras ſpirituales, eſtque per totum orbem diffuſa, ac una ſicut ipſa fides. 4. Poteſtas politica poteſt eſſe in gentilibus, fœminis, & laicis utpote mere naturalis, & temporalis: poteſtas Eccleſiaſtica eſt ſupernaturalis, ac ſpiritualis, ac de jure ſaltem ordinario ſolis perſonis eccleſiaſticis competit, quod quidem negant hæretici pertinaciter, & ideo

Dicendum 2. Neque populus, neque principes ſæculares ratione ſui principatus habent in Eccleſia poteſtatem ſpiritualem; ſed poteſtas eccleſiaſtica eſt omnino a politica independens. Concluſio rurſus eſt dogmatica, & probatur 1. Ex una parte poteſtas eccleſiaſtica a Chriſto data eſt Prælatis eccleſiaſticis; ex altera parte non invenitur data populo, aut principibus temporalibus: ergo poteſtas Eccleſiaſtica convenit ſolum illis Eccleſiæ Prælatis, quibus a Chriſto data eſt, & legitimis illorum ſucceſſoribus. Ant. quoad primam partem patet ex num. 172. ubi probavimus poteſtatem hanc a Chriſto datam eſſe Petro, & Apoſtolis trecentis ferme annis, antequam in Eccleſia erant principes temporales. Sed neque Apoſtoli, aut Eccleſiæ Paſtores illam poſtea aliis, quam ſuis ſucceſſoribus communicare potuerunt; hinc S. Paulus ad Tit. 1 v. 5 ait: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitatem Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Et Actor. 20 v. 28 de epiſcopis dicitur: *Quos poſuit Deus epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Prob. ant. quoad 2dam part. Poteſtas Eccleſiaſtica populo & principibus, neque convenit jure poſitivo divino; quia nullum poteſt oſtendi: neque jure naturali; eſt enim ſupernaturalis, & ex natura rei nulli communitati, multo minus alicui homini in particulari debita. Confirm. Si poteſtas Eccleſiaſtica eſſet connexa

nexa cum potestate temporali, illam habuissent etiam Principes ethnici, & in hoc mundo tot essent Ecclesiæ suprema capita, quot principes supremi; sic autem male prospectum esset unitati fidei & Ecclesiæ.

203 Probat. conclusio secundo ex perpetua Traditione, & auctoritate, 1. SS. Patrum, ex quibus S. Chrysost. homil. 5 de verbis Isai. ait: *Quamquam admirandus videtur thronus regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis.* S. Damascen. oration 1. de imagin. *Neque piorum est regum Ecclesiastica statuta convellere - - his de rebus statuere atque decernere non ad reges pertinet.* S. Athanas. in epistol. ad solitar. vit. agent. reprehendit Constantium Imperatorem, quod se rebus Ecclesiasticis adminisceret, & addit Hosium episcopum Cordubæ eidem Constantio dixisse: *Ne præcipe nobis hoc in genere, sed ea potius a nobis disce; tibi enim Deus Imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Similia habent S. Augustin. Gregor. Nazianz. Ambros. Gregor. Magn. &c. 2. Pontificum. Ex his Celas. I. ad Anastasium Imperatorem epistol. 10 ait: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic mundus principaliter regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Plura ejusmodi testimonia habet Gratianus dist. 96, & passim inveniuntur in Jure canonico. Præsertim hanc doctrinam late confirmat Nicolaus I in epistol. ad Michaelem Curopolatem, ubi inter alia multa inquit: *Postquam ad verum ventum est* (id est ad Evangelicam veritatem) *neque Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit, quoniam idem Mediator DEI, & hominum homo Christus JEsus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur.*

Hæc

Hæc teſtimonia abunde ſufficerent, quia tamen 204
hæreticis forte ſuſpecta ſunt, eo quod videantur eſſe data in propria cauſa, imprimis ſciendum, hic non tam agi cauſam Prælatorum Eccleſiæ, quam ipſius Chriſti & fidei: dogmata autem fidei declarare, & Eccleſiæ proponere ad Pontifices, & Eccleſiam ſpectat. Dein hæc teſtimonia etiam ut mere humana ſunt maximæ auctoritatis, & manifeſte oſtendunt perpetuam Eccleſiæ praxin, ac traditionem. Denique ipſi Imperatores hanc veritatem agnoverunt, & teſtati ſunt. Sic Juſtinianus Authent. *quomodo oportet Epiſcopos*, ait: *Maxima quidem in omnibus ſunt dona DEI, a ſuprema collata clementia, ſacerdotium & imperium, illud quidem Divinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens.* Idem ſenſit Conſtantinus Magnus, qui judicium inter epiſcopos in Nicæno Concilio recuſavit dicens: *DEUS vos conſtituit ſacerdotes, & nobis a DEO dati eſtis judices, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos.* De Theodoſio juniore refert Adrianus, illum in epiſt. ad ſynodum Epheſinam ſcripſiſſe: *Illicitum eſt eum, qui non ſit ex ordine Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Baſilius quoque in Synodo VIII diſerte aſſeruit; *nec ſibi, nec ullis laicis licere Eccleſiaſticas cauſas tractare; hoc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & ſacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt.* Paria de Valentiniano refert Nicephorus, & Sozomenus, & de Honorio Innocentius I.

Objectiones.

Obj. 1. Poteſtas civilis prout eſt conjuncta cum 205
fide etiam habet pro fine felicitatem æternam: ergo non differt ab Eccleſiaſtica ratione finis. Ant. prob. ex inſcriptione codicis, & proemii Digeſtorum: *In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti.* Item ex Authent.

Authent. *Quomodo oportet Episcopos*, ubi Justinianus ait: *Maximam habemus solicitudinem circa vera DEI dogmata, & circa sacerdotum honestatem.* Et vero libr. 1 codic. usque ad titulum sextum multa de rebus Ecclesiasticis constituit. Conf. Etiam leges canonicæ multa disponunt de rebus exterioribus, & naturalibus. Resp. dist. ant. habet felicitatem æternam pro fine intrinseco, neg. ant. pro fine mere extrinseco, quatenus leges civiles ex intentione operantis possunt in finem supernaturalem referri, conc. ant. & neg. conf. Potestas civilis in Christianis non est alia, quam olim fuerat in gentilibus, adeoque ex vi propriæ naturæ non fertur in finem supernaturalem, nec versatur circa materiam aut objecta supernaturalis ordinis, imo ne quidem ad singulorum felicitatem naturalem sed tantum ad bonum communitatis ordinatur, quod se ultra hanc vitam non extendit. Hinc leges Imperatorum circa res Ecclesiasticas aut proprie leges non sunt, aut vim legis tantum habent per auctoritatem a Pontifice communicatam. Ad conf. dico, sicut fide supernaturali etiam possunt credi naturalia, sic potestas Ecclesiastica præcipere potest aliqua naturalia ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia. Quia autem semper operatur in ratione propria sui objecti, hæc ipsa ordinat ad finem supernaturalem, quatenus ad illum deserviunt per modum instrumenti, aut alia simili ratione.

206 Obj. 2. Quando Christus Matth. 18 v. 18 ad Apostolos dixit: *Quæcunque alligaveritis super terram &c.* præmiserat: *dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus:* ergo potestas jurisdictionis pertinet ad totam Ecclesiam, seu populum. Hinc etiam S. Augustin. ait: Petrum, quando claves accepit, significasse Ecclesiam. Conf. Actor. 1 v. 26. tota Ecclesia elegit Matthiam, Actor. 6 v. 5 septem diaconos, & Actor. 15 v. 22 etiam Laici in Concilio suffragium tulerunt;

Patres

Patres vero passim dicunt electionem Episcoporum ad populum pertinere. Resp. conc. ant. neg. conf. nam per Ecclesiam juxta S. Chrysost. aliosque interpretes hic tantum intelliguntur Prælati Ecclesiæ, qui publicam personam in Ecclesia gerunt & judicium exercent; nec enim peccatum fratris toti cœtui Ecclesiæ denuntiari potest, ut ipsa consuetudo confirmat. S. Augustinus tantum vult, quod Petrus accipiens claves repræsentaverit Ecclesiam tanquam caput, in quantum, quod datur capiti propter corpus, censetur dari Ecclesiæ in suo capite. Ad conf. licet populus posset eligere, præsentare, denominare, aut potius postulare Episcopos, ideo necdum posset illos creare, aut jurisdictionem conferre; hinc Actor. 6 v. 3 signate ab Apostolis dicitur: *Considerate viros boni testimonii septem, quos constituamus super hoc opus.* Actor. 15 autem solus Petrus proposuit sententiam, Jacobus illam promulgavit, & approbavit, reliqui ad summum habuerunt votum consultivum. Irrepserat quidem aliquando in quibusdam locis consuetudo, ut populus in electione Episcopi jus suffragii sibi usurparet, vel tacite consentiente, vel connivente Pontifice, sed hic abusus brevi iterum sublatus est, sola postulatione populo concessa, ac demum etiam ista abrogata.

Dices. S. Cyprian. lib. 3 epist. 14 ad Presbyte- 207
ros, & diaconos de quibusdam turbulentis fratribus scripsit: *Interim prohibeantur offerre acturi & apud nos, & apud plebem universam suam causam.* Pariter S. Ambros. epist. 32 agens de judicio fidei, inquit: *Iste populus judicat.* Item: *Auxentius vestrum refugit examen.* Conf. licet laici non habeant potestatem supernaturalem, præcise, quatenus sunt homines, habent tamen illam, quatenus sunt Christiani & constituunt communitatem fundatam in religione supernaturali: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. S. Cyprianus præcise sponte sua & nulla lege

aut ſubjectione coactus ſolebat negotia graviora tractare coram clero & populo, ut patet ex epiſt. 10, ubi ait: *Ego a primordio epiſcopatus mei ſtatueram, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis mea privatim ſententia gerere.* S. Ambroſ. loquitur de judicio privato, quo quisque ſine auctoritate obligandi ſtatuit, quid ſibi ſequendum ſit; ſic enim ibidem habet: *Veniant plane, ſi qui ſunt ad Eccleſiam, audiant cum populo; non ut quisque judex reſideat, ſed unusquisque de ſuo affectu habeat examen, & eligat, quod ſequatur.* Ad conſ. neg. ant. nam licet Chriſtus populo Chriſtiano aliquam poteſtatem ſupernaturalem conferre potuiſſet; illam tamen non contulit, ſed Eccleſiæ regimen longe altiore modo inſtituit, ut videlicet ſit unum corpus myſticum, in quo unitas per totum orbem conſervetur, & firma ſtaret columna fidei, & morum ſanctitas.

208 Obj. 3. In lege naturæ poteſtas regia, & ſacerdotalis fuerunt connexæ: ergo etiam ſunt connexæ in lege gratiæ; gratia enim non deſtruit naturam. Ant. patet. Nam Melchiſedech fuit rex Salem, & ſacerdos DEI altiſſimus, Gen. 14, & Abraham, Iſaac, & Jacob tanquam capita familiarum ſacrificia peragebant. Conſ. Etiam in lege naturæ homo non fuit præciſe conditus ad finem naturalem; fundabatur enim in fide, & religione ſupernaturali: ergo ex natura rei principes habuerunt poteſtatem proportionatam ſeu ſupernaturalem. Reſp. diſt. ant. iſtæ poteſtates fuerunt connexæ vi juris naturæ, neg. ant. vi juris humani, & conſuetudine populi poteſtatem hanc transferentis in principes, conc. ant. Ex eo quod ſacrificium, & ſacerdotium aliquo modo ſit de jure naturæ, neutiquam ſequitur etiam de jure naturæ eſſe, ut ſacerdotium ſit conjunctum cum poteſtate politica. Imo illa poteſtas nequidem fuit ſupernaturalis poteſtas ordinis vel jurisdictionis, ſicut eſt in lege gratiæ. Ad conſ. conc. ant. neg.

conſ.

conſ. quia pro eo ſtatu homo nihilominus a poteſtate naturali ſatis potuit dirigi, & præcepta ſupernaturalia obſervare per gratiam DEI.

Dices. Etiam in lege ſcripta poteſtas ſacra atque profana fuit conjuncta in Moyſe, Heli, Samuele, Nehemia, & tempore Machabæorum in Mathatia: ergo. Conf. In veteri Teſtamento reges vocantur *Filii Altiſſimi, angeli DEI, facti juxta cor DEI; lumina Iſraelis; Dii, uncti, domini, famuli DEI; ſedentes in throno DEI.* Reſp. diſt. ant. Iſtæ poteſtates fuerunt conjunctæ ſemper, & jure ordinario, neg. ant. aliquando & extraordinarie, conc. ant. & neg. conſ. quamvis tunc iſtæ poteſtates ex ſpeciali DEI ordinatione fuerint conjunctæ, nunquam tamen ad officia ſacerdotalia aliquis fuit admiſſus, qui non fuerat de numero ſacerdotum. Ad conf. Iſti tituli tantum fuerunt venerationis & honoris; nam aliqui non ſunt communes omnibus regibus, alii etiam iis conveniunt, qui reges non ſunt, & omnes eodem, vel potiori jure conveniunt ſacerdotibus, atque pontifici. Sic filius Altiſſimi ad ſummum vocatus eſt Salomon: ſolus David lumen Iſrael, angelus DEI, & factus juxta cor DEI, non ob dignitatem regiam, ſed ob virtutem, ſapientiam, lenitatem &c. In throno DEI ſedentes ſpecialiter dicebantur reges Iſrael, quia regebant populum DEI, famuli DEI ſunt omnes præſertim juſti; Dii maxime vocantur judices & ſacerdotes, qui etiam frequentius dicuntur uncti, & numquid Apoſtoli lux mundi appellantur? 209

Obj. 4. Reges veteris Teſtamenti ſæpe exercuerunt jurisdictionem & poteſtatem ſacram, etſi non fuerint ſacerdotes: ergo id etiam poſſunt in novo, in quo regia poteſtas non eſt minor. Ant. prob. inductione. 1. David reduxit Arcam DEI, & immolavit boves & oves, 2 Reg. 6. Salomon ædifi- 210

cavit templum, illudque dedicavit Domino, 2 Paralipom. 7. Josias congregavit omnem populum, etiam Levitas & sacerdotes, & cunctis audientibus legit verba libri Fœderis, qui inventus est in domo Domini, 4 Reg. 22. Alii reges redintegrarunt fœdus inter Deum & populum, abstulerunt abusus & corruptelas purgarunt. Resp. neg. ant. de potestate sacra & spirituali proprie tali; quæ enim egerunt reges Israel, erant mixti fori & ab iis tantum exercebantur ex regali præeminentia, cura, protectione, & zelo. Sic 1 David tantum honoris causa Arcam comitabatur, sicut reliqui de populo: *David, & omnis domus Israel deducebant Arcam*, 1 Paralip. 15 v. 28; arcam autem soli portabant Levitæ, & sacrificia peragebantur per sacerdotes. 2 Ædificare templum est tantum actus religionis, quod etiam possunt privati; neque Salomon illud dedicavit per consecrationem a se factam propria aliqua actione religiosa, sed tantum illud propria voluntate exterius manifestata obtulit Domino, & consecrationem sua præsentia cohonestavit. Hinc 3 Reg. 8 v. 63 dicitur: *dedicaverunt templum Domino rex & filii Israel*. 3. Congregare populum, legere verba legis &c. rursus nihil aliud sunt, quam actiones piæ, vel maxime decentes bonum & fidelem regem, & veræ fidei defensorem; cum utique rex etiam potestate civili, ad extirpanda vitia, & spirituale bonum populi uti possit.

211 Dices. Rex Josaphat abstulit de Juda excelsa & lucos. 2. Misit cum Levitis etiam principes, ut docerent populum. 3. Constituit in Jerusalem Levitas & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, *ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus*, 2 Paral. 19 v. 8. Conf. Ezechias confregit serpentem æneum, licet jussu Divino non sine mysterio & sancta repræsentatione erectus fuerit. Resp. ad 1. cum colere idola sit contra rationem huma-

humanam & bonum commune, quilibet rex etiam gentilis tenetur illa auferre: excelſa vero ſeu altaria in montibus erecta, erant in antiqua lege prohibita, & populo in ſcandalum, adeoque reges tanquam defenſores fidei, & pontificum adjutores illa deſtruere tenebantur; qui autem ex negligentia id non fecerunt, in S. Scriptura reprehenduntur, eo quod efficacius potuiſſent juvare, quam pontifices ſua doctrina & præceptis. Ad 2. Sicut docere populum non eſt proprie actus jurisdictionis, ſic miſſio illa non fuit proprie ſacra ſeu per collationem poteſtatis ſacræ atque judiciariæ in cauſis ſacris. Sane etiam hodie reges dicuntur mittere prædicatores ad gentes ſibi ſubditas, quia mittuntur ad ipſorum petitionem, ſub illorum protectione, & expenſis. Ad 3. Joſaphat ex propria quidem poteſtate conſtituit judices laicos quoad temporalia, ſacerdotes autem & Levitas ſolum ex pia quadam ſolicitudine, & providentia tanquam judices in ſacris deſignavit, non tamen ſine conſenſu pontificis eos creavit, ut colligitur ex contextu. Ad conf. Poſtquam ſerpens æneus cœpit eſſe ſcandalo, & Iſraelitæ ei adolebant incenſum, merito Ezechias illum potuit confringere, jubente lege: *confringite ſtatuas, lucosque ſuccidite.* Deut. 7 v. 5.

Obj. 5. Principes Chriſtiani regnant gratia DEI, 212
ſunt in terris Vicarii DEI, legati DEI, Paſtores, Eccleſiæ Patres, & nutritii, ob religionem cultam a Deo laudantur, ob neglectam vituperantur: ergo habent jurisdictionem ſpiritualem. Conf. Principes ſæculares nunc poſſunt punire hæreticos, & alia vitia contraria religioni, ut ſunt circumciſio, blasphemia in Chriſtum &c. ergo habent poteſtatem ſupernaturalem; nam actus iſte ex natura rei non pertinet ad poteſtatem civilem. Reſp. diſt. ant. Principes Chriſtiani regnant gratia DEI regimine politico, & ſunt DEI in terris Vicarii, legati &c. in

temporalibus, conc. ant. regimine facro, & in fpiritualibus, neg. ant. & conf. Principes funt tantum vicarii DEI modo in facris litteris expreffo, exercendo jus advocatiæ, Ecclefiam defendendo, & miniftros Ecclefiæ protegendo, ut in pace, & cum fructu miniftrare valeant; eodem fenfu funt etiam Paftores & Nutritii, nempe tanquam protectores & defenfores promovendo Chriftianam juftitiam, & divinum cultum, fed intra debitos limites, & modo ipfis proportionato. Ad conf. dico hæc vitia a principibus fæcularibus tantum puniri, quatenus in hoc ftatu Chriftianam rempublicam perturbant quoad felicitatem temporalem, vel per poteftatem ab Ecclefia communicatam, & quafi tacitam, vel expreffam invocationem brachii fæcularis.

213 Dices 1. Principes Chriftiani habent fubditos fibi quoad omnia fubjectos. Hinc SS. Patres regibus tribuunt varios actus poteftatis fpiritualis. Sic S. Auguftin. epift. 50 ad Bonifac. adftruit poteftatem principum legislativam in *facris & Ecclefiafticis*, S. Chryfoft. & Ambrof. poteftatem coercitivam *in facris*. Ifidor. lib. 3 fentent. præfulatum. Epiphanius ait, *reges datos effe, ut omnia ex Deo bene adminiftrent*. Eleuther. papa in quadam epiftol. ad Lucium Angliæ regem fcripfit: *Habetis vos in regno veftro utramque paginam, ex illis per DEI gratiam regni veftri fumite legem; vos enim in regno veftro vicarius DEI eftis.* Refp. dift. ant. habent fubditos fibi quoad omnia fubjectos in temporalibus, conc. ant. in fpiritualibus neg. ant. S. Auguftinus principibus fæcularibus non tribuit poteftatem *in facris*, fed *pro facris*, ut illam defendant contra hæreticos. S. Chryfoft. & Ambrofius poteftatem coercitivam armatam gladio temporali, non fpirituali, Ifidorus accipit præfulatum latius pro omni præfectura, & poteftate regendi. Epiftola Eleutherii neque inter epiftolas pontificias, neque in tomis Con-

Conciliorum invenitur. Epiphanius denique cum aliis Patribus, regibus tantum tribuunt actus quosdam, qui sine jurisdictione spirituali exerceri possunt, uti sunt curare, ut ignorantia tollatur, sana doctrina conservetur, præstare auxilium pastoribus, & prædicatoribus veræ fidei, seminatores perversæ doctrinæ coercere &c.

Dices 2. Imperatores Christiani jurisdictionem 214
proprie talem exercuerunt, ut patet ex libris Carolinis de imaginibus cont a synodum sacram, ex capitulari Caroli Magni, & Ludovici Pii constitutione de disciplina Clericorum & Monachorum. Conf. Teste Baronio ad annum 559 reges constituerunt episcopos præsertim in Gallia, uti Martellus, Pipinus &c. quod etiam Carolus Magnus fecit in Germania, maxime apud Saxones. Resp. dist. ant. exercuerunt jurisdictionem ex potestate delegata tanquam advocati & defensores Ecclesiæ, transf. ant. ex jure regio & ordinario, neg. ant. De libris Carolinis nullus veterum meminit, eosque excepto capitulo ultimo non esse Caroli Magni, & multo minus, ut alii fingunt, Concilii Aquisgranensis testatur Adrianus Papa, & demonstrat P. Schwarz part. 6 histor. critic. Capitulare non tam capitula nova quam veterum Conciliorum canones continet, quos in unum volumen collegit Carolus, novi autem nihil sine nutu & permissione episcoporum addidit. Pariter regulas pro monachis & clericis non fecit Ludovicus sed Concilium Aquisgranense, quamvis volente imperatore, cui etiam a Concilio commissa est promulgatio canonum, teste Benedicto Levita capitularium utriusque Imperatoris collectore. Imo uterque imperator libr. 7 capitul. ait: *Omnia statuta contra Apostolica decreta nullius roboris esse.* Ad conf. Baronius eodem loco ostendit jus constituendi episcopos a regibus tantum fuisse præsumptum, cumque sub Martello sæculo VII tanta

ta rerum fuerit inducta confusio, ut etiam laici episcopatibus potirentur: Zacharias Papa tum ob temporum acerbitatem, tum ob præclara in sedem Romanam merita, Pipino dedit privilegium episcopos nominandi. Similiter ex privilegio Carolum egisse censendum est, cujus beneficio religio in Germania plurimum propagata est.

QUÆSTIO VI.

An proprium pastorum Ecclesiæ sit jura fidei, & disciplinæ Ecclesiasticæ facere & interpretari?

215 SEnsus quæstionis est, an Prælati Ecclesiastici tantum sint moderatores, & quasi Pædagogi, quorum munus aliud non sit, quam dirigere fideles & docere, salva semper auctoritate principum, ut volunt Novatores, vel an ipsis præsertim summo pontifici suprema jurisdictio Ecclesiastica competat, vi cujus ex propria auctoritate jura fidei & disciplinæ præscribere & interpretari, refractarios vero justis pœnis coercere possint, ita ut etiam reges & principes in spiritualibus obedire teneantur. Ne vero hæc quæstio de se prolixa ultra præfixos terminos excurrat, ex tractatu de fide suppono Pontificem Romanum esse verum Petri successorem, & Christi in terris vicarium, cui Christus parem cum D. Petro potestatem concesserit. Neque hic disputo, utrum Pontifex sit supra Concilium, & Petrus primatum Monarchicum supra omnes Apostolos habuerit; cum hic solum agendum sit de comparatione potestatis Ecclesiasticæ cum politica. In hac ipsa autem comparatione rursus separanda ac distinguenda est illa quæstio, quæ in jure canonico de immunitate Ecclesiastica examinari solet: Utrum videlicet clerici & Prælati Ecclesiastici imperatoribus, & regi-

regibus saltem in civilibus subjecti sint? Nam licet hoc transmitteretur, nihilominus simul stare posset, quod vicissim principes sint Ecclesiæ subjecti in illis, quæ ad regimen Ecclesiasticum pertinent.

Dicendum. Prælati Ecclesiastici habent supre- 216
mam jurisdictionem spiritualem in omnes Christianos. Assertio est dogmatica, & probatur 1. Quando Christus ad S. Petrum, & Apostolos dixit: *Pasce oves meas: quodcunque ligaveritis super terram &c.* locutus est universaliter de omnibus ovibus, & actibus Christianorum, quibus vita æterna perdi vel comparari potest: ergo Ecclesiæ Prælati habent supremam, & universalem jurisdictionem spiritualem in omnes Christianos, & totum Christi ovile, sub quo æque comprehenduntur principes & magistratus, quam alii inferioris conditionis. Jam vero hæc potestas suprema nec satis utilis nec efficax foret, nisi conjuncta esset cum vi coercitiva, & illi, qui justis legibus obedire nolunt, meritis pœnis affici possent, ut patet tum ex paritate cum potestate politica, tum quia boni pastoris est non solum oves errantes ad ovile revocare, sed etiam lupos arcere. Hinc postquam S. Paulus 2 Cor. 10 v. 4 dixit: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt: sed potentia ad destructionem munitionum,* v. 6 subjungit: *In promptu habentes ulscisci omnem inobedientiam:* eodem sensu 1 Cor. 4 v. 21 dixerat: *Vultis ut in virga veniam ad vos.* In quæ verba S. August. lib. 3 contra Parmen. cap. 1 ait: *Jam hic apparet eum loqui de vindicta, ad cujus significationem virgam nominavit.* Et S. Ambros. lib. 1 de pœnitent. cap. 12: *Quid esset in virga venire, docet accusatio incesti, reprehensio tumoris, postremo condemnatio rei.*

Prob. conclusio 2. Ex perpetua traditione & 217
praxi Ecclesiæ, quæ supremam jurisdictionem tum in Conciliis, tum etiam extra illa semper in omnes

Christianos exercuit, pront vel obiter historiam Ecclesiasticam, jus canonicum, & Pontificum Bullas inspicienti patebit, & jam præcedente quæstione ostendimus. Hinc Symmachus Pontifex Anastasium I Imperatorem sic allocutus est: *Tu si Christianus princeps es, qualiscunque præsulis Apostolici vocem debes patienter audire.* Antiquissimi quoque imperatores summos pontifices suos Patres spirituales vocare solebant, suamque obedientiam illis spondebant. Notanda specialiter sunt verba Caroli Magni: *Honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam sedem, ut licet vix ferendum ab illa sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Ladislaus rex Hungariæ Nicolaum V vocat *Unicum Christianorum principem, & regem regum.* Ludovicus rex Galliæ ad Pium II scripsit: *Beatissimo Patri nostro Pio Papæ secundo obedientiam filialem - - te dominici gregis pastorem profitemur, & scimus, teque jubentem sequimur.* Similia referri possent de Alphonso rege Hispaniæ, de Eduardo rege Angliæ, Kenulpho rege Merciorum apud Suarium in defensione fidei Catholicæ lib. 3 cap. 21. Conf. potestas infallibiliter judicandi in causis fidei ac morum, ejiciendi ex Ecclesia refractarios, & admittendi pœnitentes non est potestas tantum Pædagogo propria, sed suprema, habens conjunctam vim directivam, & coactivam, cui omnes fideles se submittere tenentur; sed talem potestatem Christus dedit Apostolis, eorumque successoribus, qui illam omni tempore exercuerunt: ergo.

Objectiones.

218 Obj. 1. Principibus de jure naturæ competit imperium summum: ergo non sunt subjecti potestati Ecclesiasticæ: alias non posset servari tranquillitas publica, & vix fieri, ut inter has duas potestates non

non orirentur diſſenſiones ; regnum autem in ſe ipſo diviſum deſolabitur, & nihil magis vitandum, quam ſtatus in ſtatu, principatus in principatu, respublica in republica. Conf. Summa poteſtas non patitur in regno aliam ſibi æqualem ; nec enim in eodem regno poſſunt dari duo reges, & in corpore naturali tantum eſt una voluntas imperatrix omnium membrorum, & actionum. Reſp. diſt. ant. principibus competit ſummum imperium politicum, conc. ant. ſacrum, neg. ant. cum poteſtas ſacra & politica ſint diverſæ, per illas adeo non turbatur quies publica, ut potius a Chriſto ad illam conſervandam ſint inſtitutæ. Teſtatur quoque experientia pacem Imperii & regnorum, quamdiu ſub una fide, unoque Eccleſiæ capite unita erant, longo tempore & longe melius fuiſſe conſervatam. Quod ſi quandoque aliquæ diſſenſiones inter has poteſtates ortæ ſunt, id fuit per accidens & ex abuſu. Porro illud principium politicum : vitandum eſſe ſtatum in ſtatu, intelligi debet de duplici ſtatu ejusdem generis, & non ſubordinato. Ad conf. diſt. ant. non patitur ſibi æqualem in diverſo genere, neg. ant. in eodem, qualem haberent duo reges ejusdem regni, tranſ. ant. Altera paritas, ſi tamen a phyſicis ad moralia argumentari licet, potius eſt pro nobis ; nam etiam in homine intellectus regit actiones internas, voluntas externas, imo ipſe intellectus quoad aliquos actus voluntati ſubjectus eſt.

Dices. Ex una parte regnum Chriſti nihil aliud eſt, quam unio fidelium cum Chriſto per fidem, gratiam, & virtutes : ex altera parte poteſtas principis ſe extendit ad omnia, quæ publicam concordiam concernunt, inter quæ maxime eſt religio, & hæc ſufficienter conſervari poteſt, modo contra illam delinquentes puniantur a principibus : ergo. Conf. Religio eſt perſonalis dependens ab aſſenſu mentis, & de jure naturæ libera : ergo non eſt ſub- 219

jecta

jecta speciali cuidam potestati. Resp. dist. ant. Est unio fidelium cum Christo qualiscunque, neg. ant. sub uno capite visibili vicario Christi, conc. ant. quoad hoc membrum, & dist. etiam quoad alterum: potestas principis se extendit ad omnia politica, conc. ant. sacra, subdist. jure defensionis, & protectionis, conc. ant. jure regiminis, neg. ant. quomodo delicta contra religionem ad potestatem politicam pertineant, diximus num. 212. Adde quod ipsi principes contra religionem delinquere possint, quis autem illos coercebit, nisi id valeat Ecclesia? Ad conf. transf. ant. neg. conf. Licet de jure naturæ nulla certa religio sit præscripta, neque homo ad credendum proprie cogi possit, est tamen de jure naturæ, ut Deus colatur modo decenti, quem de facto Christus determinavit, simulque omnes fideles jurisdictioni pastorum Ecclesiæ subjecit. Certe ipsi Novatores fatentur, religionem falsam posse prohiberi, & principes etiam sæculares suos subditos compellere, ne e. g. ad Judaismum, vel Mahometanismum deflectant.

220 Obj. 2. S. Petrus, & Paulus non obstante sua potestate, illimitate jusserunt, ut Christiani obedientiam præstent principibus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Obedite regi tanquam præcellenti*, ad Rom. 13 v. 1. Imo Apostolus omnes Christianos vocat *Genus electum, regale sacerdotium*: ergo prælati Ecclesiæ potius sunt subjecti potestati sæculari. Conf. SS. Patres vocant Imperatorem hominem a Deo secundum, & solo Deo minorem, cui nihil simile sit in rebus creatis. Hinc Symachus Papa comparans Pontificem cum Imperatore ait: *Ut non dicam superior, certe æqualis honor Imperatoris est.* Resp. dist. ant. jusserunt, ut Christiani obedientiam præstent principibus in rebus politicis, & quæ religioni non præjudicant, conc. ant. in spiritualibus, aut cum præjudicio religionis, neg. ant.

alias

alias etiam gentiles tempore Apoſtolorum habuiſſent ſummam poteſtatem in Eccleſia. Textus objecti ſufficienter limitantur per illos, quibus Chriſtus Petro & Apoſtolis ſummum Eccleſiæ regimen commiſit. Dicuntur autem Chriſtiani *regale ſacerdotium* in ſenſu latiore, non quaſi ſacerdotium exiſtat in populo tanquam ſubjecto exercente, ſed quia datur in illo tanquam in ſubjecto recipiente, & obediente ſacerdotio. Ad conf. diſt. ant. quod Imperator ſit homo a Deo ſecundus &c. quoad regimen, & poteſtatem politicam, conc. ant. quoad Eccleſiaſticam, neg. ant. Symachus ex modeſtia vocat honorem Imperatoris æqualem, non ſimpliciter, ſed ſecundum proportionem, quatenus uterque in ſuo ordine ſupremus eſt; dixerat enim antea: *conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum.*

Dices. S. Paulus 2 ad Cor. 4 v. 5 ait: *non nos* 221
metipſos prædicamus, ſed JEſum Chriſtum, nos autem ſervos veſtros per JEſum. 2. Leo IV apud Gratianum diſt. 10 can. 9 agens de præceptis imperialibus imperatores vocat Pontifices. 3. S. Ambroſ. orat. contra Auxent. fatetur arma ſacerdotis tantum eſſe preces & lachrymas, aliter illum nec poſſe, nec debere reſiſtere. 4. S. Gregor. epiſtol. 61, alias 100 Mauritium Imperatorem vocat dominum ſuum, ſeque famulum ſuæ pietatis, nec auſus eſt reſcindere legem iniquam quam tulerat, ne milites in monaſterium reciperentur, ſed fatetur ſe juſſioni Imperatoris ſubjectum, & eandem legem in diverſas terræ partes transmitti feciſſe. Reſp. ad 1. Apoſtolum hic non loqui ad ſolos reges, ſed ad omnes Corinthios, neque ſe dicere ſervum ſervitute proprie tali Corinthiis parendo, ſed in ſenſu latiore, quatenus laborabat in illorum commodum regendo & præſidendo.

dendo, Ad 2. Leo IV Imperatores vocat Pontifices solum analogice ob specialia in Ecclesiam merita, sicut Constantinus Magnus dictus est Apostolus fidei; imo hæc epistola ad Lotharium ipsis acatholicis suspecta est, & probabilius supposita, vel saltem corrupta. Ad 3. S. Ambros. tantum vult, sacerdotis non esse tractare arma sensibilia, & materialia contra tyrannos & rebelles, ut satis ostendit, quando Theodosio non solis precibus, sed imperio, & spirituali potestate restitit. Ad 4. S. Gregor. in illa epistola non loquitur ut Episcopus, sed ut privatus, ut ipsum initium epistolæ indicat. Antequam vero legem ad varias terræ partes mitteret, illam correxit, ut videlicet milites non suscipèrentur ante sufficientem examinationem, & probationem. Cæterum in alio scripto Mauritium expresse inter persecutores Ecclesiæ numerat, eo quod in Ecclesiam jus potestatis usurpet.

222 Obj. 3. Suprema potestas Ecclesiastica Pontifici primum data est a Constantino Magno, Constantino IV vel Phoca; neque Pontifices ultra trecentos annos potestate coactiva in principes usi sunt. Conf. S. August. in Psal. 124 ait: Julianum tametsi infidelem, iniquum & idololatram fuisse verum dominum, illique a Christianis obediendum. Resp. neg. ant. Constantinus Magnus can. *Constantinus*, 14 distinct. 96 dicitur quidem Pontifici donasse Palatium Lateranense, & alia temporalia, ditionem autem spiritualem nec dedit, nec dare potuit, & in eodem canone fatetur, S. Petrum fuisse vicarium Christi, & ideo ipsius successores capita Ecclesiæ haberi debere. Constantinus IV solum remisit jus, quod se habere existimabat in confirmatione Pontificis. Phocas teste Platina in vita Benedicti XIII solum ad instantiam Bonifacii III contra Joannem, & Cyriacum episcopos Constantinopolitanos declaravit Romanam Ecclesiam esse caput omnium reliqua-

quarum Ecclesiarum, proinde Constantinopolitanum Episcopum non esse Episcopum universalem, sed particularem, & subjectum sedi Apostolicæ. Quod autem Ecclesia longo tempore potestatem coactivam in principes non exercuerit, mirum non est, quia tunc Imperatores erant gentiles, neque statim fuisset consultum in principes apostatas aut rebelles hac potestate uti, eo quod majus Ecclesiæ nocumentum inde timeri debuisset. Ad Conf. nos ipsi quæst. 4 hujus disputationis docuimus, etiam regibus infidelibus, hæreticis, & schismaticis, quamdiu regno potiuntur, obediendum esse.

Dices 1. Imperatores longo tempore elegerunt, 223
vel confirmarunt Pontifices, imo ipse Hadrianus I jus eligendi Pontificem concessit Carolo Magno, canon. *Hadrianus*, dist. 63, & postea Leo VIII Othoni I, ut dicitur, eadem distinct. canon. in Synodo. Denique canon. *Nos si incompetentes*, caus. 2 quæst. 7 Leo IV. petiit judices a Ludovico Imperatore, & eorum sententiæ se pariturum promittit. Conf. Imperatores & reges sæpe contra potestatem Pontificis sunt protestati, & Pontifex illa abusus est. Resp. dist. ant. elegerunt, vel confirmarunt ex jure regio & proprio, neg. ant. ex potestate delegata vel per vim sibi arrogata, prout a tempore Justiniani usque ad Constantinum IV contigisse deplorat S. Gregor. in Psalm. 5 pœnit. conc. ant. Equidem privilegia ab Hadriano & Leone concessa a Schismaticis conficta esse ostendit Baronius anno 774, & 964, Leo IV se tantum subjecit judicio discretionis, non vero coactivo Imperatoris, ut ex ipso capitulo objecto colligitur. Interim negari non potest, quandoque imperatoribus ob frequentia schismata jus nominandi Pontificem concessum, eorumque consensum, & opem ad Ecclesiam Romanam quoad temporalem principatum ordinandam, imploratam fuisse; at vero per hoc nulla ipsis conferebatur jurisdictio spiritualis,

neque

neque ista privilegia fuere perpetua, sed iterum revocata, sicut etiam antea & temporibus intermediis Pontifices libere & sine consensu Imperatoris electi sunt. Ad conf. Facta principum temporalium præsertim Ecclesiæ rebellium parum valent ad ostendendum divinum jus, tum quia illud docere ad solos Ecclesiæ ministros pertinet, tum quia potentia sua freti, & cupiditatibus abrepti facile potestatis temporalis jura transcendunt. Quod si etiam Pontifices quandoque sua potestate abusi sint, nostrum tantum est illorum jus, non item abusus defendere.

224 Dices 2. Imperatores sæpe judicarunt, & abdicarunt Pontifices; nam Constantius in exilium misit Liberium, & Justinianus Sylverium. Theodoricus rex Joannem I in carcerem conjecit. Otho I Joanni XII substituit Leonem VIII, Henricus III deposuit Sylvestrum, Benedictum IX & Gregorium VI, Henricus IV Alexandro II opposuit Codolaum, & Gregorio VII Guibertum &c. Conf. In antiquo testamento Salomon exauctoravit Abiathar: ergo a pari. Resp. Cum Constantius, & Theodoricus fuerint Ariani, Justinianus autem Eutichianus, mirum non est, quod inique cum Pontificibus egerint. Ab Othone I Joannes XII bono zelo, sed non secundum scientiam depositus est; fuit enim omnium Pontificum ferme deterrimus, & juxta Platinam patris potentia intrusus. Sylvestrum intrusum, & Schismaticum Papatu expulit Benedictus IX, qui postea ultro dignitatem posuit, quod etiam fecit Gregorius VI, licet ab Henrico ob metum Schismatis, & quia simoniace videbatur ingressus, ad hoc adactus fuerit. Codolaus, & Guibertus tantum fuere Antipapæ. Ad conf. Vel Salomon non egit ut rex, sed ut propheta, *Ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Siloh*, 3 Reg. 2 v. 27, vel in lege scripta sacerdos non fuit exemptus a potestate regia in criminalibus & civilibus

bus, ut adeo Abiathar propter conspirationem cum Adonia in exilium mitti potuerit, & sic consecutive fuerit privatus munere Pontificis, vel potius ejus executione. Adde quod dignitas & potestas Pontificis in lege nova sit longe major, quam in veteri, ubi sacrificia solum erant carnalia, neque Pontifici claves regni cœlorum, aut tam ampla ligandi, atque solvendi potestas tradita fuerat.

Obj. 4. Convocatio Conciliorum pertinet ad 225
Imperatorem: ergo ipsi competit supremum jus in sacra. Ant. prob. *inductione*. Concilium Nicænum indictum est a Constantino Magno, Constantinopolitanum I a Theodosio seniore, Ephesinum a Theodosio juniore, Chalcedonense a Valentiniano, & Marciano, Laodicense a Constantio. Conf. Reges in antiquo Testamento convocarunt sacerdotes: ergo a pari. Resp. dist. ant. pertinet ad Imperatorem ex jure proprio & regio, neg. ant. ex delegato, transf. ant. & neg. conf. Sicut certum est Concilia Generalia posteriora & plura, sola auctoritate Pontificis congregata esse, sic convocatio priorum nunquam sine consensu, & auctoritate Pontificis facta est; imo ejus suprema potestas in his ipsis Conciliis maxime commendatur. Et quidem de Nicæno in VI Synodo act. 18 expresse dicitur, illud fuisse congregatum a Constantino & Sylvestro. De Constantinopolitano ipsi Patres ad Pontificem Damasum scripserunt, se convenisse ex mandato literarum ab illo ad Theodosium missarum, ut refert Theodoret. lib. 5 histor. Ephesinum congregatum est industria Cyrilli, qui constitutus erat legatus sedis Apostolicæ, ut habetur ex epistola Cœlestini ad Cyrillum. De Chalcedonensi ipse Martianus ad Leonem scripsit, eum rogans, ut veniat, & concilium faciat, vel saltem per litteras significet, quid agi velit. Ad conf. Reges Judaici non convocarunt sacerdotes imperiose, & ad decidenda dubia religionis, sed in-

vitarunt amicabiliter ad aliquas solennitates cultus divini.

226 Dices 1. Concilia generalia primum convocari cœperunt, quando Imperatores facti sunt Christiani: ergo signum est, quod ipsi Imperatores convocaverint. Hinc Liberius apud Theodoret. lib. 2 concessit, in Imperatoris potestate esse convocare Concilia. Et S. Hieron. lib. 2 apolog. contra Ruffinum loquens de quadam synodo ait: *Dic, quis Imperator hanc synodum jusserit convocari.* Hinc Imperatores etiam Conciliis interfuerunt, & præfuerunt. Resp. trans. ant. Quod Concilia generalia ante Imperatores Christianos habita non sint, non erat ex defectu auctoritatis, sed opportunitatis, quæ ipsa causa fuit, quod primi Imperatores Christiani ad Concilia convocanda fuerint implorati; nam tunc adhuc vigebat lex Imperialis, ob metum seditionis prohibens omnia collegia, & frequentes hominum conventus; Concilia vero fiebant sumptibus publicis præsertim quoad transvectiones Episcoporum ad locum Concilii. Porro Apostoli statim initio Ecclesiæ Hierosolymis Concilium habuerunt; in toto autem dialogo Liberii nunquam conceditur, convocare Concilia esse propriam potestatem Imperatoris, sed tantum ab Ariano Imperatore petitur, ut fieret synodus, quæ ipso invito fieri non potuisset. S. Hieronym. loquitur de illis temporibus, quibus revera Imperator ex consensu Pontificis Concilia convocabat. Quod denique Imperatores Conciliis non præfuerint ut judices, sed tantum interfuerint ut defensores & protectores, vel ad summum sessionis honore præcesserint, constat ex historia Ecclesiastica.

227 Dices 2. Ipsa Concilia decreta sua Imperatoribus & regibus submiserunt. Nam 1°. Concilium Arelatense tempore Caroli Magni congregatum in fine capitulorum ita concludit: *Hæc Domino Imperatori præ-*

præsentanda decrevimus, ut si quid hic minus est, ejus providentia suppleatur; si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio perficiatur. 2. Concilium Turonense in fine ad eundem Imperatorem ita loquitur; *sed hos in conventu nostro ita ventilavimus; sed quomodo deinceps piissimo principi nostro de his agendum placebit, nos fideles famuli ad nutum, & voluntatem ejus parati sumus.* Similia habentur in Concilio Moguntino, & Cabilonensi. 3. Patres Concilii Ephesini in epistola ad Augustos dicunt: *Universos supplices ad pietatis ejus dominationem confugere, ut quæ contra Nestorium, & illi consentientes gesta sunt, robur suum haberent.* Resp. dist. ant. decreta sua imperatoribus, & regibus submiserunt, tanquam judicibus in rebus sacris, neg. ant. tanquam advocatis & defensoribus, ut illorum auxilio executioni mandarentur & promulgarentur, conc. ant. nam licet verba Concilii Arelatensis & Turonensis plus videntur indicare, erant tamen solum verba urbanitatis, modestiæ, & humilitatis, cumque inter illa decreta etiam quædam fuerint, quæ ad moralem usum laicorum pertinebant, merito ad meliorem executionem præsentata sunt Imperatori, præsertim quia illa Concilia tantum fuerunt particularia, & a piissimo principe nullum præjudicium timendum. Hinc in prologo Concilii Arelatensis de Imperatore dicitur: *Ecclesiæ DEI statum vigili instantia roborare disponit -- omnibus DEI sacerdotibus obsecrans, & obtestans, ut Ecclesias, quas regendas susceperunt pia prædicatione instruant.* Benedictus quoque Levita libr. 7 capitul. testatur a Carolo, aliisque regibus Francorum nihil sine auctoritate, hortatu, & consilio Pontificis, atque Episcoporum actum esse. Vide num. 214.

Quæres 1. An Ecclesia & personæ Ecclesiasticæ saltem quoad temporalia sint subjectæ potestati 228

sæculari. Resp. cum communissima Catholicorum, negative. 1. Quia personæ Ecclesiasticæ speciali distinctione sunt sacræ, & ad DEI obsequia dicatæ, & quoad jurisdictionem subjectæ summo Pontifici, neque principibus sæcularibus ullum jus in res Deo sacras competit juxta illud Levit. ultim. vers. 28: *Quidquid semel DEO consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* 2. Quia est contra honestatem, dignitatem, ac reverentiam, ut pastor ab ovibus regi, & coerceri valeat, quemadmodum docet constans persuasio, & consuetudo gentium, sic apud Hebræos a tributis liberi erant Levitæ, apud Ægyptios, Persas, Romanos Popæ, & sacrificuli. 3. Quia immunitas Ecclesiastica tam quoad personas, quam quoad bona ab initio Ecclesiæ observata & non solum a Jure Canonico, sed etiam a civili per primos statim Imperatores Christianos asserta fuit. Sic Constantinus Magnus clericos excepit a novis collationibus, sanxitque, ne ultra indulta privilegia graventur, aut ad curias sæculares vocentur. Idem fecerunt Constantius, Valentinianus, Valens, Gratianus &c. hinc Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 20 de reform. principes Christianos hortatur, ut Apostolicas Sanctiones, in favorem personarum Ecclesiasticarum editas, tanquam DEI præcepta venerentur. Ista tamen immunitas, & exemptio a jurisdictione, foroque sæculari ex determinatione ipsius Ecclesiæ non est æqualis respectu omnium clericorum, & bonorum; nam clerici uxorati minus participant de immunitate, quam non uxorati. Clerici minores absque tonsura & habitu non gaudent privilegio fori. In feudis Ecclesiasticis omnes sortiuntur forum Domini directi, etiamsi iste laicus sit. Pariter ubi clericus est actor contra laicum in causis civilibus forum civile sequi debet.

229 Quæres 2. An clerici obligentur legibus civilibus? Resp. 1. Quod clerici non obligentur legibus, quæ

quæ ſacris canonibus, aut ſtatui clericali & libertati Eccleſiaſticæ adverſantur, teſte P. Schmalzgrueber docent fere omnes alicujus nominis Doctoris orthodoxi, & traditur cap. 10 de conſtitut. 2. Quamvis leges nec Eccleſiaſticam libertatem lædant, nec ſtatum Eccleſiaſticum dedeceant, ſed comprehendant materiam communem tam laicis, quam clericis, uti ſunt leges præſcribentes formam contractibus, prohibentes, ne frumentum exportetur &c. Clerici illis non obligantur vi coactiva, nec coram judice ſæculari poſſunt conveniri, ut iterum docet communis, & colligitur ex numero ſuperiore. 3. Imo clerici his legibus civilibus ne quidem obligantur vi directiva, ut contra Salas, Caſtropalao &c. tenent Suarez, Decius, Azor, Schmalzgrueber. Ratio eſt, quia principes ſæculares nullam habent poteſtatem imperandi perſonis Eccleſiaſticis, ut ſtatuitur cap. 10 cit. *Nos attendentes, quod laicis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas - - a quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum & favorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum.* Neque obſtat, quod clerici ſint cives & membra communitatis; ſunt enim tantum cives a legibus civilibus exempti. 4. Obligantur nihilominus clerici quandoque legibus civilibus per accidens, quando a ſuperiore Eccleſiaſtico ſunt approbatæ, vel ex æquitate naturali, qua ad juſtitiam ſervandam, & bonum publicum promovendum tenentur eo proportionaliter modo, quo num. 199 diximus legiſlatorem obligari legibus a ſe latis.

PARS II.

DE JURE.

230 NOmen juris analogum est, & accipitur 1 pro lege, per quam tanquam formam actiones justæ diriguntur. 2. Pro jurisprudentia, quæ definitur ars æqui & boni, justi & injusti scientia. 3. Pro sententia judicis, quo sensu prætor partibus litigantibus jus dicit, licet interdum, quod decernit, sit iniquum. 4. Pro curia, sive loco judicii; hinc illæ phrases: ambulare in jus, vocari in jus &c. 5. Pro actione, vel re justa, qua ponitur æqualitas inter debitum unius, & creditum alterius. In hoc sensu jus est objectum justitiæ, & res nostra vocatur jus nostrum. 6. Pro jurisdictione superioris in subditos. 7. Pro jure proprietatis rigoroso, quod proprie ad præsentem tractatum pertinet, & consistit in potestate de re aliqua disponendi, & pro libitu suo alios obligandi, ne potestati huic contraveniant.

DISPUTATIO I.

De essentia, subjecto, & objecto Juris & Dominii.

231 ANtequam conceptum juris proprietatis statuamus, juvat præmittere conditiones, ad illud requisitas. Prima est, ut sit potestas, & habitudo disponendi de re aliqua adversus alios; nam jus est ad alterum, dumque uni favet, alios gravat, in quan-

quantum ille, qui jus proprietatis habet, poteſt aliquid agere, omittere, exigere, aliosque etiam in conſcientia obligare, ut actionem, vel omiſſionem ipſius juri reſpondentem ponant, actus vero huic juri contrarios omittant; poteſtas hæc, licet quandoque aliquid phyſici ſupponat, ut potentia docendi ſcientiam, per ſe tantum eſt aliquid morale, prout ſecundum communem æſtimationem hominum ſufficit ad varios effectus ſine aliorum injuria producendos, idque vel active, ut quando dicitur judex habere jus ad ferendam ſententiam, vel paſſive, ut quando filio tribuitur jus recipiendi alimenta a patre, vel reſiſtitive, ut in jure impediente alterum, ne e. g. ædificet in tali loco. Quia vero hæc poteſtas non ſemper eſt adverſus alios omnes, & in omnibus circumſtantiis, poteſt contingere, ut uſus juris non nunquam ab aliquibus poſſit impediri. Sic licet pupillus habeat jus proprietatis in ſua bona, poteſt nihilominus magiſtratus ejus diſpoſitiones ſine auctoritate tutoris factas reddere illicitas, vel invalidas, &, ſi quis vellet abuti gladio ſuo ad occidendum ſe ipſum, poſſet impediri a quolibet alio, ne id faciat.

Conditio ſecunda eſt, ut quis poſſit diſponere ex ſuo beneplacito, per quod jus proprietatis differt a jure minus rigoroſo, quod inducunt pietas, religio, gratitudo, aliæque virtutes ad alterum, quarum obligatio oritur ex ipſa natura rei, & independenter a voluntate illius, erga quem exercentur. Sic filius parenti; cliens patrono teneretur exhibere reverentiam, & gratitudinem, etiamſi a parente vel patrono non exigeretur; at vero obligatio juris rigoroſi unice dependet a voluntate illud jus habentis. E. g. Si creditor nolit obligare debitorem ad ſolvendum, ſed potius remittat debitum, ceſſat obligatio ſolvendi, & debitum extinguitur, quia nemo habet plus juris proprietatis, quam effi- 232

 caciter

caciter habere velit. Hæc tamen voluntas non ſemper debet eſſe actualis, & phyſice propria, ſed ſufficit habitualis, vel moraliter, & interpretative propria: ſic dormientes, infantes, pupilli habent jus proprietatis ad ſua bona, quia dormientes poſſunt diſponere ex beneplacito ſaltem habituali; infantibus autem, & pupillis moraliter & interpretative propria cenſetur voluntas parentum, tutorum, magiſtratus, vel in horum defectum voluntas DEI. Aliud diſcrimen inter jus rigoroſum, & minus rigoroſum eſt, quod violatio ſolius juris rigoroſi ſit injuria ſtricte dicta inducens obligationem reſtituendi ſecundum æqualitatem.

233 Conditio tertia eſt, ut diſpoſitio poſſit fieri in proprium illius bonum, qui jus rigoroſum habet. Intelligitur autem per bonum omne commodum ſive intrinſecum, ſive extrinſecum, corporale, vel ſpirituale, honeſtum, utile, aut delectabile; imo etiam uſus, & exercitium liberæ voluntatis. Quod ſiquis de re ſua principaliter diſponat in commodum alterius e. g. illam alteri donando, id non ſit ex fine intrinſeco juris rigoroſi, ſed tantum ex fine extrinſeco operantis; ſicut viciſſim, ſi ſuperior habens jurisdictionem aliquid in proprium bonum præcipiat, id intrinſece non ſpectat ad jurisdictionem, utpote ordinatam ad bonum communitatis, ut advertimus P. I num. 8 & 9 Unde rurſus patet, quod jus jurisdictionis non ſit jus rigoroſum, neque ille, qui præcepto præciſe non obedit, ſuperiori inferat injuriam ſtricte talem, ſed tantum committat inobedientiam. Aliud eſſet, ſi ſuperiorem per vim, dolum, metum ſua jurisdictione vellet ſpoliare, vel ab ejus uſu impedire; tunc enim ſimul violaret jus proprietatis reflexum, quod habet ſuperior in ipſam jurisdictionem, ſicut in ſimili pater habet jus reflexum in poteſtatem vendendi filium nondum emancipatum, quando in extrema, vel graviſſima neceſſitate

hanc

hanc venditionem exigit conſervatio vitæ propriæ, licet patri directe non competat jus proprietatis in filium, ſed tantum poteſtas paterna.

Conditio quarta eſt, ut poteſtas ſit legitima, id 234
eſt, in ordine ad licentiam, vel valorem diſpoſitionis ita legibus munita, ut ſaltem illis non ſit difformis, alias potius eſſet vis, aut tyrannis, quam jus. Sed hic plura genera legum diſtinguenda ſunt. 1. Leges, per quas alicui poteſtas de aliqua re ex ſuo beneplacito diſponendi tribuitur. Iſtæ ad jus proprietatis ſemper requiruntur, & poteſtatem legitimam denominant. 2. Leges, per quas dicta diſpoſitio etiam ſit licita, ſed iſtæ non ſemper ad jus proprietatis ſunt neceſſariæ; quamvis enim diſpoſitio in certis circumſtantiis prohibeatur, tamen adhuc poteſt eſſe valida: ſic qui vovit non repetere pecunias apud egenum depoſitas, retinet jus valide illas repetendi, licet repetendo peccet. 3 Imo etſi per alias leges diſpoſitio de re propria omnino invalida ſit, ideo nondum tollitur jus proprietatis per leges primi generis conſtitutum, modo irritatio non fiat pro ſemper, & pro omnibus circumſtantiis, ut adeo jus proprietatis prorſus evaderet inutile: ſic licet pupillus ſinè auctoritate tutoris in actu ſecundo ne quidem valide poſſit de rebus ſuis diſponere, retinet nihilominus poteſtatem diſponendi in actu primo, potentia remota, & in ſenſu diviſo, adeoque habet verum jus proprietatis in ſuas res, ut clare colligitur ex eo, quod in aliis circumſtantiis, in quibus non amplius ſtringunt leges irritantes, etiam in actu ſecundo poſſit valide diſponere, quin accedat nova lex, conſtituens jus proprietatis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit jus proprietatis?

235 Ex dictis jus proprietatis definiri potest, quod sit potestas legitima adversus alios disponendi ex beneplacito suo, principaliter in bonum proprium. Definitio hæc quoad rem ipsam est communissima, & explicat essentiam metaphysicam juris rigorosi activi, essentia autem illius physica involvit tres partes, 1. Potestatem aliquid agendi, vel omittendi. 2. Favorem legis uni assistentis, & alios gravantis. 3. Acceptationem hujus favoris; si enim Cajus habet facultatem in bonum suum repetendi pecunias a Sempronio, si detur lex, quæ ipsi assistat, & ille debitum non remittat, sed favorem legis acceptet, a parte rei dantur omnia, quæ ad jus rigorosum requisivimus. Juri proprietatis activo respondet passivum, videlicet illa ipsa res, actio, vel omissio, in ordine ad quam alter jus activum habet e. g. in casu posito, actio illa, qua pecuniæ debitæ a Sempronio solvuntur, est jus proprietatis passivum immediatum; ipsæ vero pecuniæ vocari solent jus proprietatis passivum mediatum. Alii jus passivum adhuc aliter explicant, & videntur hoc nomine intelligere illam obligationem, quam habet debitor, ut satisfaciat juri activo creditoris. Porro in data definitione verba: Potestas legitima adversus alios disponendi, genus constituunt, reliqua habent rationem differentiæ; quia per ea jus proprietatis differt a jure jurisdictionis, & omni alio jure minus rigoroso.

236 Jus proprietatis activum aliud est reale, seu jus in re, aliud personale, seu jus ad rem. Jus in re est, vi cujus res ipsa alicui immediate est devincta, ita, ut eam per actionem realem seu rei vindicationem a quocunque possessore repetere possit, eo quod sit sua, & onus suo juri respondens moraliter inhæreat ipsi

ipſi rei, eamque ſemper & ubique comitetur. Jus ad rem eſt, vi cujus mihi immediate devincta eſt perſona in ordine ad aliquid præſtandum, non vero res ipſa, utpote quæ proprie nondum eſt mea, licet mihi ſit debita. Huic juri non reſpondet actio realis, ſed perſonalis, ſeu condictio. In exemplo: ſi Titius mihi vendidit equum, & tradidit, habeo jus in re, & poſſum equum illum actione reali vindicare, ad quemcunque devenerit; imo ſi a priore domino venderetur alteri, venditio eſſet irrita: at, ſi equus fuerit quidem emptus, ſed nondum traditus, emptor tantum acquirit jus perſonale adverſus venditorem; unde ſi hic equum iterum vendat, ſimulque tradat alteri, valet venditio, & accedente traditione, jus reale transfertur in emptorem ſecundum, emptor primus vero equum non poteſt repetere, ſed tantum actione perſonali convenire venditorem, qui obligatur ad intereſſe, id eſt, tenetur primo emptori tantum præſtare, quantum illius intererat, ut prima venditio obtineret ſuum finem, & equus ipſi traderetur.

Addunt aliqui cum Haunoldo jus proprietatis mixtum, vi cujus oriantur actiones mixtæ, uti 1 Actio finium regundorum, qua agitur de finibus prædiorum confuſis iterum determinandis. 2. Actio familiæ herciscundæ, qua agitur de dividenda maſſa hæreditaria. 3. Actio de communi dividundo, qua petitur, ut bona communia a pluribus indiviſim poſſeſſa dividantur, & reparetur damnum, quod forte pars una alteri intulit. Actio ad exhibendum, quæ illi conceditur, qui habet probabilem ſuſpicionem, rem ſuam detineri ab alio. Verum alii neque jus mixtum, neque actiones mixtas agnoſcunt, docentque, in allatis exemplis concurrere actiones duas, unam realem, vi cujus ex jure reali petitur res ipſa e. g. portio bonorum; alteram perſonalem, vi cujus ex jure perſonali petitur compenſatio damni. Cæterum 237

terum jus personale ordinarie acquiritur per emptionem, aliosque contractus, traditione nondum secuta, item electionem ad beneficium, postulationem, præsentationem, &c. necdum secuta acceptatione; jus reale autem ordinarie primum acquiritur per traditionem rei, item per præscriptionem, testamentum, successionem ab intestato, collationem beneficii, secuta acceptatione. Hinc jus reale est fortius, quam personale, quod a jure reali dicitur elidi, sive perimi; subinde tamen ex speciali dispositione juris acquiri potest jus reale ante traditionem, ut cum aliis advertit Molina: sic ecclesiæ, monasteria, hospitalia, aliaque loca pia acquirunt jus reale bonorum sibi venditorum, etiam nondum traditorum.

238 Ut hæc definitio etiam applicetur juri proprietatis, quod DEUS habet in omnes creaturas, & actiones illarum, nota 1. Licet respectu DEI non detur lex, tamen divina potestas potest dici legitima, quatenus est conformis rationi, & voluntati divinæ, quæ est perfectissima norma recti & justi. 2. Jus proprietatis, prout præscindit a divino, & humano, non necessario dicit beneplacitum liberum, sed voluntarium, adeoque non obstat, quod Deus quædam necessario prohibeat, vel præcipiat, neque suo jure se possit abdicare, immo antecedenter fuit liberrimus, ut creaturam condat, eique libertatem conferat. 3. DEUS quidem ex rebus creatis nullam percipit utilitatem intrinsecam, percipit nihilominus bonum aliquod extrinsecum, nempe gloriam suam. Addit Gormaz, quod ipsum jus proprietatis sit bonum DEI intrinsecum, ferme sicut omnipotentia. 4. Quamvis DEUS juxta communem semper obliget tam ex jure supremæ jurisdictionis, quam ex jure proprietatis, tamen ista duo jura sufficienter distinguuntur per hoc, quod ex jure jurisdictionis qua tali non solum intendat proprium suum commodum extrinsecum, sed etiam nostram utilitatem, quatenus

vero

vero obligat jure proprietatis, directe solum intendit gloriam suam extrinsecam, ut adeo jus proprietatis divinum sit potestas legitima obligandi alios unice in proprium commodum extrinsecum DEI obligantis.

Dixi supra Num. 234, ad jus proprietatis non 239
semper requiri, ut aliquis de sua re possit disponere licite. Hinc etiam potest dari jus proprietatis ad actus aliquo modo injustos; potest enim contingere, ut aliquis actus sit oppositus juri Divino, non autem humano, vel juri humano personali, non vero reali: sic omnis actus peccaminosus repugnat juri divino, Deoque infert injuriam, & tamen juxta dicta Num. 234 potest dari jus ad actus peccaminosos. Pariter si Titius post contracta cum Caja sponsalia ducat aliam, lædit jus personale Cajæ, matrimonium nihilominus est validum, adeoque actio procedens ex jure proprietatis. Unde patet, neutiquam implicare, ut detur jus contra jus, neque ejusmodi jura sibi esse contraria, eoquod sint diversi ordinis, & respiciant diversos terminos; nam in primo casu peccator non obstante, quod lædat jus divinum, habet adhuc potestatem legitimam adversus homines, qui ejus actus peccaminosos tenentur permittere, & habere pro validis. In altero matrimonium Titii est injustum, in quantum opponitur juri personali Cajæ, & legibus prohibentibus; justum vero est in quantum Titius adhuc retinet jus reale matrimonium ineundi cum alia, eoquod tale matrimonium a legibus permittatur ut validum. Id tamen verum est, nunquam posse dari duo jura opposita in eodem prorsus genere, & quoad idem objectum eodem modo consideratum; hinc implicat bellum ex utraque parte materialiter justum.

Quæres, quid sit injuria, & utrum possit inferri 240
volenti, seu consentienti? Resp. 1. Injuria theologice & stricte accepta est violatio juris rigorosi, nempe vel materialis, quando violatur jus alienum absque

que cognitione, & advertentia; vel formalis, quando violatur libere cum cognitione, & advertentia juris alieni, quod vel actu adhuc existit, vel saltem immediate ante extitit, & per ipsam injuriam in instanti immediate sequenti destruitur; ut si occidatur homo innocens, quamquam alii putent, per solam occisionem causalem inferri injuriam, non vero per occisionem formalem consistentem in actuali dissolutione inter corpus & animam, eoquod tunc homo non amplius existat. 2. Valide, & efficaciter consentienti non potest fieri injuria; quando enim aliquis valide, & efficaciter suo jure cedit, tollitur, & suspenditur ejus obligatio: ergo ipsius jus tam parum potest violari, quam parum dari potest transgressio legis non amplius existentis, aut inobedientia erga superiorem per actum, in quem efficaciter consentit. Hinc regula 27 juris in 6 dicitur: *Scienti, & consentienti non fit injuria.* Et regula 145 inter civiles: *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.* 3. Quando aliquis tantum consentit invalide, & inefficaciter, adhuc potest inferri ipsi injuria, quia talis revera neque jure suo cedit, neque illius obligationem tollit, aut suspendit. Neque obstat, quod affective & physice non sit invitus; nam saltem adhuc censetur invitus moraliter, & civiliter, sicut ejus cessio moraliter & civiliter nulla est; existimo tamen, in tali casu injuriam non esse tantam, tum quia est minus involuntaria patienti, tum quia consentiens ordinarie non potest petere satisfactionem, sed injuriam remittere censetur.

241 Colliges 1. Quando simoniacus vi pacti accipit temporale pro spirituali, infert injuriam danti, quia dantis consensus est invalidus, & tendit in impossibile; repugnat enim, ut aliquid spirituale æstimetur aut vendatur pro temporali. 2. Usurarius accipiens aliquid ultra sortem tanquam debitum ratione mutui, infert

infert injuriam mutuatario, quia rursus impossibile est, ut ratione solius mutui ex justitia aliquid ultra sortem debeatur. 3. Quando pupillus per contractum absque consensu tutoris initum res suas alienat, patitur injuriam, saltem si alter tenetur contractum omittere; nam, licet pupillus privilegio suo renuntiet, haec voluntas non est rationabilis, nec efficax, sed ei praevalet voluntas tutoris, vel magistratus, pupillo moraliter propria. 4. Qui per metum gravem & injustum alterum adigit, ut sibi donet 100 aureos, infert ipsi injuriam per incussionem metus, esto, quod valide in donationem consentire ponatur; adeoque metum passus habet adhuc jus personale adversus incutientem, vi cujus restitui debet in integrum. 5. Qui consensum domini ignorat, aut ita constitutus est, ut aliena re uti velit, sive dominus consentiat, sive non, infert domino injuriam; quia hic nunquam consensit, ut independenter a suo consensu, eumque contemnendo, aliquis re sua utatur; si tamen dominus illimitate relaxaret obligationem juris, & a se abdicaret omne prorsus jus & dominium, injuria tantum esset affectiva, non effectiva.

Colliges 6. Qui suadente diabolo graviter percutit Clericum, ipsius personae privatae non infert 242
injuriam, siquidem efficaciter consentiat, ut fieri posse cum pluribus docet Cardinalis de Lugo contra Maurum Esparzam &c; infert tamen injuriam statui Clericali, & incurrit excommunicationem, ut colligitur ex cap. 36 de sent. excom. 7. Posito, quod maritus valide consentiat in copulam uxoris cum alio, nihilominus committitur adulterium, quia talis copula etiam citra mariti injuriam involvit malitiam specialem, diversam a malitia fornicationis, scilicet violationem specialis legis matrimonii, quae indicatur Genes. 2 & Matth. 19. Motivum autem speciale hujus legis est bonum publicum circa haereditates, certitudo, & bonum ipsius prolis, quod non depen-

dependet a voluntate & arbitrio conjugum. Præterea adulterium inter fideles habet specialem malitiam irreligiositatis contra reverentiam debitam Sacramento, significanti conjunctionem Christi cum Ecclesia. 8. Qui occidit innocentem, semper infert injuriam Deo; pariter infert injuriam homini tanquam usufructuario habenti jus ad prorogationem vitæ, nisi homo hoc jure suo sponte cedat. An autem SS. Martyres, vel Christus hoc jure cesserint, est incertum. Profecto ex eo, quod mortem desideraverint, cum gaudio sustinuerint, & tyrannis, ac tortoribus dederint veniam, plus non sequitur, quam quod supposita jam illorum malitia cesserint jure ad justam indignationem, & vindictam in hac vita reposcendam, præsertim quia consensus in mortem non minuisset culpam tyrannorum, qui illam ignorarunt, vel saltem non curassent. Martyres vero non cedendo jure ad vitam plus potuerunt pati, videlicet cum dolore injuriam; imo hoc ipso, quod injuriam condonaverint, ostenderunt, sibi injuriam fieri, uti etiam Scriptura, Patres & fideles judicare videntur.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit dominium?

243 Dominium quandoque in sensu latissimo tribuitur omnibus illis, qui rem aliquam possident, vel jus in illam habent; sic pater dicitur dominari filiis, herus famulis, cives habere dominium super fluminibus, pontibus &c. In sensu magis proprio, sed tamen adhuc generico, dominium est jus gubernandi, vel disponendi de aliqua re tanquam sua; dividitur in dominium jurisdictionis, & proprietatis; utrumque est potestas legitima ex beneplacito disponendi, sed prius de persona aliqua in ipsius præcipue, vel totius communitatis utilitatem, posterius de re aliqua in propriam utilitatem disponentis. Subdividitur

tur in dominium excellentiæ, quod ad demonſtrandam excellentiam, & gloriam domini, & utilitatis, quod ad alia ejusdem emolumenta ordinatur. 2. In dominium altum, quod habet princeps, vel respublica in bona ſubditorum pro caſu publicæ neceſſitatis: & dominium baſſum, quod competit perſonis privatis in bona ſua extra caſum publicæ neceſſitatis. 3 Ac præcipue in dominium plenum, ſeu perfectum, & dominium non plenum, ſeu imperfectum. Porro objectum dominii ſunt illæ res, quæ ſub dominium cadunt; ſubjectum dominii eſt perſona, quæ dominium habet, uti Deus, Angeli, homines, brutis vero, aliisque creaturis irrationalibus nullum jus aut dominium poteſt competere; quia ſola natura rationalis de rebus ex ſuo beneplacito poteſt diſponere.

Dominium proprietatis plenum definiri poteſt, 244
quid ſit jus reale perfecte diſponendi de aliqua re. In hac definitione verba, jus reale ſunt genus; nam ſicut per illa indicatur, quos jus per ſe ad conſtituendum dominium proprietatis non ſufficiat, ſic multa dantur jura realia, quæ ne quidem ſunt dominia imperfecta, uti uſus rei, habitatio, aliæque ſervitutes activæ: differentia autem habetur per verba, perfecte diſponendi de aliqua re; per hæc enim dominium perfectum etiam diſtinguitur ab imperfecto; ſenſus namque horum verborum eſt, quod plenus dominus debeat habere jus in re tam amplum, ut propria auctoritate in commodum ſuum omnem diſpoſitionem de ſe poſſibilem, & aliunde non repugnantem, tam quoad ſubſtantiam rei, quam illius emolumenta facere poſſit, quin impediri valeat a jure reali alterius ejusdem ordinis, ſtabili, ac ſpecialiter æſtimabili. Porro nomine rei hic intelliguntur tam res corporeæ, quam incorporeæ; quis enim neget, DEUM habere pleniſſimum dominium in Angelos, animas rationales &c? an non communiſſime dicitur, quod homo ſit dominus ſuæ famæ, of-

ficii &c ? Quando igitur L. I π. De uſu, & uſufructu dicitur, *Servitutes nec eſſe intra, nec extra noſtra bona*, tantum ſignificatur, quod ſervitutes non habeant coexiſtentiam corporalem cum aliis bonis corporeis; nam l. 3 π. ſi uſusfructus petatur, aperte ſupponitur, dari dominium uſusfructus, qui utique eſt res incorporea, nempe jus percipiendi fructus ex fundo alieno; verba legis ſunt: *Eſt abſurdum, plus juris habere eos, qui poſſeſſionem duntaxat uſusfructus, non autem dominium adepti ſunt.*

245 Dixi, quod plenus dominus debeat poſſe diſponere 1 ex propria auctoritate in commodum ſuum. Hinc procurator, tutor &c. non ſunt domini rerum ſibi commiſſarum, quia non diſponunt nomine proprio, & in proprium commodum. 2. Quod debeat poſſe facere omnem diſpoſitionem ſaltem in actu primo, & niſi aliqua lege prohibeatur, ut dixi de pupillo Num. 234; lex namque prohibens, vel irritans non inducit defectum ex parte ipſius dominii, ſed illud tantum extrinſece ligat. 3. Diſpoſitionem aliunde non repugnantem; ſic DEUS ob infinitam perfectionem ſuam non poteſt a ſe abdicare ſupremum in omnia creata dominium, nec illud in alium transferre. 4. Tam quoad ſubſtantiam rei, quam ejus emolumenta; hinc, qui in perpetuum vendidit uſumfructum ſui fundi, aut in eo pati debet ſervitutem magnam, & notabilem, non eſt perfectus dominus fundi, & multo minus uſufructuarius, qui tantum de fructibus fundi plene poteſt diſponere. 5. Quin impediri poſſit a jure alterius reali; nam venditor manet plenus dominus venditæ rei, nondum traditæ, licet a jure perſonali emptoris poſſit impediri, quo minus pro libitu de re vendita diſponat. 6. A jure alterius ſtabili, & ſpecialiter æſtimabili, quale non cenſetur jus pignoratarii in pignus, nec jus filiorum in bona paterna; quia primum ad nutum debitoris

per

per ſolutionem debiti eſt extinguibile; alterum tantum datur ad partem bonorum indeterminatam, & a patre ipſo determinabilem. 7 A jure ejusdem ordinis; unde privatus habet plenum dominium rerum ſuarum non obſtante dominio alto reipublicæ, & ſupremo dominio excellentiæ, quod Deus habet in res creatas.

Dominium imperfectum eſt jus reale imperfecte ſolum diſponendi de re aliqua. Subdividitur in dominium directum, utile & ſimpliciter imperfectum: primum habet, qui poteſt diſponere de ſola ſubſtantia rei, & ideo Dominus directus, vel proprietarius vocatur. Videtur tamen requiri, ut uſus aliquando ad ipſum redire poſſit; alias dominium directum parvam utilitatem afferret. Dominium indirectum, ſeu utile competit illi, qui tantum poteſt diſponere de utilitate, & emolumentis rei; hic dicitur Dominus utilis, vel etiam fructuarius, aut potius uſufructuarius. Dominium ſimpliciter imperfectum eſt, quod continet quidem ſimul proprietatem, & utilitatem rei, ſed gravatur jure alieno reali, ſtabili, ſpecialiter æſtimabili, & ejusdem ordinis. Tale juxta Lugonem eſt dominium Majoratus. In particulari loquendo ſpecies dominii imperfecti ſunt Emphytevſis, Feudum, Libellus, & ſuperficies: quibus aliqui addunt uſumfructum, uſum & habitationem; at a pleriſque tantum annumerantur ſervitutibus; licet enim ſint jura quædam realia, dominio valde affinia, ſunt tamen adeo reſtricta, ut neque nomen dominii imperfecti mereri videantur. 246

Emphytevſis eſt dominium utile rei immobilis cum obligatione laudemii & penſionis realis ſtatis temporibus domino directo ſolvendæ. Accipitur quandoque etiam formaliter, pro contractu emphytevtico, quo tale dominium transfertur in alium; & interdum objective, pro ipſa re in emphytevſin 247

conceſſa. Qui rem in emphytevſin concedit, vocatur dominus directus, vel proprietarius, der Grund-Herr, qui accipit, emphytevta, der Gilt-Baur, penſio ſolvenda, canon, Stift und Gilt, quem ad præfixum terminum emphytevta ultro tenetur ſolvere; ſi enim in emphytevſi Eccleſiaſtica ultra biennium, & in ſæculari ultra triennium culpabiliter differt, incurrit pœnam commiſſi & emphytevſin perdit. Dividitur emphytevſis præcipue in perpetuam, & temporaneam, quæ tantum ad certum tempus durat, quod tamen non debet eſſe brevius decennio. Perpetua de jure communi tranſit ad hæredes, quin de novo a domino directo peti debeat. Poteſt inſuper cum conſenſu domini directi alienari, ſed tunc novus emphytevta tenetur ſolvere laudemium, quod de jure communi eſt pars fructuum 50, de conſuetudine vero 30 vel 20. Sub emphytevſi etiam aliquo modo continetur Vitalitium, Leibgeding, & precarium, Freystift. Vitalitium enim eſt emphytevſis conceſſa ad dies vitæ unius, vel plurium; precarium vero dici ſolet emphytevſis, quæ de quinquennio in quinquennium jure communi debet renovari.

248 Feudum eſt dominium utile rei immobilis, vel immobili æquivalentis, ſub obligatione domino directo exhibendi fidelitatem, & obſequium perſonale, quale eſt ſtatis temporibus comparere in curia, domino inſervire, eidem per ſe, vel per ſuos militare &c. ſed tum ſolum, quando dominus id requirit. Quod ſi præter obſequium perſonale exigatur ſimul aliqua penſio realis, feudum jam non eſt purum, ſed in emphytevſin degenerat. Præterea jus feudale non poteſt alienari, & confertur per inveſtituram, quæ a ſingulis ſucceſſoribus peti debet, & duplex eſt: alia propria, ſeu realis, vi cujus vaſallus actu immittitur in poſſeſſionem: alia abuſiva, quæ tantum fit per traditionem alicujus ſigni e. g. gladii, vexilli, pilei. Qui dat feudum, dicitur

tur Infeudator, Lehenherr, qui accipit, Vasallus, vel Feudatarius, Lehenmann, res in feudum concessa, Lehengut. Celebriores divisiones feudi sunt, in proprium, & improprium: ecclesiasticum, & saeculare: nobile, & ignobile: masculinum, & foemininum: haereditarium, & non haereditarium; quandoque tamen feudum etiam sumitur formaliter pro contractu feudali, quandoque objective pro re in feudum concessa, ut dixi de emphytevsi.

Libellus est emphytevsis, aut feudum subalternum, seu subemphytevsis aut subfeudum; sicut enim dominus directus transferre potest dominium utile in emphytevtam, aut vasallum, retento dominio proprietatis, ita potest ipse emphytevta, aut vasallus, retento quodam dominio directo sui juris emphytevtici, aut feudalis, dominium utile ejusdem juris cum simili obligatione obsequii personalis, vel pensionis realis sibi praestandae in alium, qui libellarius dicitur, transferre, dummodo hoc fiat citra praejudicium domini directi, & principalis. Unde contractus libellarius est, quo emphytevta, aut vasallus rem emphytevticam, aut feudalem ab aliquo acceptam dat tertio in emphytevsin, aut feudum. 249

Superficies est dominium utile alieni soli ad aedificandum, vel implantandum concessi. Differt ab emphytevsi & feudo, quod in illis concedatur ipsum solum, seu fundus; per contractum autem superficiarium tantum superficies soli, ita, ut dominium utile metallorum, lapidum &c. quae sunt infra terrae superficiem, non pertineat ad superficiarium. Quod si pereat id, quod primitus implantatum, vel inaedificatum est, cessat jus superficierum, neque licitum est superficiario sine novo contractu alias plantas, vel alia aedificia inaedificare; si vero superficies exspirat lapsu temporis contractui praefixi vel alia ratione, ea, quae superficiei adhaerent, cen- 250

 sentur

fentur pars fundi, & cedunt domino directo, qui tamen pro iis tenetur fuperficiario folvere pretium, cum fint melioramenta jufte facta. Cæterum res mobiles, & facile a folo feparabiles, ut funt tabernæ mercatorum tempore nundinarum erectæ, ficut non cenfentur effe pars foli, fic non cedunt domino directo, fed in tali cafu potius fit locatio foli, quam contractus fuperficiarius.

251 Servitus activa in genere eft jus, quod quis habet in re aliena, ut ipfi ferviat falva ejus fubftantia. Paffiva eft obligatio patiendi fervitutem activam. Dividitur activa in perfonalem, & realem: perfonalis eft, qua res unius immediate fervit, & fubjicitur perfonæ alterius, cui regulariter ita inhæret, ut nec ad hæredes transmitti, nec alienari poffit. Servitus realis eft, qua res unius immediate fubjicitur rei alterius, ut prædium prædio, domus domui &c. Cum itaque inhæreat ipfi rei, non ceffat per mortem perfonæ. Servitus perfonalis præcipue dividitur in ufumfructum, ufum, & habitationem; realis vero in urbanam, & rufticam. Urbana eft, quæ debetur prædio urbano, uti jus altius tollendi ædificium, jus immittendi in alienum parietem tignum, jus oneris ab alio muro ferendi, jus ftillicidii, luminum, profpectus &c. Ruftica eft, quæ intercedit inter prædia ruftica, uti jus itineris, actus viæ, aquæductus, aquæhauftus &c. Porro prædium urbanum dicitur quodcunque ædificium five intra, five extra urbem, principaliter tamen ad habitandum, negotiandum, aut recreationem capiendam, exftructum, cui etiam accenfentur horti annexi recreationis gratia. Prædium rufticum eft, quod five intra, five extra urbem principaliter deftinatum eft ad ufus rufticorum, ut agri, vineæ, horrea, prata, ftabula &c.

Ufus

Usfusfructus est jus utendi, & fruendi rebus 252
alienis salva earum substantia. Dicitur 1 Jus, ut distinguatur ab usufructu actuali, qui alio nomine dicitur usus facti. 2. Utendi, ut distinguatur a jure in pignus, hypothecam, & depositum, quibus uti non possunt pignoratarius, hypothecarius, & depositarius. 3. Fruendi, id est, percipiendi fructus, & emolumenta rei e. g. ex agris segetes, ex pratis fœnum, ex silvis arbores, ex lacubus pisces, ex mineris metalla, ex animalibus lac, lanam, fœtus, ex ædificiis pensiones, & reditus: & per hoc distinguitur usfusfructus a mero usu juris. 4. Ex re aliena; nam in re propria non datur usfusfructus formalis, sed tantum causalis, sive jus utendi re sua, quod non est servitus. Præterea per verba ista usfusfructus distinguitur ab emphytevsi, & feudo, quia res, qua fruitur emphytevta, & feudatarius, non est omnino aliena, sed ipsorum quoque, in quantum illam possunt proprio, & non tantum procuratorio nomine sibi vindicare per rei vindicationem, usufructuario autem tantum conceditur actio confessoria. 5. Salva rei substantia; nam usufructuarius rem ipsam non potest deteriorare, destruere, alienare &c. licet enim omnis servitus sit jus reale, usfusfructus tamen est servitus personalis, inhærens ipsi personæ. Unde non datur usfusfructus proprie talis pecuniarum, ciborum &c. quæ ipso usu consumuntur, sed tantum quasi usfusfructus; quando nempe dantur cum obligatione reddendi suo tempore æquivalens.

Usus est jus tantum utendi re aliena salva illius 253
substantia. Dicitur jus tantum utendi, tum quia non est merus usus facti, tum quia usuarius tantum præcise de fructibus percipere potest, quantum requiritur ad suam, & familiæ suæ sustentationem, ita quidem, ut non possit fructus illos donare, vendere &c. prout id potest usufructuarius. Imo interdum

terdum usus adhuc magis est restrictus, e. g. qui habet tantum usum pecoris alieni, non potest uti fœtibus, lana, lacte, nisi in modica quantitate, & qui habet usum ædium, potest illas cum familia sua inhabitare, non autem elocare aliis. Habitatio denique, prout hic accipitur, est jus utendi domo aliena usque ad mortem cum facultate eandem locandi aliis. Est itaque servitus quasi media inter usum, & usumfructum: ab usu differt per verba, cum facultate eam locandi aliis: ab usufructu per verba, usque ad mortem; nam habitatio tantum exspirat per mortem habitatoris, ususfructus etiam aliis modis finitur. Adde, quod habitatio constitui possit in sola domo, usus autem, & ususfructus in qualibet re fructifera, & utili. Sed plura de his ad jurisperitos pertinent; pro nostro instituto dicta sufficiunt.

254 Quæres: An usus licitus rerum unico usu consumptibilium possit separari a dominio? Resp. Affirmative; potest enim aliquis habere potestatem legitimam utendi ejusmodi rebus, quolibet momento ad nutum concedentis revocabilem; hæc autem facultas ne quidem est dominium imperfectum, quia etiam ad istud requiritur potestas faciendi saltem aliquam dispositionem de re, quin ab illa facienda quolibet momento impediri possit per jus reale alterius in eandem rem; alias dici deberet, quod conviva ad epulas invitatus habeat dominium ciborum, aut religiosus dominium earum rerum, quæ illi ad usum consumptivum conceduntur. Imo Fratres Minores profitentur tam strictam paupertatem, ut nec singuli ipsorum, nec omnes in communi habeant ullum dominium earum rerum, quibus utuntur, sed totum dominium est penes Pontificem, ut constat ex decretis Nicolai III, vel uti alii volunt IV, Clementis V, Innocentii IV, Alexandri IV, Gregorii IX. Neque obstat, quod Joannes XXII ad conditorem canonum de V. S. expresse neget, usum rerum

rum

rum fungibilium a dominio separari posse, & ideo dominium a Fratribus Minoribus sedi Apostolicæ concessum cum stomacho rejecerit tanquam inutile, & chimæricum; cum enim ista nec ad fidem, nec ad bonos mores, sed solum ad definitionem, & punctum juris civilis, multum habens de modo loquendi, pertineant, Joannes non egit, ut Pontifex, sed ut Doctor privatus. Hinc posteriores Pontifices, Martin. V, Eugen. IV, Nicol. V, Gregor. XIII per speciales Bullas hoc dominium iterum ad sedem Apostolicam receperunt.

Colliges 1. Quando fideles Fratribus Minoribus 255
aliquid legant, vel donant, optant quidem, ut ipsis concedatur usus, adeoque vere faciunt eleemosynam; quia tamen ejusmodi res volunt dare eo modo, qui voluntati & regulæ Fratrum Minorum est conformior, revera illas dant Pontifici, quin illum ex justitia velint obligare, ut usus Fratribus Minoribus concedatur. 2. Hinc Pontifex, qui ejusmodi res per voluntatem generalem acceptat, ex suo beneplacito de illis potest disponere, usumque concessum omni momento revocare, saltem potentia antecedente, vel certe, si res jam consumpta sit, irrevocabilitas usus non oritur ex dominio usuarii, sed ex defectu objecti non amplius existentis; tempore autem Joannis XXII dominium harum rerum vel mansit penes fideles, vel fuit penes rempublicam. 3. Quando Fratres Minores res sibi concessas alienant, destruunt &c. tantum exercent jus quoddam morale minus proprie dictum, & revocabile, neque id agunt auctoritate propria; ferme sicut servus tantum ex voluntate domini vendit, aut destruit animal, quin ideo habeat dominium. 4. Nihilominus, qui res istas surriperet, aut Fratres Minores ab illorum usu impediret, faceret illis injuriam, & committeret furtum; tum quia surreptio fieret invito Papa tanquam domino, tum quia Fratres Minores

ſaltem habent jus perſonale adverſus alios, ne ab uſu ſibi conceſſo impediantur. Cæterum quod uſus facti in rebus, quæ non ſtatim conſumuntur, poſſit a dominio ſeparari, per ſe patet; cur enim non poſſim alicui dare librum ad uſum, quin ideo fiat dominus libri? Viciſſim cum uſus juris debeat fieri ſalva rei ſubſtantia, patet, illum in rebus unico uſu conſumptibilibus locum non habere.

QUÆSTIO III.

Quale dominium habeat homo in bona intrinſeca?

256 PEr bona intrinſeca intelliguntur illa, quibus homo intrinſece conſtituitur, vel perficitur, uti corpus, anima, ſanitas, membra, actus intellectus, & voluntatis. Quæſtio autem hic ſolum inſtituitur de dominio vitæ, & membrorum tum propriorum, tum alienorum; nam quod homo de actibus ſuis liberis perfecte poſſit diſponere, per ſe patet. Finis potiſſimus quæſtionis eſt, an, & quando liceat occidere, & mutilare ſe ipſum, vel alium hominem innocentem. Ubi inprimis notandum diſcrimen inter varios modos occidendi; nam 1 negative, aut permiſſive ſe occidit, qui mortem aliunde ſibi inferendam præciſe permittit, ſeu non impedit, quin ponat ullam actionem, ex qua mors ſequatur. 2. Poſitive ſe occidit, qui ponit actionem aliquam mortis illativam, vel ſaltem connexam cum morte ab aliis inferenda: quod rurſus dupliciter fieri poteſt, nempe vel directe, id eſt, cum intentione incurrendi mortem, in quantum mors intenditur tanquam finis, aut eligitur tanquam medium in ordine ad alium finem: vel indirecte, quando mors neque intenditur tanquam finis, neque eligitur tanquam medium, ponitur tamen actio aliqua, ex qua mors prævidetur eſſe ſecutura.

Di-

Dicendum 1. Homo non est plenus dominus 257
suæ, aut alterius hominis vitæ, & membrorum.
Ita communis ac certa. Probatur. Homo neque
se ipsum, neque alium hominem auctoritate propria,
& pro suo libitu potest directe occidere, vel mutilare; nam 1 ex una parte certum est, quod Deus
titulo creationis, & conservationis sit supremus vitæ, necisque dominus, ut dicitur Sapientiæ 16 v.
13: *Tu es, Domine, qui vitæ ac mortis habes potestatem.* Ex altera parte ex nullo capite probatur,
quod Deus homini concesserit plenam potestatem
in vitam, ac membra sua, vel alterius hominis,
sed potius contrarium constat ex Scriptura, &
communi omnium persuasione. Quippe 2 ita præceptum, *non occides*, intelligunt omnes theologi
cum SS. Patribus nominatim Augustino, qui hæres.
69 ex professo refutat Circumcelliones damnatos a
Concilio Braccarensi secundo cap. 16, quod afferent, occisionem sui esse perfectissimum genus martyrii. Concilium quoque Nicænum Can. 1 redarguit insanos sui mutilatores, & castratores nimis
physice intelligentes verba Christi apud Matthæum:
*Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide
eum &c.* cap. 18 v. 8. *Sunt Evnuchi, qui se ipsos
castraverunt,* cap. 19 v. 12. Conf. Quia facultas
se aut alios occidendi, & mutilandi generi humano
esset valde noxia propter periculum, ne multi vitæ
præsentis tædio, impotentia iræ, vel desiderio melioris vitæ sibi ipsis violentas manus inferrent, aut
se ipsos mutilarent, & ad officia tum singulis, tum
toti reipublicæ utilia, & necessaria redderent inhabiles.

Dicendum 2. Homo habet usumfructum, vel 258
etiam dominium aliquod imperfectum suæ vitæ, ac
membrorum, illudque etiam habere potest in vitam,
& membra alterius. Ita cum D. Th. 2. 2. q. 64 art.
5 ad 3 re ipsa communis. Probatur. Homo habet
jus utendi, & fruendi sua vita, ac membris, potest

teſtque alios obligare, ne ipſum ab hoc uſu impediant, vel in ſua vita, aut membris lædant. Poteſt inſuper ex proprio ſuo beneplacito, & in proprium commodum de ſe facere multas diſpoſitiones, E. g. ſe ipſum vendere, tradere in obſidem, pignus, ſervum &c. ergo habet uſumfructum perpetuum ſuæ vitæ, ac membrorum, vel etiam dominium utile, quale habet emphytevta in rem emphytevticam; imo dominium quoddam directum, cum homo ſe ipſum alteri poſſit vendere, emphytevta autem rem emphytevticam ſine conſenſu domini alienare nequit. Ex iisdem rationibus homo poteſt habere dominium imperfectum in alium hominem; nam ſervi proprie dicti ita ſunt in poteſtate ſuorum dominorum, ut varios fructus, & emolumenta ex illorum, ut ita dicam, ſubſtantia percipere, & de ipſa ſubſtantia diſponere valeant, ſervum vendendo, commodando, oppignorando &c.

259 Dicendum 3. Homo quandoque ex juſta cauſa poteſt ſe ipſum vel alium hominem innocentem occidere indirecte non ſolum permiſſive, ſed etiam poſitive, ſaltem quando actio non eſt certo connexa cum morte; nam 1 homo tanquam prudens adminiſtrator ad conſervandam vitam per ſe tantum obligatur adhibere remedia ordinaria, non vero omnia etiam extraordinaria, & valde difficilia vel majus bonum e. g. ingens meritum, impedientia. Sic reus ex amore juſtitiæ, vel innocens ex deſiderio martyrii poteſt manere in carcere, etſi prævideat mortem certo ſecuturam: ſic miles in communi periculo tenetur non deſerere ſuam ſtationem: ſic ægrotus poteſt non adhibere medicinam valde pretioſam, vel non admittere curationem valde doloriferam e. g. reſectionem membri, ſaltem quando ejus vita reipublicæ non eſt valde neceſſaria. 2. Sicut Deus non obligat, ut vitam quibuscumque demum mediis conſervemus, ſic non prohibet, ne eandem ex rationabili cauſa exponamus periculo.

Hinc

Hinc Parochus, vel Medicus juxta omnes potest inservire peste infectis; miles cum hoste congredi, succendere cuniculos, ad servandam vitam regis se medium objicere telo venienti. 3. Ipse ordo caritatis quandoque concedit, ut vitam alienam vitæ propriæ, aut bono reipublicæ postponamus. Sic quando in bello justo victoria aliter obtineri nequit, licet cum nocentibus indirecte occidere innocentes, explodendo tormenta, subruendo turres, ædes incendendo &c. similiter licet eodem ictu, vel sclopo petere injustum aggressorem & infantem pro scuto objectum, si aliter nequeas illius vim effugere, aut retundere, ut docent Bonac. Less. Lug. aliique apud la Croix.

Dixi 1. Occisionem indirectam esse licitam quan- 260
doque. Cum enim homo tantum sit custos, & administrator vitæ suæ, per se loquendo semper tenetur illam conservare; imo neque in allatis casibus licet ipsam mortem directe intendere, ut si ipsam mortem infantis intenderes ad occidendum aggressorem injustum. 2. Ex causa justa, uti sunt pietas in DEUM, necessitas communis reipublicæ, justitia legalis aut vindicativa, caritas erga proximum, aut se ipsum in re gravis momenti. Ubi notandum, quod Deus strictius nos obliget, ne vitam positive destruamus, quam ne ab aliis illam destrui permittamus. Sic quamvis illicitum sit, ingluvie, aut cibo noxio se destruere, non obligatur Carthusianus, ut in morbo carnes comedat: & S. Casimirus maluit virgo mori, quam uxorem ducendo vitam servare; quin etiamsi per moderata jejunia, labores, vigilias &c. vita aliquot annis abbrevietur, nihilominus manent licitæ, & laudabiles, modo excessus non sit enormis, & irrationabilis. 3. Se ipsum, vel alium, ubi rursus ad occisionem alterius præsertim positivam gravior causa ac tanta requiritur, ut vitæ alienæ suo modo æquivaleat. Quod si actio sit certo connexa cum morte,

te, absque ulla probabili, ac tenui ſpe mortem evadendi, ut ſi quis ex altiſſima turri in aquam ſe præcipitaret ad effugiendum incendium, multi docent, illicitum eſſe per talem actionem ſe ipſum occidere, quamquam etiam hoc juxta Leſſium, & Lugonem liceat.

Objectiones.

261 Obj. 1. Conſtat ex ſacra Scriptura, & hiſtoria Eccleſiaſtica, quod aliqui ſe ipſos directe, & tamen laudabiliter occiderint. Sic Samſon eadem ſecum ruina Philiſtæos involvit. Eleazarus in prælio interfecit elephantem, cujus mole oppreſſus interiit. Razias, ne a ſatellitibus Nicanoris comprehenderetur, ſe ipſum gladio petiit: *Eligens nobiliter mori potius, quam ſubditus fieri peccatoribus*, ut 2 Machab. 14 v. 42 loquitur ſacra hiſtoria. S. Apollonia ſponte in ignem inſiliit, & multæ ſacræ virgines, nominatim S. Pelagia, & Sophronia ſibi violentas manus intulerunt ad conſervandam virginitatem. Quod videtur approbare S. Hieron. in can. 11. *Non eſt noſtrum cauſ.* 23 q. 5 dicens: *Non licet propria perire manu absque eo, ubi caſtitas periclitatur.* Reſp. diſt. ant. Laudabiliter ſe occiderunt ex ſpeciali permiſſione, & inſtinctu Divino, vel ſaltem ex ignorantia invincibili & bona fide, conc. ant. auctoritate propria, & ſine tali inſtinctu, vel ignorantia, neg. ant. quod Samſon, & ſaltem pleræque ſacræ virgines egerint ex inſtinctu Divino, expreſſe docet S. Auguſt. de civit. cap. 26: *Hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes; ſicut de Samſone nobis fas non eſt aliud credere*, cum Apoſtolus ad Hebr. 4 illum ſanctis annumeret. Eleazarum, & Raziam aliqui Patres redarguunt, plures laudant; quamquam Razias multis potius ex ignorantia, quam inſtinctu Divino egiſſe,

egiſſe, Eleazarus vero ſe tantum indirećte occidiſſe videatur. S. Hieronymo, ſi revera in oppoſita ſententia fuit, opponitur auctoritas aliorum Patrum, & omnium theologorum, cum quibus ut illum concilient, aliqui dicunt, particulam *absque* non exceptive, ſed incluſive accipiendam eſſe, uti accipitur Cantic. 4 v. 1: *Quam pulchra es amica mea absque eo, quod intrinſecus latet*, id eſt, etiam quoad ea, quæ interiora ſunt.

Dices 1. Licet direćte optare, & deſiderare 262
mortem: ergo ſibi etiam inferre. Sic 1 SS. Martyres ex deſiderio moriendi pro fide, ſe obtulerunt tyrannis. 2. Reus ſe ipſum poteſt offerre judici, & eo jubente mortis ſententiam in ſe ipſum exequi. 3. Poteſt aliquis ex caritate ſe offerre ad mortem pro alio ſubeundam. 4. Et longe magis alteri cedere tabulam in naufragio. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Multa nobis, & aliis licite poſſumus optare, quin ea licite facere poſſimus; e. g. poſſumus ſecluſo odio optare, ut homini facinoroſo commeritum ſupplicium infligatur a judice, quod nos ipſi irrogare non poſſumus. Ad 1 inſtantiam dico. SS. Martyres tantum deſideraſſe mortem ut tolerandam a tyrannis, & ex ſuppoſito, quod ex aliena malitia, & miniſterio inferatur; abſolute autem ſolum intenderunt defenſionem fidei, & honorem DEI. Ad 2. Quando reus ex gravi cauſa, & ſecluſis aliis circumſtantiis v. g. dedecore familiæ licite ſe ſiſtit judici, non deſiderat mortem ut infligendam a ſe ipſo auctoritate propria, ſed a judice; utrum vero mortis ſententiam in ſe ipſum tanquam miniſter juſtitiæ poſſit exequi, dependet ab eo, an Judex id poſſit jubere, de quo non conveniunt auctores. Exiſtimo tamen, poſſe, ſi mors non ſit valde crudelis, & ſpecialis cauſa imperandi adſit. Certe reus in ſe ipſum poteſt exequi ſententiam exilii, triremium &c. Ad 3. Certum eſt,

quod

quod innocens ſe non poſſit offerre pro alio reo; quia ſic judex volens juſte occidere reum, induceretur ad injuſte occidendum innocentem: dein etiam pro innocente mortem ad ſummum poſſet optare ut tolerandam, quod ipſum juxta multos repugnaret ordini caritatis. Ad 4. Cedens tabulam alteri, mortem tantum poteſt intendere indirecte; imo ſi tabulam jam arripuerit, negat Suarez & Oviedo, quod cæteris paribus in novum periculum hac ceſſione ſe poſſit conjicere, niſi aliunde adſit ſpes evadendi.

263 Dices 2. Si tyrannus ſervo minitaretur mortem acerbiſſimam & certum eſſet, quod illam ſtatim ſit illaturus, poſſet ſervus ſe ipſum pugione confodere: ergo ſe ipſum directe occidere. Ant. prob. Ex una parte occiſio ſui ipſius in hoc caſu non repugnaret caritati erga ſe ipſum, ſed potius eſſet conformis, neque detrimentum afferret reipublicæ humanæ: ex altera parte merito præſumitur, quod Deus in tali caſu non eſſet invitus; ſicut dominus equi non eſſet invitus, ſi quis equum alias certo comburendum globo trajiceret, ne miſerum animal inter acerbiſſimos cruciatus perire cogeretur. Conf. In moralibus idem eſt malum non avertere, & inferre: ergo ſicut ex juſta cauſa licet mortem tolerare, ſic etiam inferre. Reſp. neg. ant. Ad prob. tranſ. ant. quoad primum membrum, neg. quoad ſecundum. An Deus cenſeri debeat invitus, deſumi potiſſimum debet ex communi ſenſu Doctorum; hi autem uno ore affirmant, Deum etiam pro tali caſu eſſe invitum. Ratio eſſe poteſt, quia ſi occiſio directa in uno caſu eſſet licita, periculum foret, ne hæc licentia extenderetur ad alios. Certe ob hanc rationem omnes negant, licitum eſſe ob ſterilitatem occidere uxorem principis, etiamſi ex defectu ſucceſſionis regnum devolveretur ad hæreticos, aut infideles cum ingenti rei Chriſtianæ detrimento. Ad conf. diſt. ant. In iis caſibus, in quibus datur obligatio malum avertendi, conc. ant. in

aliis

aliis, neg. ant. & conf. Qui ex justa causa mortem solum tolerat, aut ponit actionem, ad quam aliunde habet jus, in æstimatione morali se ipsum non occidit, nec mortem absolute vult.

Dices 3. Qui ponit actionem, ex qua mors certa prævidetur secutura, directe se ipsum occidit, & in æstimatione morali vult ipsam mortem; an enim ille, qui ad effugiendum incendium se præcipitat de turri, non hoc ipso mortem leviorem eligit tanquam medium ad effugiendam graviorem? Conf. Quando aliquid directe est prohibitum, hoc ipso etiam prohibitum est facere aliquid, ex quo illud certo sequitur, neque licentia actionis præcise dependet ex intentione operantis. Resp. me non dixisse, quod talis actio licite possit poni, sed tantum retulisse aliorum sententiam, in qua neg. ant. nam aliud est, quod actio ex qua mors sequitur e. g. præcipitatio, sit directe volita, & tanquam medium ad effugiendum incendium ordinetur, aliud, quod ipsa mors directe volita sit. Sane in nostro casu mors non est medium necessarium ad evitandum incendium; qui enim se projicit ex turri, incendium evadit, sive mors ex præcipitatione sequatur, sive non. Hinc utrum occisio sui ipsius sit directa, vel indirecta, non debet desumi ex certitudine, vel incertitudine mortis, sed ex necessitate mortis ad finem intentum, & ex ipsa intentione; si enim quis ponit actionem cum intentione se occidendi, haud dubie se ipsum directe occidit, sive mors certo, sive probabiliter tantum fuerit prævisa. Ad conf. dist. ant. Est prohibitum aliquid facere, ex quo illud sequatur, nisi habeatur justa causa illud faciendi, conc. ant. si habeatur justa causa, neg. ant. cum ratione addita. 264

Obj. 2. Quando tyrannus toti urbi minitatur excidium, nisi magistratus occidat innocentem tyranno invisum, magistratus hunc civem licite occi- 265

dit: ergo. Ant. prob. magiſtratus licite occidit nocentem, quia id neceſſarium eſt ad bonum publicum; ſed in caſu poſito etiam occiſio innocentis eſt neceſſaria ad bonum publicum. Conf. Saltem in hoc caſu innocens a republica poteſt tradi tyranno, etſi certo prævideatur occidendus; atqui in æſtimatione morali idem eſt occidere, & ad occidendum tradere. Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Licite occidit nocentem ex jure dominii, & præciſe ob bonum publicum, neg. maj. ex poteſtate a Deo ſpecialiter ſibi conceſſa, conc. maj. Quod Deus reipublicæ dederit poteſtatem occidendi nocentes, conſtat ex pluribus Scripturæ teſtimoniis: *Maleficos non patieris vivere*, Exod. 22 v. 18. *Si malum feceris time; non enim ſine cauſa gladium portat*, Rom. 13 v. 4. At vero de poteſtate occidendi innocentem potius conſtat contrarium: *Inſontem, & juſtum non occides*, Exod. 23 v. 7. Aut cur reſpublica non habet poteſtatem ad occidendam Reginam ſterilem? Ad conf. tranſ. maj. quam negant Sotus, Turrianus &c. neg. min. quia in æſtimatione morali occiſio directa, & indirecta ſunt aliquid valde diverſum; nam abſque ſpeciali permiſſione DEI occidere innocentem eſt intrinſece malum, adeoque ob nullum bonum finem, aut cauſam licitum; tradere vero innocentem eſt actio ſecundum ſe indifferens, neque ad incolumitatem reipublicæ mors ipſa requiritur; ex cauſa autem graviſſima licitum eſt ponere actionem de ſe indifferentem, etſi prævideatur poſt ſe tractura ex aliena malitia malum effectum.

266 Dices 1. Quilibet homo ſervato moderamine inculpatæ tutelæ poteſt occidere injuſtum aggreſſorem, imo etiam amentem furioſum: ergo multo magis reſpublica talem civem, tum quia bonum publicum prævalet privato, tum quia talis civis ipſemet ex pietate in patriam, & juſtitia legali tenetur ſe exponere morti pro patria. Conf. Civis privatus ſe habet ad totam rempublicam, ſicut membrum

ad

ad corpus phyficum; atqui pro confervando corpore poteft amputari membrum, etiam fanum: ergo. Refp. tranf. ant. de quo alibi forte plura, neg. conf. Quod in certis circumftantiis injuftum invaforem occidere liceat, rurfus conftat ex Scriptura, Exod. 22 & variis Pontificum conftitutionibus cap. 2 de homicidio, cap. 3 de fentent. excomm. &c. Nec obftat, quod amens non agat libere, adeoque formaliter, & theologice coram Deo fit innocens; nam faltem eft nocens materialiter, quatenus re ipfa noceret vitæ tuæ, nifi ictum prævenires. Porro ex eo, quod civis ipfe teneatur fe morti exponere, ad fummum fequitur, quod, nifi imperante magiftratu hoc faciat, poffit occidi ut nocens; bonum publicum vero prævalet privato folum in illis, quæ fubjecta funt dominio alto reipublicæ, vel fpectant ad illius jurisdictionem, & poteftatem gubernativam. Ad conf. neg. maj. quod civis quoad omnia ita fe habeat; nam membra corporis phyfici principaliter funt propter bonum totius, quo pereunte ipfa quoque neceffario perire debent, hinc non habent jus diftinctum a jure totius hominis, neque proprie funt capacia injuriæ fibi fpecialiter inferendæ; at membra reipublicæ tantum fecundario funt propter rempublicam, poffunt illa pereunte per fe loquendo adhuc durare, habent jus diftinctum a jure totius reipublicæ, & funt capacia injuriæ fibi fpecialiter inferendæ.

Dices 2. Si fœmina prægnans vitam fuam aliter 267
fervare non poteft, licite fumit medicinam, ex qua fequitur abortus fœtus animati; fed hoc eft directe occidere innocentem. Conf. Si ex defectu aquæ naturalis infans aliter baptizari non poffet, nifi dejiciatur in puteum, licite dejiceretur. Et multo magis eques poteft equi calcibus obterere infantem baptizatum in angiportu jacentem, fi aliter infequentem hoftem fugere nequeat. Refp. dift. maj. Licite fumit medicinam quæ ad vitam matri conducit præ-

ſcie occidendo, & expellendo fœtum, aut ex intentione, ut fœtus occidatur, neg. maj. quæ ad vitam matris conducit per ſe, ac præſcindendo a morte, & expulſione fœtus, tranſ. maj. ſi enim ex omiſſione talis remedii mors quidem immineret matri, proles autem ſalvari, & ex demortuæ matris utero exſecta baptizari poſſet (quod juxta Sanchez rariſſimum, & moraliter impoſſibile) ſecundum communem ſententiam mater vitam ſpiritualem prolis teneretur præferre propriæ vitæ corporali. Ad conf. dico, in utroque caſu occiſionem eſſe tantum indirectam. Dein quamvis ratione difficulter probari poſſit, dejectionem infantis in puteum in hoc caſu eſſe illicitam, nullum tamen ſcio auctorem, qui aperte dicat, illam licitam eſſe. Citat quidem Lacroix l. 6 part. 1 Num. 264 Dianam Part. 5 tract. 3 reſol. 8, additque, ejus ſententiam approbari a Gobat Num. 124 de baptiſmo. At neuter horum, ſi attente legatur, licentiam infantem dejiciendi in puteum adſtruit, ſed potius contrarium.

268 Obj. 3. Homo poteſt ſe ipſum directe mutilare: ergo ſaltem eſt dominus ſuorum membrorum. Ant. patet; nam 1 quivis poteſt licite procurare reſectionem membri gangrena, vel veneno infecti, ne malum lethale ſerpat in reliquum corpus. 2. Captivus poteſt ſibi reſcindere manum, vel pedem vinculis conſtrictum, ſi alias effugere certam mortem nequeat, vel eandem tyrannus, aut latro minitetur. Conf. Qui ab alio mutilatus eſt injuſte, poteſt ipſi remittere obligationem reſtituendi: ergo. Reſp. diſt. ant. Poteſt ſe ipſum mutilare ex conceſſione DEI, & quando truncatio partis eſt neceſſaria ad conſervationem totius individui, conc. ant. auctoritate propria, & quando truncatio non eſt ita neceſſaria, neg. ant. Quando homo ad conſervationem totius facit jacturam partis, cenſetur utiliter agere negotium DEI tanquam legitimi Domini, & rem ſibi commiſſam

missam prudenter administrat, adeoque agit auctoritate DEI, & præsumpto illius consensu. Ad conf. Si ipsum membrum restitui posset, homo non posset condonare restitutionem, adeoque restitutio, quæ fieri debet in casu injustæ mutilationis, non fit pro ipso membro, sed pro usu membri, vel pro damno ex mutilatione secuto in bonis fortunæ; usus autem membri, & bona fortunæ sunt in dominio hominis.

Dices: Homo potest petere, vel admittere castrationem sui non solum ad leniendos molestissimos herniæ dolores, 2. sed etiam ad minuendas tentationes carnis, ut fecisse fertur Origenes, 3. vel ad conservandam suavitatem vocis, ut docet Tamburin. Salonius &c. Conf. Potest dici, quod homo habeat potestatem in actu primo disponendi de suis membris, ita tamen, ut hæc potestas non possit exire in actum secundum ob legem DEI prohibentem, sicut in simili dictum de pupillo. Resp. neg. ant. quoad secundum, & tertium membrum. Castratio in primo casu est necessaria ad conservationem, & utilitatem totius; ad leniendas vero tentationes suppetunt alia media, oratio, afflictatio corporis, fuga occasionum &c. imo castratio magis incitat libidinem, præsertim si fiat in virili ætate, ut docent SS. Patres, Basil. Chrys. Aug. apud Less. l. 2 cap. 9 dub. 14 num. 98. Hinc passim reprehenditur factum Origenis, & castratio ob hunc finem expresse prohibita est can. 7 Concil. Nicæn. Sed neque ob suavitatem vocis juxta communiorem sententiam licet uti medio per se a natura tam alieno, præsertim cum emasculatæ ejusmodi voces parum conducant ad cultum DEI, fovendamque cordatam pietatem. Illud omnino certum, quod inviti, aut parvuli nondum usu rationis præditi non possint sine injuria, & gravi præjudicio circa electionem status ita mutilari. Ad conf. neg. paritatem; nam pupillus habet saltem aliquam legem sibi assistentem,

269

 quæ

quæ constituat ipsius jus, & dominium; at prorsus nulla existit lex, quæ homini tribuit dominium perfectum sui ipsius, & membrorum.

270 Obj. 4. Sicut nemo potest esse pater, vel magister sui ipsius, sic nemo potest esse dominus sui ipsius: ergo homo ne quidem habet dominium sui imperfectum, præsertim directum; alias ordinaretur tanquam medium ad se ipsum tanquam finem cui. Conf. Venditio utpote translativa dominii supponit dominium perfectum in venditore: ergo homo se ipsum non potest vendere, præsertim quia libertas est res inæstimabilis. Resp, neg. ant. Cum pater ad filium dicat relationem producentis, & producti, magister & discipulus subordinationem intellectuum, debent esse realiter distincti; at vero potestas disponendi de re aliqua dari, & concipi potest per solam distinctionem formalem, sicut per illam potest concipi, quod homo sit custos, & administrator sui; neque opus est, ut res dominio tantum imperfecto subjecta ordinetur ad dominum secundum ipsam substantiam, modo ad illum ordinetur quoad suos fructus & emolumenta quibus ipse perficiatur. Sic dum homo sibi comparat scientias, est simul medium, & finis, cui scientia comparatur. Ad conf. dist. ant. Si venditor in emptorem transferat dominium perfectum, conc. ant. si tantum imperfectum, neg. ant. Libertas quidem in se considerata inæstimabilis est, attamen pretio æstimari potest, si consideretur quoad suam utilitatem, ferme sicut equus, quamvis quoad substantiam nobilior sit omni pecunia, emi potest, quia ejus moralis æstimatio in ordine ad venditionem desumitur ex utilitate.

271 Q. An judex possit condemnare hominem, qui juridice probatur nocens, quem tamen ipse certo novit innocentem? Resp. 1. certum esse, quod in tali casu judex debeat adhibere omnia media, quæ moraliter adhiberi possunt ad innocentem liberandum, tum

tum quia judex debet ſequi veritatem, neque poteſt acquieſcere ſententiis multorum, ut a veritate deviet, tum quia jus naturale, & juſtitia commutativa exigit, ne ſolutio, vel pœna imponatur illi, qui reipſa nullam habet obligationem, nec ullam culpam commiſit. 2. Quamvis proprie loquendo nunquam poſſit puniri, aut damnari innocens, quia tamen reſpublica habet dominium altum in bona ſubditorum, & maxima ſequerentur incommoda, acceptio perſonarum, judiciorum perverſio &c. niſi judex ſecundum allegata, & probata deberet procedere, multi præſertim ex antiquioribus cum P. Reifſenſtuel & Laym. cenſent, quod in tali caſu reſpublica judici concedat poteſtatem, ut in cauſis civilibus, vel criminalibus minoribus ſecundum allegata, & probata innocentem bonis fortunæ privet, aut levi moleſtia afficiat, per quod tamen innocens dominium rei ſuæ probabilius non amittit in conſcientia. 3. In cauſis criminalibus majoribus judex nunquam poteſt condemnare innocentem, quia ſine auctoritate DEI innocentem directe occidere, vel mutilare eſt intrinſece malum: neque Deus unquam hanc poteſtatem judicibus conceſſit.

Si dicas: Judex tanquam perſona publica debet ferre ſententiam ſecundum ſcientiam publicam, quam habet ex allegatis, & probatis, alias via aperiretur innumeris fraudibus, & rueret integritas judiciorum cum maximo damno reipublicæ. Imo judex directe tantum intendit rempublicam ſervare incolumem, & ſcientia privata tam parum obeſt, quam ſi innocentiam rei ſciret ex confeſſione. Reſp. Judicem in tali caſu nullam omnino ſententiam ferre poſſe: non abſolutoriam, quia privata illius notitia de innocentia accuſati nihil conducit ad exercitium poteſtatis judiciariæ: non condemnatoriam, quia damnare innocentem eſt intrinſece malum. Neque ideo via aperitur fraudibus; cum 272

enim judex nequeat probare innocentiam juridice convicti, repelletur ab officio, & alius a supremo principe constitutus damnabit reum, proin non est periculum, ne vel reus frustra judicem corrumpat, vel judex cum tanto dispendio, & ignominia corrumpi se sinat; integritas vero judiciorum non est majus bonum, quam conservatio totius reipublicæ, & tamen ad hanc conservandam non licet directe occidere innocentem, ut constat ex dictis. Porro impossibile est, ut judex ferendo sententiam capitalem non habeat pro objecto directo mortem illius, quem condemnat. Quod denique notitia Sacramentalis nullo modo possit dirigere actiones humanas, habetur ex speciali ordinatione Christi.

QUÆSTIO IV.

Quale dominium habeat homo in bona extrinseca?

273 BOna extrinseca duplicis generis sunt; nam aliqua habent suam mensuram intra ipsum hominem, uti honor, fama, laus &c. alia sunt ipsi pure extrinseca, & homine prorsus immutato augeri, vel minui possunt, ut pecuniæ, agri, domus, vestes, servi &c. quæ bona fortunæ dicuntur. Fama est existimatio, quæ habetur de vita, moribus, & dotibus alicujus: læditur per detractionem, qua in absentia alterius imponitur alteri falsum malum, vel revelatur occultum. Honor est testificatio excellentiæ alterius, & læditur per contumeliam, convicium, vel similes actiones. Circa bona fortunæ erravit Wicleffus, & Joannes Husſ, docentes, hominem in statu peccati mortalis constitutum non esse capacem dominii, sed ideo fuit damnatus in Concilio Constantiensi sess. 8; cum utique ob peccatum homo non privetur rebus suis, nec sine maxima

ma perturbatione reipublicæ talis privatio adſtrui poſſit, ut in ſimili diximus part. 1 Num. 193. Pelagius quoque, & alii quidam hæretici, dicti Apoſtolici, vel Apoſtatici, aſſeruerunt, hominem non poſſe ſalvari, niſi inſtar Apoſtolorum viveret nudus ab omni divitiarum proprietate; hanc hæreſin circa annum 1295 renovarunt quidam, pſeudoapoſtoli nominati, ducibus Gerardo, Sagarello Parmenſi, & Dulcino Novarienſi, quibus tamen merito ſupplicio interemptis, error quoque ceſſavit.

Dicendum 1. Homo habet plenum dominium 274 ſuæ famæ, ac honoris. Ita communis cum D. Thoma contra Sylveſtrum, Cajetanum, Wolf &c. Prob. Quia homo per ſe loquendo, & quantum natura rei patitur, poteſt de fama ſua perfecte diſponere, ſicut de aliis rebus corporalibus; poteſt enim uti fama ſua in proprium commodum, obligare alios, ne illam lædant, vel ut læſam reparent; poteſt detractori laudabiliter reſtitutionem famæ condonare, vel ipſemet illam quaſi alienare, & deſtruere, ſe ex rationabili cauſa infamando, & manifeſtando occultum delictum e. g. ad petendum conſilium, ad ſui humiliationem, vel miſericordiæ Divinæ commendationem, qua ratione S. Paulus declaravit ſe fuiſſe blasphemum, & S. Auguſtinus ſe in libidinum cœno diu volutatum. Conf. Homo famam, ac honorem propria induſtria & labore ſibi comparat, & auget, adeoque fama eſt veluti fructus induſtrialis: ergo habet illius dominium ſicut aliorum fructuum induſtrialium. Atque hæc intelligenda ſunt de fama, & honore fundamentaliter tali, ſeu de propriis cujusque actionibus externis, propter quas alicui exhibetur æſtimatio, & cultus; nam in famam, & honorem formaliter talem homo non magis videtur habere dominium, quam in actiones, & verba aliorum.

Dicendum 2. Homo per ſe loquendo habet, vel 275 ſaltem licite habere poteſt plenum dominium in bona

fortunæ, seu corpora sub lunaris, quæ modo convenienti possunt apprehendi. Ita rursus communis ac certa. Probatur. Scriptura Genes. 1 v. 28 ait: *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & universis animantibus.* Et Psalm. 8 v. 8: *Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas;* & ratio est, quia omnia ista non modo in bonum hominis creata sunt, sed etiam talia, ut homo de illis possit disponere tam quoad fructus, quam quoad substantiam e. g. animalia occidendo, & destruendo inanimata &c. Certe Abel erat justus, & habuit gregem suum. Abraham, Isaac, & Jacob multa bona possederunt, Deus ipse divisit terram Chanaan Israelitis. Zachæus dimidio bonorum in pauperes erogato, & dimidio retento a Christo audivit: *Hodie salus domui huic facta est.* Denique tam in antiquo, quam novo testamento passim commendatur eleemosyna, quæ utique non ex alieno, sed ex proprio fieri debet.

276 Porro quia corpora cælestia nec convenienti modo apprehendi, neque homo de illorum substantia ullo modo disponere potest, communissima contra Sotum, Molinam &c. docet, hominem in illa ad summum habere qualecumque dominium utilitatis, vel potius usum juris, quatenus illorum influentiis in proprium commodum uti, nec sine injuria ab hoc usu impediri potest; similiter licet homo possit uti igne, & aere, ac dominium suorum agrorum, fontium, quin etiam fluminum, & maris habeat, indeque percipiat magnas utilitates ratione navigationis, commercii, piscationis, vectigalium &c. quia tamen sæpe de elementis non potest perfecte disponere, sine multis litibus de nomine probari nequit, hominem esse dominum perfectum elementorum; imo si communem usum loquendi spectemus, ridendus videretur qui se dominum solis, lunæ, elementorum &c. diceret. Neque obstat, quod Scriptura univer-

versaliter dicat: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Nam imprimis ipsa Scriptura per subjunctam explicationem hunc textum satis restringit, dum sola corpora sublunaria oves, boves, volatilia cœli &c. enumerat. Dein multi textus Scripturæ de se illimitati debent limitari, ubi vel sufficiens auctoritas, vel ratio id suadet.

Objectiones.

Obj. 1. Homo non potest se ipsum licite infamare: ergo non habet plenum dominium suæ famæ. 277
Ant. prob. Eccles. 41 v. 15 dicitur: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit quam mille thesauri.* S. quoque Augustinus ait, nobis necessariam esse conscientiam nostram, aliis famam nostram; & ideo crudeles vocat, qui famam suam negligunt. Conf. Homo non potest sibi falsum imponere crimen: ergo neque se ipsum infamare. Resp. dist. ant. Non potest se licite infamare, si non habeat justam causam, vel inde sequatur damnum proximi, conc. ant. secus, neg. ant. Licet homo non possit prodigere suas pecunias sine justa causa, vel cum damno proximi, tamen juxta omnes habet plenum earum dominium. Contingit autem in triplici potissimum casu, ut fama nostra aliis sit necessaria. 1. Quando infamia nostra redundaret in infamiam proximi, sicut ex infamia Religiosi non raro sequitur infamia ordinis, vel monasterii. 2. Quando infamia nostra impedit officium aliis ex caritate, vel justitia debitum, ut contingit in infamia personæ publicæ Prælati, Parochi, Concionatoris &c. 3. Quando nostra infamia cedit in scandalum aliorum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Qui falsum crimen positive sibi imponit, mentitur, quod semper est contra virtutem veracitatis, & intrinsece malum.

Di-

278 Dices: Dum homo se ipsum infamat, reddit se ineptum ad varia reipublicæ munia, judicis, testis &c. ergo infert injuriam reipublicæ. Conf. Licet aliquis se ipsum possit mutilare, vel condonare restitutionem pro membro injuste ablato, ideo non habet plenum dominium membrorum: ergo a pari. Resp. conc. ant. si infamia sit gravis, & notoria, dist. conf. Infert injuriam reipublicæ, quando talis homo ad ejusmodi munia reipublicæ est valde necessarius, conc. secus, neg. conf. Sicut dominium altum reipublicæ non obstat, quo minus subditus habeat plenum dominium in sua bona, eaque ex justa causa alienare possit, modo talis alienatio non cedat in grave præjudicium reipublicæ: sic infamatio sui tunc solum reipublicæ esset injuriosa, quando inde sequeretur notabile damnum reipublicæ, vel saltem propinquum ac probabile periculum esset, ne tale damnum inde oriretur. Hinc ait Gormaz, infamationem sui etiam in re gravi & sine justa causa factam per se loquendo tantum esse peccatum veniale prodigalitatis. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Homo famam suam potest pessumdare tanquam bonum propria industria partum, & condonare restitutionem ipsius famæ, tametsi hæc posset restitui: neutrum horum potest facere de suis membris, ut patet ex Num. 268.

279 Obj. 2. Jure naturæ omnia bona externa sunt communia: ergo nulli competit perfectum illorum dominium. Ant. prob. Clemens I can. dilectissimis 2 caus. 12 q. 1 ait: *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta est divisio.* Conf. Deus præfecit hominem rebus omnibus, quæ autem de jure habent aliquem dominum communem, non possunt dividi inter plures sine domini injuria. Resp. dist. ant. Sunt communia pro casu, quo deficit legi-

legitima eorum divifio, & appropriatio, conc. ant. pro circumftantiis, in quibus legitima divifio & appropriatio datur, neg. ant. Clemens Papa tantum vult, quod divifio fuerit introducta occafione iniquitatis & peccati; fi enim peccatum originale non præceffiffet, finguli fine labore habuiffent neceffaria, adeoque divifio minus fuiffet neceffaria, quam nunc eft, præfertim accedentibus peccatis actualibus, quæ in tanta hominum multitudine, & natura corrupta alias timenda effent. Ad conf. Quamvis Deus tanquam fupremus dominus homini in communi omnia fubjecerit, tamen communitatem bonorum non præcepit, neque prohibuit, quo minus bonorum divifio legitima poteftate, aut gentium conventione introduceretur, adeoque hæc divifio non fuit facta refiftente domino communi, neque illi fuit injuriofa.

Dices: Per rerum divifionem, & dominium pri- 280
vatorum turbatur pax reipublicæ; nam hinc oriuntur innumeræ lites, rapinæ, furta, æmulationes, odia, avaritia &c. dumque alii ampliffimas opes poffident, confumuntur alii fame, & inedia. Conf. S. Bafil. fermon. ad divites ait, illos illicite agere, *fi communia, quæ præoccupaverunt, æftiment fua effe.* S. Ambrofius ferm. 64: *Nemo proprium dicat, quod eft commune.* Refp. Ex communitate bonorum non folum eadem, fed multo majora mala orirentur; quis enim agros coleret, officia reipublicæ obiret, bona communia cuftodiret, ex æquo divideret &c. An non inde maxima diffidia, æmulationes, & odia timenda effent? An non avari per rapinas, & furta tentarent fibi bona communia appropriare? Certe ficut ex communitate bonorum ortæ funt rixæ inter paftores Abraham & Loth, lites inter Jacob & Laban, ita quotidie videmus difcordias inter hæredes circa divifionem hæreditatis, inter mercatores circa divifionem bonorum communium

nium &c. Quod autem aliqui plus, aliqui minus habeant, est per accidens, neque ista inæqualitas statim fuit ab initio, sed primum per propriam hominum industriam, vel socordiam introducta. Ad conf. S. Basilius non dicit, illicite agere divitem, si præoccupet possessionem rei, sed si nulli alteri velit ex rebus suis subvenire, & eorum usum concedere. In eundem sensum intelligi debet S. Ambrosius, qui solum loquitur de proprietate quoad usum.

281 Obj. 3. Saltem Christiano illicitum est aliquid proprium possidere; nam Christus Luc. 14 v. 33 ait: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et Matth. 19 v. 21 juveni interroganti, quid præter custodiam mandatorum ad vitam æternam sibi necessarium sit respondit: *Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus:* dein ad suos conversus v. 24 addidit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Conf. Qui possidet divitias, se exponit periculo amittendi vitam æternam: ergo peccat. Resp. neg. ant. Christus in istis textibus non loquitur de renuntiatione divitiarum quoad rem, & actum; hæc enim tantum est instrumentum, & via ad perfectionem; sed de renuntiatione quoad affectum, & præparationem animi, quatenus Christianus debet ita esse comparatus, ut mallet omnia temporalia perdere, quam Deum offendere, eoquod æque impossibile sit, divitem cum amore, & cupiditate divitiarum inordinata salvari, ac camelum intrare per foramen acus. Licet autem solis viribus naturæ impossibile sit, ut dives inordinatum affectum divitiarum excludat, id tamen possibile est viribus gratiæ, nec opus gratia extraordinaria, vel miraculo, sicut ad transitum cameli per acum, sed sufficit gratia ordinaria. Hinc ad conf. dist. ant. Se exponit periculo qualicumque, conc. ant. proximo, & moraliter insuperabili, neg. ant. & cons. nam multi divites salvi, imo etiam sancti facti sunt, ut patet ex probatione.

Di-

Dices : Primis Christianis non licebat aliquid proprium possidere : ergo neque nunc licet. Ant. prob. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una : nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia -- quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, Act. 4 v. 32 & seqq. Conf. Ananias & Saphira subita morte puniti sunt, quia de pretio agri fraudaverunt, Act. 5 v. 2 & seq. Resp. neg. ant. Quamvis primis temporibus fervente caritate, & Apostolorum exemplo prælucente fideles communitatem bonorum habuerint, id non fecerunt ex præcepto, sed voluntarie, ut modo faciunt Religiosi ; hæc autem communitas bonorum aucto credentium numero brevi cessavit ; nam ut 1 Cor. 16 v. 2 & seq. legitur, jam tempore S. Pauli formabantur collectæ, & mittebantur Hierosolymam ; hinc Apostolus ibi cap. 7 v. 30 non præcipit Corinthiis, ut divitias abdicent, sed ut, *qui emunt, sint tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*: id est, ne nimio erga divitias amore ferantur. Idem 1 ad Tim. 6 v. 17 divitibus tantum vult præcipi, ut in divitiis spem non ponant : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sperare in incerto divitiarum.* Ad conf. Ananias & Saphira morte puniti sunt propter mendacium, & hypocrisin, vel quia habuerunt votum paupertatis, ut vult S. Aug. Basil. Chrysost. &c. & Cornelius a Lapide colligit tum ex verbo *Fraudavit*, tum quia Ananias dicitur mentitus Spiritui Sancto.

QUÆSTIO V.

Qualium bonorum dominium habeant conjuges?

Inter bona conjugatorum aliqua pleno jure pertinent ad solum maritum ; talia sunt, quæ maritus nec ab uxore, nec ejus intuitu, vel cooperatione 283

acqui-

acquirit : alia pleno jure dominii ſpectant ad ſolam uxorem, quæ nempe uxor habet extra, vel præter dotem; hæc vocantur parapherna, vel paraphernalia. Decet nihilominus ut uxor iſta bona, niſi juſta cauſa aliud ſuadeat, relinquat marito uxorio nomine adminiſtranda; attamen hoc jus adminiſtrandi ad arbitrium uxoris erit revocabile. Alia denique bona ſunt utrique communia, quæ videlicet conjuges durante matrimonio communi opera, & titulo acquirunt; horum dominium directum juxta plurium locorum conſuetudinem ad utrumque conjugem pertinet, & lucra & damna utrique ſunt communia; adminiſtratio vero ut plurimum competit ſoli marito. Quandoque ſpecialiter adduntur pacta, quæ diligenter attendenda ſunt, ut ſciatur, an & quid uxor exigere poſſit; quod ſi quælibet pars ſibi retineat, quod propria induſtria lucratur, ad uxorem ſpectat dominium eorum, quæ ſpeciali arte, vel labore acquirit, ſaltem quando ſufficientem dotem ad ſuſtentanda onera matrimonii attulit; lucra tamen ex bonis mariti facta pertinent ad maritum, & uxor ſolum poteſt petere compenſationem laboris, quam ipſam cenſetur remittere, ſi petere poſſit, & non petat.

284 Specialiter inter bona conjugum conſideranda ſunt, 1. Dos, per quam intelligitur omne id, quod nomine uxoris datur, aut promittitur marito ad ſuſtentanda onera matrimonii; ſi a patre, vel alio aſcendente paterno datur, vocatur profectitia, ſi vero aliunde, nec intuitu patris provenit, vocatur adventitia. 2. Contrados, ſeu donatio propter nuptias dicitur illud, quod maritus, vel alius ipſius nomine dat uxori in compenſationem, vel ſecuritatem dotis; hæc de jure debet adæquare dotem, ſed ex quorundam locorum conſuetudine non æquat, imo aliquando nulla datur. 3. Arrha, quam ſponſi in ipſo contractu ſponſalium mutuo dant in pignus futuri matrimonii. 4. Sponſalitia largitas ſunt munera utrinque data

data intuitu nuptiarum, & in conteſtationem ſtabilis affectus. 5. Donum matutinale, vulgo Morgengeba, quo nomine venit munus, quod maritus, ſed plerumque non niſi nobilis, altero nuptiarum die dat uxori, pro more & conſuetudine cujusque regionis. Circa hæc bona præter diviſiones juris & dominii alibi explicatas notandum eſt diſcrimen inter dominium naturale, & civile: per naturale intelligitur illud, quod absque ſingulari legum reſtrictione, & juris fictione vere facit dominum rei: civile dicitur, quod alicui fictione juris, & per leges conceditur ad certos tantum effectus, alias dominio naturali proprios, ut ſunt libera adminiſtratio, aut etiam vindicatio rei.

Quando dos certo pretio, & quidem eum in finem fuit æſtimata, ut maritus illam tanquam ſibi venditam recipiat, juxta Leg. quoties 5 cod. de jure dotium, maritus habet illius dominium directum, & utile tam civile, quam naturale; quia talis dos perinde ſe habet, ac ſi a marito empta fuiſſet pro pretio credito. Idem eſt, ſi dos conſtituta fuit in pecuniis, & aliis rebus conſiſtentibus in numero, pondere, & menſura, quia tum conſtitutio dotis imitatur naturam mutui. Hinc ſi talis dos etiam absque culpa mariti pereat, perit marito, ſi autem uxore mortua ſuperſit, maritus, vel ipſius hæredes non tenentur reſtituere ipſam dotem, ſed tantum illius æſtimationem, ſeu pretium, retinet nihilominus uxor jus quaſi reale in dotem, quatenus ante omnes alios illam poteſt recipere ex bonis mariti, & ſi iſta non ſufficiant, eam a quocunque vindicare; unde dominium mariti non eſt omnino plenum. Quod ſi dos vel omnino non fuerit æſtimata, vel ſaltem non æſtimatione faciente venditionem, ſed præciſe ut conſtare poſſit de ejus pretio, juxta Leg. in rebus 30, Cod. de jure dot. dominium naturale dotis profectitiæ eſt penes dantem, dotis vero adventitiæ penes 285

uxorem, dominium denique utile, ac civile penes maritum; nam licet maritus talem dotem non possit alienare, potest tamen illam vindicare, fructus ex illa percipere, & inde alere uxorem salva dotis substantia.

286 Contradotis dominium naturale tam utile, quam directum habet maritus, uxori autem Novell. 61 ut immobilia antenuptialis donationis, tribuitur illius dominium civile, sed tantum quoad unum effectum, seu jus vindicandi contradotem, si hæc consistat in re immobili; nam usumfructum dixi ad maritum pertinere. De reliquo contrados ferme in omnibus imitatur naturam dotis; nam 1. sicut dos post mortem mariti per se redit ad uxorem, sic contrados mortua uxore ad maritum redit. 2. Si pactum præcessit, ut maritus dotem lucretur uxore prius mortua, censetur etiam intervenisse pactum, ut mortuo marito uxor lucretur contradotem. 3. Sicut maritus propter adulterium conjugis post sententiam judicis lucratur dotem, ita uxor eodem modo lucratur contradotem propter adulterium mariti.

287 Arrha manet in dominio dantis, cui secuto matrimonio, aut sponsalibus justa utrinque de causa solutis restitui debet; quia non est donum, sed præcise pignus datum in securitatem matrimonii contrahendi. Quod si unus e sponsis resiliat injuste & culpabiliter, arrham datam perdit, & acceptam tenetur restituere, insuper pro pœna condemnatur in simplum, id est, in pretium arrhæ æquivalens, interdum etiam in duplum, triplum, vel quadruplum ex leg. arrhis 3, & leg. Mulier 5 cod. de sponsalibus. Sponsalitia largitas secuto matrimonio est in pleno dominio accipientis, seu donatarii, quia sub conditione futuri matrimonii donata fuit: si vero ex culpa unius partis non sequatur matrimonium, pars innocens potest repe-

repetere, quod donavit, nec tenetur reddere, quod dono accepit, Leg. cum veterum 15 cod. de donat. ante nuptias. Si denique ſponſalia ſolvantur morte unius, ſponſus debet reddere totum, ſponſa vero huic partem dimidiam, ſi quidem oſculum intervenerit, Leg. Si a ſponſo 16 cod. eodem. Donum matutinale cedit in dominium uxoris, niſi obſtet ſpeciale pactum, conſuetudo, aut particulare ſtatutum. Ratio eſt, quia donatio de ſe transfert dominium in donatarium, niſi obſtet ſpecialis ratio. Quamvis autem aliæ donationes inter conjuges ſint invalidæ, vel revocabiles, hæc utpote remuneratoria, & ſpecialiter a legibus excepta, valida, & irrevocabilis eſt.

Colliges 1. Si maritus ex bonis, quæ ad paraphernalia, & plenum uxoris dominium pertinent, 288
aliquid notabile auferat, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. 2. Idem dicendum, ſi diſſipet dotem, vel magnam bonorum communium quantitatem ſine conſenſu uxoris, & quin iſta aliunde compenſare poſſit; nam proprietas dotis non æſtimatæ non eſt penes maritum, in dotem æſtimatam uxor ſaltem habet dominium civile, bonorum autem communium medietas plerumque ad uxorem ſpectat. 3. Viciſſim peccat uxor, ſi aliquid notabile auferat viro non ſolum ex bonis viro propriis, ſed etiam ex dote, contradote, & bonis communibus, quorum ipſe adminiſtrationem habet. Hinc vel damnum illatum ſtatim debet reſarcire ex bonis paraphernalibus; vel poſt mortem viri hæredibus ex dote, vel denique, ſi neutrum poſſit, aliis modis, obſequiis, officiis, &c. marito, aut hæredibus compenſare conabitur. Notat tamen Lugo, de conjuge non facile præſumendum eſſe, quod ſit quoad ſubſtantiam invitus, & furta non nimis gravia conjugi ad peccatum mortale, & æternam damnationem velit imputari. Lacroix vero putat, conſuetudinem non habere, ut maritus reſtituat, ſi

ex bonis communibus aliquid dilapidet ingluvie, vel immodico lusu, quamquam uxor in tali casu ex bonis communibus non solum possit subducere ea, quæ necessaria videbuntur, ne imposterum familia egeat, sed etiam facere compensationem, eo quod vir uxori faciat injuriam ipsius partem profundendo.

289 Præterea uxor ex variis aliis capitibus potest aliquid de bonis communibus disponere. 1. Quando viro consentiente, absente, ægroto &c. ipsa administrat bona, vel familiam gubernat; tunc enim potest agere prout juxta regulas prudentis administrationis judicabit expedire. 2. Uxor licite accipit non solum ea, quæ maritus certo, & facile concederet, si rogaretur, sed etiam, quæ maritus non concederet, attamen necessaria sunt ad congruam familiæ sustentationem, victum, vestitum, medicinam &c. vel ad alia damna, a familia, aut marito avertenda, ut 1 Reg 25 fecit Abigail. 3. Uxor potest facere competentes suo statui eleemosynas, & donationes, quæ apud similis conditionis fœminas in usu sunt, saltem nisi vir sufficientes largiatur. 4. Potest sibi providere de decenti ornatu, competente recreatione, sed tamen absque excessu, & juxta suum statum. Quod si ipse maritus pro honesta sustentatione familiæ uxori ad certum tempus aliquid assignaverit, juxta Navarr. Less. Gobat. uxor de superfluo libere potest disponere, quia est veluti fructus industriæ. 5. Si pater, mater, aut proles uxoris ex anteriori matrimonio suscepta, graviter indigent quoad vitam vel statum, debet illis uxor petita prius a marito licentia ex bonis communibus, vel hac non impetrata, ex dote succurrere; quia hæc obligatio est naturalis, quam maritus impedire non potest. Idem alii extendunt ad uxoris fratres, & sorores. Extra hos autem casus non sufficit, si uxor aliquid expendens habeat animum illud computandi in partem, post matrimonium

nium dissolutum sibi obventuram; quia nihilominus vir injuste privatur administratione.

QUÆSTIO VI.

Quale bonorum dominium habeat filiusfamilias?

PEr filiumfamilias intelligitur filius naturalis, vel 290
adoptivus nondum emancipatus, sed adhuc sub patria potestate constitutus, vi cujus pater habet speciale quoddam jus in filium & bona ipsius in ordine ad certos effectus. Acquiritur hæc potestas vel naturali procreatione ex legitimo matrimonio, vel legitimatione, aut etiam adoptione, neque de se ullum habet determinatum tempus, juxta statuta tamen variarum regionum non extenditur ultra vigesimum quintum ætatis annum, & in Germania teste Haunoldo ferme universalis consuetudo habet, ut potestas patria solvatur per matrimonium filii, aut filiæ, saltem post separationem foci, & habitationis. Plura de effectibus potestatis patriæ, & variis modis, quibus finitur, videri possunt apud Legistas, vel P. Antonium Mayr. Nostrum tantum est breviter declarare, quid filiusfamilias (idem dic de filiafamilias) possit circa bona sua, quæ cum plerumque sint exigua, peculium vocari solent, & dividuntur in peculium castrense, quasi - castrense, adventitium, & profectitium.

Peculium castrense est, quod filiusfamilias ac- 291
quirit in militia, vel ratione officii militaris, quodque in aula, & principis obsequiis, seu horum intuitu sibi comparat, uti sunt stipendia militum, & aliorum, qui castra sequuntur, præda ex hostibus, dona a ducibus, vel commilitonibus obtenta; item bona mobilia a parentibus, vel aliis donata eunti ad militiam, aut in palatio principis versanti. Peculium quasi - castrense est, quod filius acquirit ex

officio publico nobili e. g. Medici, Judicis, Consiliarii, Advocati, Notarii &c. vel ex dono principis, aut reginæ, imo etiam ex donatione privati, hac tamen expressa conditione donantis, ut sit quasi castrense. Præterea quod datur filio ad suscipiendos ordines, quodve post clericatum acceptum acquirit, etsi respectu laici, tantum esset adventitium. Jam bonorum castrensium, & quasi castrensium plenum dominium habet filiusfamilias, ita, ut ea libere possit administrare, ac de illis disponere etiam per testamentum, ac ultimam voluntatem, dummodo sit pubes, Leg. Miles 4 π. de castrensi peculio, leg. Pater 12 π. eodem, & lege cum oportet 6 cod. de bonis, quæ liberis. Ante pubertatem vero, licet filiusfamilias habet dominium, & usumfructum, non gaudet administratione, neque etiam ex consensu patris de bonis istis per ultimam voluntatem disponere potest, leg. ult. cod. de testament. militis.

292 Peculium adventitium est, quod, etsi neque castrense, neque quasi castrense sit, filio neque a patre, neque intuitu patris advenit, sed aliunde e. g. ex donatione alterius, hæreditate ex avo materno, propria industria, negotiatione, casu, inventione thesauri &c. Istorum bonorum dominium directum juxta leg. quæcunque 4, & leg. cum oportet 6 Cod. de bonis, quæ liberis &c. habet filiusfamilias, usumfructum vero, & administrationem habet pater; hinc filius etiam pubes non potest disponere de bonis adventitiis sine consensu patris, imo neque cum consensu patris, si sint immobilia, nisi simul accedat decretum, & auctoritas judicis. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus etiam ususfructus ex bonis adventitiis proveniens ad filiumfamilias pertinet. 1. Si pater jure suo cedat. 2. Si filius adeat hæreditatem sibi delatam invito patre; tunc enim pater censetur renuntiare juri suo. 3. Si filius

lius una cum patre adeat hæreditatem ex fratre, vel forore relictam ; nam tunc pater non habet usumfructum ex portione filii. 4. Si filiofamilias usufructus nudus a quocunque donatus est, quia super usumfructum non potest constitui alius usufructus, qui in patrem redundet. 5. Si filio detur aliquid ea lege, ut usufructus ad ipsum & non ad patrem spectet.

Peculium profectitium est, quod neque castren- 293
se, neque quasi - castrense est, & ex bonis paternis proficiscitur, ut si pater det filio pecuniam ad negotiandum, vel saltem immediate, & principaliter donatur intuitu patris e. g. propter amicitiam, quam donans habet cum patre filii donatarii. Hæc bona juxta leg. cum oportet, cit. & §. 2 instit. per quas personas cuique acquiratur, tam quoad dominium directum, quam utile ad patremfamilias spectant, & conferri debent cum hæredibus in divisione hæreditatis; quamvis igitur filius nec proprietatem, nec usumfructum, nec facultatem disponendi circa bona profectitia habeat, revocantur nihilominus ad peculium filii, quia in ea habet saltem jus quasi inchoatum per privilegium, vi cujus, si bona patris publicentur, profectitia separari, & filiofamilias relinqui debent; sicut vicissim, cum hæc bona non sint sub dominio filii, non possunt ob crimen ipsius addici fisco.

Colliges 1. Si pater invito filio aliquid accipit 294
ex bonis castrensibus, vel quasi - castrensibus, peccat contra justitiam, & obligatur ad restitutionem. Idemque cum proportione dicendum de bonis adventitiis ; potest tamen pater etiam ex bonis castrensibus alere filium, quia non tenetur id facere ex bonis propriis, si filius ipse habeat, unde vivat, & sustentetur. 2. Vicissim contra justitiam peccat filius, si aliquid usurpet sive ex bonis patri propriis, sive ex profectitiis, aut adventitiis. Notant tamen

Auctores, in rebus levibus, præsertim esculentis, & poculentis non admodum pretiosis, patrem non censendum esse invitum quoad substantiam, sed tantum quoad modum, nisi inde oriatur magnum damnum familiæ, vel ejusmodi res in magna quantitate impendantur in usus inhonestos. Quanta autem summa requiratur, ut furtum filii sit grave, difficulter determinatur: Lessius ait, duos vel tres aureos non sufficere respectu parentis prædivitis, attamen sufficere respectu parentis mechanici. Tamburinus putat, non fore mortale, si filius intra annum non furetur ultra duos florenos. Layman filio in studiis versanti, cui pater annuatim mittit 100 aureos, quinque permittit ad honestam recreationem. Denique an filius teneatur parenti ablata restituere, desumendum est tum ex divitiis, & liberalitate, vel tenacitate patris, tum ex illius affectu ad filium, & damno fratribus illato. Quod si pater, & fratres ejusmodi furta resciant, nec satisfactionem petant, potest censeri, quod illam remittant.

295 Quæres, an filius sibi retinere possit lucrum ex bonis paternis acquisitum. Resp. 1. Si filius aliquid lucretur per obsequia ordinaria, quæ ex ipsa pietate tenetur parentibus exhibere, & ab aliis ejusdem conditionis præstari solent, nihil de lucro sibi potest retinere, quia tale lucrum ad summum erit profectitium, quod pleno jure ad patrem pertinet. 2. Si autem filius aliquid lucretur operibus extraordinariis, & aliunde non debitis cum intentione sibi acquirendi, lucrum reputandum erit inter bona adventitia, quorum dominium directum competit filio; quia tamen horum bonorum usumfructum, & administrationem pater habet, etiam tale lucrum filius juxta dicta sibi non potest absolute retinere, sed tantum suo tempore pro eo petere compensationem. 3. Docent quidem Navarr. Less. Busenb. filio in domo paterna laboranti universim deberi salarium;

larium; sed merito contradicunt Molin. Laym. Lug. tum quia ipsa naturalis æquitas, & gratitudo exigit, ut e. g. filius agricola juvet patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura &c. Neque ideo filius est deterioris conditionis, quam famulus; succedit enim suo tempore patri in bonis, & ab illo accipit victum, & vestitum, quem filio potenti laborare non teneretur subministrare. Addit tamen Lay. sententiam oppositam esse probabilem, & servire posse confessario, ut cum ejusmodi filio mitius agat, eum non facile obligando ad restitutionem, nisi ultra æstimationem laboris sui surripuerit.

DISPUTATIO II.

De Dominio Clericorum & Religiosorum.

PRo diversitate temporum diversa fuit in Ecclesia bonorum divisio, & administratio. Nam I 296
initio nascentis Ecclesiæ bona omnia erant communia inter laicos, & clericos, & ex communi massa singulis tribuebatur, quantum exigebat præsens necessitas, ut patet ex Actis Apostolorum cap. 5 & can. dilectissimis fratribus 2 caus. 12 q. 1. II. Numero fidelium postmodum ita aucto, ut necessaria singulis commode ministrari non possent, laicis bona propria permissa sunt, vita communi remanente penes solos clericos, qui ex eleemosynis, & oblationibus fidelium in unam massam collectis sustentabantur. III. Verum cum etiam clericorum numerus in dies magis cresceret, nec omnes paupertatem vovere vellent, etiam illis concessum est, ut bona patrimonialia tanquam propria retinerent, ea tamen lege, ut qui ex ejusmodi bonis sustentari possent, nihil porro ex massa communi acciperent, ut habetur can. certe ego 18 & can. illi autem 25

cauf. 12 q. 1 & can. Quoniam quidquid 68 cauf. 16 q. 1. tenuitque hæc confuetudo vivendi usque ad tempora Simplicii Papæ, qui Ecclefiam rexit ab anno 467 ad annum 483.

297 Idem Pontifex circa annum Chrifti 470 proventus annuos tum ex bonis immobilibus, ad Ecclefiam fpectantibus, tum ex eleemofynis, & oblationibus fidelium provenientes divifit in quatuor portiones, quarum prima cederet epifcopo, fecunda clericis, tertia fabricæ ecclefiæ, quarta pauperibus, ut habetur caufa 12 q. 2, variis canonibus, præfertim 26, 27 &c. Quamquam divifio hæc non fuerit univerfalis, fed pro locorum, & temporum diverfitate quandoque aliter inftituta: ut colligitur ex can. fancimus 31 cauf. 12 q. 2, ubi etiam advenis fpecialis pars affignatur, & can. conftitutum 60 cauf. 16 q. 1, ubi epifcopo tribuitur pars tertia. Munus autem communem maffam adminiftrandi, eamque præfcripto modo diftribuendi incumbebat epifcopis, donec tandem ob varia incommoda, quæ in portione clericorum, pro ratione laboris, meritorum &c. diftribuenda, fe offerebant, paulatim tituli beneficiales erigi cœperunt, vi quorum ex bonis ecclefiæ certis officiis e. g. Decani, Archidiaconi, Parochi, certi reditus funt affignati, & jus illos percipiendi & adminiftrandi commiffum ipfis clericis, qui tali munere, & officio fungebantur, quod ipfum jus recepto jam nomine beneficium ecclefiafticum, fructus vero huic juri refpondentes bona beneficialia vocantur.

298 Quo tempore erigi cœperint beneficia ecclefiaftica, non fatis conftat. Aliqui illorum initium referunt ad annum Chrifti 813; quia prima illorum mentio facta eft a Concilio Moguntino, quod illo anno celebratum eft, & refertur cap. 1 de ecclefiis ædificand. vel reparand. Quamquam hæc ratio non probet, quædam non jam prius erecta fuiffe, id

fatis

ſatis certum, quod diviſio bonorum non ſtatim tempore Simplicii Papæ ubique executioni data fuerit, ut patet ex Concilio Remenſi celebrato ſub Leone tertio, qui præfuit Eccleſiæ ab anno 847; imo aliqui putant adhuc ſæculo 11 & 12 multa ejusmodi bona indiviſa extitiſſe. Pariter incertum eſt, quo ſucceſſu temporis devenerit portio pauperibus aſſignata; multi exiſtimant, illam impenſam fuiſſe ad erigenda gymnaſia, ſeminaria, hoſpitalia, ad redimendos captivos e ſervitute barbarorum, ad bella ſacra &c. Certe omnino veriſimile eſt, quod non modica pars vel mala fide adminiſtrantium, vel injuria temporum, ac bellorum, aliisque ſiniſtris caſibus, aut omnino perierit, aut ad laicos devoluta fuerit. Neque ex eo, quod clerici habeant ſuperflua, inferri poteſt, portionem pauperum ad illos deveniſſe, tum quia per ſedulam adminiſtrationem aucta ſunt bona eccleſiaſtica ſtabilia, & paſſim facta novalia, ex quibus novæ decimæ proveniunt, tum quia in nonnullis locis reditus ſtolæ non ſunt contemnendi, ac plurima beneficia, eaque ſatis pinguia de novo aucta, vel erecta ſunt ex munificentia fidelium.

Jam poſt erecta beneficia quatuor ſunt bonorum genera, quorum dominium, vel adminiſtratio competere poteſt clericis. 299 1. Bona patrimonialia, quæ clericis obveniunt ex cauſa mere profana ſine reſpectu ad beneficium, vel miniſterium eccleſiaſticum, uti ſunt bona, quæ acquiruntur ex hæreditate, donatione, arte, induſtria, contractu &c. 2. Quaſi patrimonialia, quæ clericis obveniunt, non tanquam fructus beneficii, ſed a fidelibus offeruntur tanquam ſtipendium intuitu alicujus miniſterii eccleſiaſtici e. g. ratione concionis, Miſſæ, adminiſtrationis Sacramentorum, funeralium &c. aliique reditus ſtolæ, ut vocant, inter quos etiam ſunt oblationes ad aram. 3. Beneficialia, quæ clerici titulo beneficii eccleſiaſtici percipiunt, qualia ſunt deci-

decimæ, reditus annui, & fixi, provenientes ex fructibus agrorum, & aliis bonis illius ecclesiæ, cui deserviunt. 4. Ecclesiastica stricte dicta quæ directe deputata sunt pro ecclesiis, hospitalibus, aliisque locis piis, sive dein sint immobilia, ut fundi beneficiales, ædes sacræ &c. sive mobilia, ut pecuniæ, vasa sacra, paramenta &c.

300 Bona beneficialia ulterius dividuntur in necessaria, quæ nempe ad decentem & congruam clerici sustentationem requiruntur, & superflua, quæ dictam partem necessariam excedunt. Per congruam sustentationem intelligitur, quidquid requiritur ad decenter sustentandam personam clerici, & ejus familiam, ad exhibendam hospitalitatem consanguineis, & aliis peregre advenientibus, ad competentes eleemosynas, moderata convivia, aliasque decentes recreationes, ad donationes moderatas tam liberales, quam remuneratorias, ad servanda sarta tecta, ad casus futuros, & necessitates probabiliter prævisas, neque nimis remotas e. g. sterilitatis, senii, ægritudinis &c. Horum tamen omnium quantitas non est respectu singulorum æqualis, sed æstimanda judicio prudentum, & proborum, attenta dignitate, meritis, & laboribus clerici; nam cæteris paribus plus conceditur episcopo, quam canonico, plus parocho, quam sacellano, plus nobili, quam plebejo, plus doctori theologiæ, vel jurium, quam philosophiæ magistro; ut colligitur ex cap. 28 de præbendis, & can. de reditibus 28 caus. 12 q. 2. In quem sensum etiam Apostolus 1 ad Tim. 5 v. 17 ait: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina.*

301 Cæterum sicut pretium mercium triplex esse solet, scilicet summum, medium, & infimum, ita congrua sustentatio eosdem habet gradus: si quis ergo contentus esse velit gradu infimo sustentatio-

nis

nis congruæ, cum tamen sibi usurpare posset summum, ea, quæ hac ratione reservat, vocantur bona parsimonialia, & ad bona quasi patrimonialia pertinent. 2. Pariter ad quasi patrimonialia juxta communiorem revocantur præsentiæ, seu distributiones quotidianæ pro præsentia in choro, quia proprie non sunt fructus beneficii, sed portio aliqua ex bonis ecclesiasticis jam extracta, quæ specialiter datur tanquam stipendium laboris, ferme sicut cantoribus, & aliis laicis in choro occupatis. 3. Idem juxta Vasquez, Azor, Lug. Wiest. &c. dicendum de pensionibus etiam spiritualibus; negant enim illas proprie esse beneficium, unde neque fructus pensionarii proprie erunt beneficiales, sed portio quædam extracta, & per hoc ipsum, quod detur pensionario ob aliquam causam piam, jam sufficienter applicata cultui divino. 4. Imo juxta Lug. & Haunold. ad quasi-patrimonialia etiam pertinent fructus percepti ex capellania, per quam intelligitur onus per mensem, aut hebdomadem celebrandi unam vel plures Missas in certa ecclesia, vel altari. Verum licet capellania non perpetua, & amovibilis ex hoc ipso defectu perpetuitatis non sit stricte beneficium, esto, quod auctoritate ecclesiastica sit erecta: solent tamen vere, ac proprie inter beneficia ecclesiastica numerari capellaniæ perpetuæ, & inamovibiles, siquidem auctoritate ecclesiastica erectæ sint.

QUÆSTIO I.

An Ecclesiæ & personis Ecclesiasticis liceat habere aliquid proprium, & dominium rerum temporalium?

PAuperes de Lugduno, qui & Waldenses a Waldone quodam cive Lugdunensi nuncupati sunt, 302
circa

circa annum 1160 contenderunt, sacerdotes pauperes esse debere, & sola contentos eleemosyna, Ecclesiam vero Romanam sub Silvestro defecisse, cum venenum possessionem temporalium in illam infusum est. Hunc errorem postea anno 1375 adoptavit Wiclefus, asserens, esse contra Scripturam, quod viri ecclesiastici habeant possessiones, & ditare clerum esse contra regulam Christi; hinc non solum Papam cum omnibus clericis possessionem habentibus, sed etiam laicos illis consentientes esse hæreticos, Augustinum vero, Benedictum, & Bernardum damnatos esse, nisi pœnituerint, quod possessiones habuerint. Wicleffo subscripserunt Calvinus, Luther, Petrus Martyr, Brentius &c. dicentes, esse contra jus divinum, uni homini gladium spiritualem, & temporalem simul committi. Imo Magdeburgenses Centur. 1 l. 2 ponunt inter notas Antichristi, quod Pontifex duos gladios gerat, undecunque demum illos acceperit.

303 Dicendum 1. Ecclesia, & viri ecclesiastici licite possunt habere aliquid proprium; nam 1 Sacerdotes & Levitæ veteris testamenti ipsius DEI jussu ex aliis tribubus acceperunt 48 urbes ad habitandum, cum suburbanis ad alenda pecora per circuitum mille passuum, ut habetur Josue 21 v. 3. Accipiebant insuper decimas omnium frugum, & pecudum atque oblationes populi. 2. Ecclesia tam Orientalis, quam Occidentalis a tempore Apostolorum habuit sua bona, primo quidem ex oblationibus, & collectis, deinde etiam ex agris, & prædiis, quibus illam donarunt fideles, ut testatur Urbanus I in epistola ad omnes episcopos, & cum S. Ambrosio, Chrysost. August. &c. Patres passim. Concilia quoque omnium nationum prohibuerunt alienationem bonorum Ecclesiæ, & Pius I in epist. 2 scripsit, sacrilegum esse, qui Ecclesiæ prædia, & donaria eripit. Constantinus vero Magnus teste Euseb.

Euſeb. lib. 2 de vita Conſtant. cap. 39 lege imperiali ſanxit, ut bona quæcunque eccleſiis erepta illis reſtituantur. 3. Eccleſia, & perſonæ eccleſiaſticæ neque ſunt incapaces dominii ex præcepto divino, cum nullum poſſit oſtendi, neque ex voto illorum ſtatui annexo, cum ſe de facto in ſuſceptione ordinum non obligent ad hoc, ut ſine proprio vivant. Certe ipſe Apoſtolus 1 ad Timoth. 3 v. 2. exigit ab epiſcopo hoſpitalitatem, & ut domum ſuam bene regat; quomodo autem hoc facere poſſet, ſi nec epiſcopus, nec eccleſia aliquid proprium poſſideret?

Dicendum 2. Pontifex, & Eccleſia licite poſſunt 304
habere & exercere dominium temporale in provincias, & urbes ſibi ſubditas; nam 1. nulla lege prohibetur, ne Pontifici, aut Eccleſiæ bona temporalia donentur, neque Eccleſia ſe, aut miniſtros ſuos ullo voto obſtrinxit, ne talia bona acceptarent, aut juſte uſurparent. Imo imperatores, & principes, qui bona temporalia, & principatus Pontifici Romano, & aliis epiſcopis donarunt, uti Conſtantinus, Carolus Magnus, Ludov. Pius &c. ab omnibus tanquam pii commendantur; qui vero ejusmodi dominia illis eripere conati ſunt, tanquam injuſti reprehenduntur. 2. Tam in lege naturali, quam ſcripta inveniuntur ſancti, qui ſimul fuere principes ſpirituales, & temporales. In lege enim naturæ Melchiſedech fuit rex, & Pontifex; imo teſte S. Hieronymo ſemper primogenitus utrumque principatum habuit: in lege ſcripta Moſes, Heli, Machabæi, præter jurisdictionem ſpiritualem, & ſacerdotium etiam temporalem exercuerunt. 3. Poteſtas tam eccleſiaſtica, quam politica eſt a Deo, & una ſubſervit alteri, adeoque nullo modo ſibi repugnant, quo minus in eadem perſona eſſe poſſint. Certe pax, & bellum magis ſibi opponuntur, quam bona temporalia, & ſpiritualia, & tamen idem rex præeſt ſenatui, & exercitui; imo unus rex ſæpe

pe gubernat regna diverſiſſima, habentia diverſos ritus, mores, & conſuetudines, & jam in antiqua Eccleſia Patriarchæ ſub ſe habuerunt plurimos epiſcopos.

Objectiones.

305 Obj. 1. Sacerdotes, & Levitæ in antiquo teſtamento nullas potuerunt habere poſſeſſiones; ſed his correſpondent Eccleſiaſtici in teſtamento novo: ergo. Maj. prob. Joſue 13 v. 33 dicitur: *Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia & victimæ Domini DEI Iſrael, ipſa eſt ejus hæreditas.* Deut. 10 v. 9: *Quam ob rem non habuit Levi partem, nec poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt.* Num. 18 v. 24: *Filii Levi nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparavi.* Conf. Solus Deus fuit hæreditas, & poſſeſſio tribus Levi: ergo Levitæ nihil aliud potuerunt habere proprium. Reſp. neg. maj. Senſus textuum objectorum eſt, quod in terra promiſſionis Deus tribui Levi non dederit partem ab aliis tribubus ſeparatam; cum enim Jacob filium Levi propter peccatum ipſius exhæredaſſet, noluit Deus, ut ejus poſteri more aliorum ex paterna hæreditate quidquam participarent, providit tamen ipſis alio modo, nempe illos eligendo in Sacerdotes, & Levitas, & donando partem decimam omnium fructuum, certasque civitates, quas Deus ſibi tanquam proprio Judæorum regi reſervaverat. Ut vero Sacerdotes & Levitæ ſingulis tribubus communicare, & Legem DEI ac judicia tradere poſſent, oportuit has civitates per omnes tribus eſſe diviſas. Ad conf. tranſ. ant. diſt. conſ. Nihil potuerunt habere proprium jure hæreditatis paternæ, conc. conſ. ex donatione DEI, propria induſtria, emptione &c. neg. conſ.

Dices.

Dices. Sacerdotes, & Levitæ non habuerunt 306
dominium urbium sibi concessarum, sed tantum usum; sic sacerdotibus data est urbs Hebron, & tamen dominus ejus erat Chaleb de tribu Juda. Conf. Numer. 18. 24 expresse dicitur, quod ipsæ decimæ filiis Levi tantum fuerint concessæ in usus eorum, & necessaria: ergo. Resp. neg. ant. nam Levit. 25 v. 33 civitates, & suburbana dicuntur esse possessiones sacerdotum, qui sicut alii, domos vendere, & redimere possint; ad Chaleb vero pertinebant soli agri, & vineæ, quæ extra urbem, & urbana erant in territorio Hebron, ut habetur Josue 21. Ad conf. neg. ant. nam licet loco objecto dicatur, quod decimæ Levitis in usum, & necessaria concessæ fuerint, nullibi prohibetur, ne sibi simul de aliis bonis providerent; imo potius constat contrarium: sic Salomon Abjathar sacerdoti dixit: *Vade ad agrum tuum*, 3 Reg. 2 v. 26. Jeremias erat sacerdos, & tamen ipsemet cap. 32 v. 9. scribit, se emisse, & possedisse agrum patruelis sui. Actor. quoque 4 legitur, Barnabam vendidisse agrum, quem habebat, licet fuerit Levita.

Obj. 2. Christus in novo testamento clericis pro- 307
hibuit possessionem rerum temporalium; nam Matth. 10 v. 9 ad Apostolos dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas.* Ibidem v. 24 addidit: *Non est discipulus supra magistrum*, & jam Matth. 6 v. ult. præmonuit: *Nolite soliciti esse in crastinum.* Resp. neg. ant. Primus textus juxta S. Aug. loquitur in sensu tantum permissivo, vel suasivo, juxta S. Chrysostomum de tempore, quo Apostoli ante passionem Christi ad prædicandum Judæis missi sunt; tunc enim Christus, ut illos excitaret ad confidentiam de virtute sua, noluit, ut secum aliquid ferrent, præsertim cum neque pauperum, neque ecclesiarum curam tunc haberent: at ubi cœperunt Apostoli Evan-

gelium prædicare gentibus, & curam ecclesiarum, ac pauperum habere, non timuerunt recipere bona temporalia, ut patet Act. 4. 5 & 6, item 2 ad Cor. 8. Textus secundus agit de tribulationibus, a quibus non fuerunt immunes Apostoli, cum eorum Dominus, & magister multa passus sit. Textus tertius est ad omnes Christianos, & solum vult, ne nimiam de crastino solicitudinem habeamus, & Deum curæ terrenorum postponamus, unde præmittitur: *Quærite ergo primum regnum DEI, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* Sane Christus, satiatis quinque millibus hominum, jussit colligi fragmenta, Joan. 6; ad quid autem colligi jussisset, si nihil servandum esset in crastinum?

308 Dices. In susceptione tonsuræ ordinandus protestatur his verbis: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* In quæ S. Hieron. epistol. ad Nepotian. ait: *Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: quod si quidquam aliud habuerit præter Dominum, Dominus non erit pars ejus.* Conf. Licet Christus Luc. 10 v. 7 dicat, quod operarius sit dignus mercede sua, solum vult, quod clerici ob spiritualia officia possint recipere necessaria esculenta, & poculenta: nam omnia antiqua exemplaria loco τῷ mercede habent cibo. Hinc etiam Apostolus 1 ad Cor. c. 9 v. 13 & 14 ait: *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, de sacrario edunt - - ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Resp. Istam protestationem ordinandorum neutiquam esse votum paupertatis, cum jam tempore S. Hieronymi, & Prosperi aliquibus permissum fuerit, ut bona patrimonialia possideant, ut patet ex capitulis cit. num. 300. Itaque verba allata solum indicant, quod tonsurandus se velit specialiter dicare Divino cultui, & spem suam non tam in bonis cadu-

caducis figere, quam in DEO, qui ipſum in cœlo abundanter ſit remuneraturus. Hinc Concilium Aquisgranenſe dictam proteſtationem ſolum interpretatur de paupertate in Spiritu. S. Hieronymus contra nimium bonorum terrenorum quæſtum loquitur concionatorie, & potiſſimum de illis, qui tunc adhuc emittebant votum paupertatis. Ad conf. Ex eo, quod Scriptura dicat, operarium eſſe dignum cibo, male infertur, quod præter cibum nihil poſſit acceptare, ſi ſponte, vel pro ſtipendio laboris offeratur, modo temporale non accipiat tanquam pretium æquivalens ſpirituali.

Obj. 3. Cura rerum temporalium ex una parte 309
hominem exponit multis periculis peccandi; nam ut Apoſtolus 1 Timoth. 6 v. 8 ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, contenti ſimus; qui enim volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia:* ex altera parte nimium diſtrahit a rebus Divinis; *Hinc nemo, militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus,* 2 Timoth. 2 v. 4: ergo. Conf. Clerici arcentur a ſtatu conjugali, quia nimis a Deo diſtrahit: ergo ob eandem rationem debent arceri a poſſeſſione divitiarum. Reſp. diſt. ant. quoad utrumque membrum. Si cura rerum temporalium ſit nimia, conc. ant. ſecus, neg. ant. Textus additi, ut circa poſteriorem expreſſe notat S. Chryſ. loquuntur in genere de omnibus fidelibus, inter quos utique etiam eſſe volunt miniſtri hæretici; cur ergo ſe divitiis non abdicant? Ad conf. Imprimis clericis conjugium non prohibetur jure divino, ſed tantum eccleſiaſtico. Dein qui cum uxore eſt, neceſſario debet uxori adhærere, liberorum educationi vacare, familiæ in poſterum providere, nec poteſt ſervare munditiem corporalem; Eccleſiaſticus vero bona poſſidere poteſt, quin illis inhæreat, aut cor in illis figat, ſed ut divitias habens, ſit quaſi non habens; quod ſi aliqui nimium rebus temporalibus inhient, nos ipſi hunc abuſum reprehendimus.

810 Dices. Christus Joann. 10 v. 8 expresse declarat, officium clerici non esse mercenarium, seu lucratorium: ergo saltem clerici ex ministeriis spiritualibus non possunt plus acquirere, quam ad eorum sustentationem necessarium est. Conf. In sacra Scriptura sæpe reprehenduntur clerici, qui lucrum sectantur; sic 1 Tim. 3 v 3 & 8 dicitur: *Oportet Episcopum non esse cupidum - - Diaconos similiter non turpe lucrum sectantes.* Hinc etiam Judas Apostolus in sua epistola v. 16 perstringit clericos *mirantes personas quæstus causa.* Resp. neg. suppositum, quod esse mercenarium, & lucratorium hic idem significet; mercenarius enim juxta S. Gregorium homil. 14 est, *qui locum quidem Pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet &c.* adeoque per officium mercenarium a Christo non intelligitur lucratorium quomodocunque, sed cum neglectu sui officii, & nimio affectu ad temporalia, illa præferendo curæ animarum. Ad conf. eadem est responsio; nam S. Paulus tantum vult, quod clerici non debeant esse nimium cupidi divitiarum, & turpiter sordidi, præsertim erga pauperes. S. Judas illos perstringit hæreticos, qui utilitatis gratia potentes, & divites perverse, ac adulatorie laudabant, sicut Simon Magus adulatus est Neroni, & Marcus hæreticus opulentis mulieribus; hinc, ut Cornelius a Lapide advertit, textus syriacus loco *mirantes* habet, *laudant personas.*

811 Obj. 4. Licet in lege naturali, & scripta gladius temporalis, & spiritualis non nunquam fuerint conjuncti, Christus illos separavit; nam Matth. 20 v. 25 dixit: *Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Luc. 12 v. 13 cuidam petenti: *Dic fratri meo, ut mecum dividat hæreditatem,* v. 14 respondit: *Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos.* Quod etiam Apostoli observarunt, dum Actor. 6 v. 2 dixerunt: *Non est æquum, nos derelinquere*

linquere verbum DEI, & ministrare mensis. Conf. Sacerdotium Moysis tantum fuit temporarium, & postquam certam formam gubernandi Deus præscripsit, illud cedere debuit Aaroni, sola gubernatione civili retenta. Resp. neg. ant. Ad primam probationem dico, Christum Apostolis tantum prohibuisse dominatum ambitiosum, & violentum, ut advertimus part. 1 Num. 194. Ad secundam his verbis Christus pastores, & principes tantum voluit instruere, ne minutis, aut vilibus negotiis se ita immisceant, ut omittere cogantur majora. Dein licet Christus personam principis temporalis non assumpserit, necdum sequitur, quod sacerdotibus hoc sit prohibitum. Ad 3 Apostoli Hierosolymæ ita omiserunt curam ministrandi mensis, ut tamen præsiderent etiam in temporalibus toti illi Ecclesiæ; nam soliciti pro fratribus ad Gal. 2 rogant Paulum, & Barnabam, ut colligerent aliquam eleemosynam, & ad se mitterent. Ad conf. S. Aug. q. 23 in Levit. expresse docet, Moysen & Aaronem eodem tempore fuisse Pontifices; & probatur ex eo, quod Moyses tanquam Pontifex deposuit Aaronem, & loco ejus consecravit Eleazarum Num. 12.

Dices 1. S. Bernardus lib. 2 de consider. ait: *Apostolis interdicitur dominatus: ergo tu tibi usurpare aude aut Dominus apostolatum, aut Apostolus dominatum.* 2. S. Greg. lib. 4 epist. 44 anathema dixit episcopo, qui jubet alicui agro more fiscali titulum imprimi. 3. Nicolaus primus in epist. ad Michaelem Imperatorem scripsit, Christum discrevisse potestatem temporalem, & ecclesiasticam. 4. Cum Valentinianus Imperator per legem, ad Damasum Pontificem missam, clericis, & monachis sub pœna confiscationis interdixit, nequid sibi sive donatione, sive testamento a devotis mulierculis acciperent, hæc lex a SS. Ambros. & Hieron. maxime fuit laudata. Resp. ad 1. S. Bernardus loquitur de 312

Pontifice, ut Pontifex eſt, & Paſtor Eccleſiæ; eatenus enim non debet ovibus temporaliter dominari, ſed ſpiritualiter eas paſcere. Ad 2. S. Gregorius agit de illo tempore, ubi Eccleſia nondum habuit ſummum principatum in temporalibus; hinc æquum erat agros Eccleſiæ ab aliis occupatos non ſtatim propria auctoritate, ſed legitimo judicio repetere. Ad 3. Nicolaus tantum ſcripſit, quod Chriſtus diſcreverit poteſtatem eccleſiaſticam ab imperatoria, & ſæculari reſpectu illarum provinciarum, quæ in temporalibus Pontifici non ſunt ſubjectæ; nam ipſe Nicolaus jam erat princeps politicus Romæ, Ravennæ &c. Ad 4. S. Ambroſ. & Hieron. hanc legem non laudant, quaſi cenſerent clericos, aut monachos nihil poſſe donatione, aut teſtamento acquirere, ſed quia lata erat ad frenandam illorum hypocriſim, & avaritiam, qui ſolebant mulieres ad ejusmodi donationes inducere, non ſine ſcandalo. Vide de hac lege Baron. ad annum Chriſti 370.

313 Quæres. An Chriſtus & Apoſtoli habuerint aliquid proprium, ſaltem in communi? In hac quæſtione quondam contraria ſenſiſſe viſi ſunt Nicolaus IV & Joannes XXII; Nicolaus enim cap. exiit, qui ſeminat 3 de V. S. in 6 Fratrum Minorum paupertatem commendavit his verbis: *Dicimus, quod abdicatio omnium rerum non tam in ſpeciali, quam in communi meritoria eſt, & ſancta, quam Chriſtus verbo docuit, & exemplo firmavit.* Joannes vero XXII cap. cum inter nonnullos 4 de V. S. inter extrav. tanquam erroneas & hæreticas damnavit has propoſitiones: *Chriſtus, & Apoſtoli in ſpeciali non habuerunt aliqua, nec in communi.* Item: *Chriſtus, & Apoſtoli in iis, quæ ipſos habuiſſe ſacra Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi, ſeu conſumendi, aut ea vendendi, ſeu donandi, vel ex ipſis alia acquirendi habuit.* Verum cum hanc Joannis conſtitutionem Michael Cæſenas, aliique Minoritæ acri-

acriter oppugnarent, Pontifex anno 1324 novam edidit conſtitutionem, quæ incipit: Quia quorundam mentes, & habetur cap. 5 inter extrav. de V.S. in qua priorem conſtitutionem confirmavit, & rurſus tanquam hæreticam damnavit hanc propoſitionem: *Chriſtus, & Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo uſum facti.* Ut itaque amborum Pontificum doctrinas combinemus,

Reſp. Chriſtum quandoque cum Apoſtolis ſaltem in communi habuiſſe aliquid proprium, quandoque vero nihil poſſediſſe; nam ut Joann. 8 & 13 habetur, Judas omnium nomine loculos habebat, quibus eorum victui neceſſaria emeret, & pauperibus eleemoſynam erogaret: ergo Chriſtus, & Apoſtoli tunc habuerunt aliquid proprium. Quando autem Matth. 10 v. 9 dixit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum &c.* abdicationem rerum etiam in communi docuit verbo, & quandoque etiam exemplo; ſiquidem Matth. 8 v. 20 de ſe ipſo ait: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Et Luc. 8 dicitur, quod ſequebantur eum mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, adeoque tunc Chriſtus cum Apoſtolis vivebat absque loculis ex piorum largitionibus. Nempe, ut ipſe Nicolaus conſtit. cit. ait, ſicut Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera, in ſuis actionibus viam perfectionis exercuit, ut illam extolleret, ſic, ut infirmorum imperfectioni condeſcenderet, etiam perſonam infirmorum in loculis ſuſcepit, non quaſi aliquid in communi poſſidere perfectioni Evangelicæ repugnaret, ſed ut indicaret imperfectionem humanæ naturæ, quæ multarum rerum ſubſidio ſuſtentanda eſt, & ne ſuo tempore ſcandalizentur infirmi, cum viderint ſervos DEI, ſeu Prælatos Eccleſiæ loculos habere, quemadmodum advertit S. Auguſtinus lib. 2 de ſerm. Domini in monte cap. 17. 314

QUÆSTIO II.

An clerici habeant dominium bonorum ecclesiasticorum, & beneficialium?

315 QUod clerici non sint domini, sed tantum administratores bonorum ecclesiasticorum stricte talium, per se patet, & statuitur pluribus capitulis caus. 12 q. 2: quia ejusmodi bona immediate deputata sunt pro ipsis locis piis. Unde inter auctores tantum litigatur, penes quem igitur sit eorum dominium. Antiqui cum Navarro asserebant, illud esse immediate penes Christum, quia hæc bona dicuntur res DEI, patrimonium Christi &c. sed modo communis sententia est, dominium particulare bonorum stricte ecclesiasticorum esse penes illam Ecclesiam, cui a fidelibus applicantur, ut etiam supponit Greg. IX cap. quorundam 1 de testamentis. Ideo autem bona Ecclesiæ dicuntur res DEI, & patrimonium Christi, quia a fidelibus dantur Ecclesiæ eo fine, ut impendantur ad cultum, & honorem DEI, ac Christi. Majoris momenti controversia est de bonis beneficialibus, præsertim superfluis.

316 Nam licet nunc Recentiores communiter doceant, beneficiatos non religiosos habere plenum dominium bonorum beneficialium, pro sententia tamen opposita plerique stant antiqui, quorum aliqui beneficiatis hoc dominium simpliciter negant, alii, ut Paludanus, Laym. Engl, Gormaz, Amort, Habert, contendunt, illud solum esse imperfectum &c. Imo Paulus Comitolus sententiam benignam vocat novam, & periculosam, primum post annum 1500 invectam, Navarrus vero non dubitat dicere sententiam rigidam esse omnium canonistarum, & ex fide certam. Verum hos auctores nimis liberaliter loqui certum est, cum benignam sententiam jam me-

medio sæculo 15to docuerint Joann. Gerson, & de Thurecremata: Covarruvias Navarro coævus palam pronunciavit, eandem esse communem, & totius orbis consuetudine juvari. Certe apud solum Barbosam pro ea citantur 55 Canonistæ, & 16 Theologi; favere etiam videtur S. Thomas 2. 2 q. 185 a. 7 docens, quod episcopus, vel alius clericus non peccet mortaliter contra justitiam, si superflua ex reditibus ipsorum usui post divisionem bonorum deputatis in causas profanas expendat. Unde Dominic Sotus, qui etiam tempore Navarri vixit, ait, hoc testimonium S. Thomæ, & alias rationes veritatem sententiæ benignæ ita sibi persuasisse, ut ab ea non possit aliter dimoveri, quam per definitionem Ecclesiæ, neque ex Schola S. Thomæ se ullum scire, qui expresse sit contrarius.

Dicendum 1. Clerici non religiosi habent ple- 317
num dominium bonorum beneficialium, etiam superfluorum. Probatur 1. Concilium Tridentinum sess. 23 cap. 1 de reform. statuit: *Quoscunque beneficium curatum obtinentes, si absque justa causa, & licentia legitimi superioris ab Ecclesia sua ultra tres menses abfuerint, pro rata temporis absentiæ fructus non facere suos.* Id ipsum sess. 24 cap. 12 extendit *ad omnes, qui in Cathedralibus Ecclesiis, aut Collegiatis insignibus obtinent canonicatus, præbendas, aut portiones, ita, ut prima vice priventur dimidia parte fructuum, etiam quos ratione præbendæ, ac residentiæ suos fecerunt, altera vice autem omnibus omnino fructibus, quos eodem anno lucrati sunt.* Jam sic: curati non residentes non faciunt fructus suos, & canonici non residentes etiam privantur fructibus, quos ratione præsentiæ suos fecerunt, & lucrati sunt: ergo a contrario curati, & canonici residentes fructus faciunt suos, eosque lucrantur, & quidem omnes tam necessarios, quam superfluos; nam sicut pœna privationis afficit fructus omnes, sic etiam immunitas a pœna ad omnes extenditur. Conf. Julius III in

constit. cum sicut anno 1550 ait : *Fructus occasione Ecclesiarum, monasteriorum, ac beneficiorum provenientes, postquam ad manus beneficiatorum pervenerint, & cum aliis ipsorum fructibus commixti sunt, non ulterius in ecclesiasticis, sed potius in ipsorum beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & quodammodo pro saecularibus, & profanis haberi consuevisse :* ergo sicut clerici habent plenum dominium bonorum propriorum, sic etiam fructuum beneficialium perceptorum.

318 Probatur conclusio 2 ratione. Ex una parte fructus, ac reditus beneficiales sine discrimine inter partem superfluam & necessariam conceduntur clericis tanquam stipendium, & retributio pro laboribus beneficio annexis ; nam ut cap. final. de rescript. in 6 dicitur : *Beneficium datur propter officium :* ex altera parte clerici non religiosi neque jure naturali, neque positivo incapaces sunt dominii bonorum beneficialium : ergo non minus fiunt illorum domini, quam laici mercedis, quam ratione officii sui ex bonis ecclesiasticis percipiunt, sive dein talis merces, aut salarium ex integro fuerit necessarium ad congruam sustentationem, sive ex parte superfluum. Conf. Si clerici non haberent plenum dominium bonorum beneficialium etiam superfluorum, tunc si ea expenderent in causas profanas, tam expendentes, quam accipientes tenerentur ad restitutionem ; quia dispositio esset de re aliena, adeoque Praelati Ecclesiae deberent reclamare, tales contractus, vel donationes irritas declarare, & aliquando urgere restitutionem ; non enim possent dissimulare hos abusus cedentes in gravissimum praejudicium pauperum, & causarum piarum : hoc autem est contra praxim, & communem persuasionem etiam proborum, & doctorum.

319 Dicendum 2. Clerici de jure communi, & secluso speciali privilegio nihilominus tenentur bona beneficialia superflua expendere in causas pias. Ita unanimis auctorum, ut adeo haec ipsa auctoritas cum communi

muni clericorum persuasione, & antiqua Ecclesiæ consuetudine conjuncta obligationem istam moraliter certam faciat. Præterea Tridentinum sess. 25 cap. 1 de reform. *Episcopis omnino interdixit, ne ex reditibus ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Canones Apostolorum prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent.* Paulo inferius addit: *Quæ vero de episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque, beneficia ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed etiam ad sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.* Denique testamenta clericorum circa bona beneficialia superflua ab Ecclesia non solum illicita, sed etiam invalida pronunciantur: quæ dispositio, nisi supponeret obligationem hæc bona expendendi in causas pias, esset imprudens, utpote præbens ansam clericis, ut superflua expenderent in causas profanas e.g. donando consanguineis, si quidem hoc licite facere possent. Dixi secluso speciali privilegio, quale clericis Romani districtus intra 10 milliaria ab urbe plures Pontifices, præsertim Paulus V & Jul. III in constit. cupientes, ut alma, anno 1540 concesserunt, ut videlicet libere de omnibus bonis beneficialibus per ultimam voluntatem disponere valeant, vel si absque testamento decesserint, eorum bona per successionem ab intestato ad ipsorum agnatos devolvantur.

Dicendum 3. Clerici tamen ad expendenda bona beneficialia superflua in causas pias non obligantur ex justitia. Ita cum Lug. Less. &c. auctores citati pro prima conclusione. Probatur. Ex una parte clerici vere sunt domini bonorum beneficialium etiam superfluorum: ex altera parte nulla ratione probatur, hoc dominium esse ligatum vinculo justitiæ: ergo tam gravis obligatio inducens onus restitutionis non debet adstrui. Ant. quoad 1 partem probavi supra; quoad 2 declaratur. Ex eo, quod fideles res suas obtulerint Ecclesiæ ad causas pias, 320

ad

ad summum probatur, ipsam Ecclesiam, vel potius administratores bonorum ecclesiasticorum fuisse obligatos ex justitia, ut res illas immediate ad causas pias applicent, quin eadem obligatio transferatur ad quoscunque alios, ad quos res illæ ex dispositione Ecclesiæ perveniunt; alias talem obligationem etiam haberent officiales laici, qui per modum stipendii aliquid ex istis bonis percipiunt; unde Ecclesia intentioni fidelium, & obligationi suæ jam satisfecit per divisionem bonorum ecclesiasticorum in quatuor portiones, & erectionem beneficiorum, quæ utique sunt causæ piæ. Quod si ipsa Ecclesia clericis voluisset obligationem justitiæ imponere, debuisset illis hanc suam mentem sufficienter manifestare; si enim sufficienter proponit obligationem superflua simpliciter expendendi in causas pias, cur non ita proponat obligationem justitiæ? quæ majoris esset momenti, eoquod illius neglectus ex defectu restitutionis cederet in maximum causarum piarum præjudicium.

Replicæ Adversariorum.

321 Ad allatas probationes replicant adversarii 1. Concilium Tridentinum clericis tantum tribuere dominium proprietatis, vel potius utile fructuum necessariorum, superfluorum vero solam administrationem; nam etiam administrator rei quandoque dicitur dominus, neque argumentum a contrario semper in moralibus procedit. Cum igitur hæc propositio: Beneficiati absentes non faciunt fructus suos, ex parte prædicati sit universalis, & faciat hunc sensum: Absentes neque fructus necessarios, neque superfluos faciunt suos. Non licet ex illa inferre propositionem universalem affirmativam, quod præsentes omnes fructus suos faciant. Contra est 1. Facere fructus suos, eosque lucrari juxta communissimam acceptionem terminorum tam apud Jurisperitos quam Theologos significat acquirere plenum, & verum dominium, & non tantum administrationem aut dominium

nium utile. Dominium vero plenum dicit plenam potestatem disponendi sine annexo onere justitiæ, de quo Tridentinum nec verbulo meminit. 2. Etsi nostra illatio non sequatur vi contradictionis & rigoris logici, bona tamen est vi subjectæ materiæ, & spectando mentem concilii tacite supponentis, vel declarantis, quod Beneficiati residentes omnes fructus suos faciant. Sane argumentum a contrario apud jurisperitos frequentissimi usus, & magni roboris esse solet.

Replicant 2. Concilium Tridentinum ad summum statuisse, quod clerici non faciant suos illos fructus, quos alias per residentiam suos fecissent: quinam vero illi sint, a Patribus non fuisse determinatum. Sic qui dicit: hæres non lucratur, neque sua facit bona defuncti, nisi adeat hæreditatem, ideo nondum determinat, quænam bona ad hæredem pertineant, nec vult dicere, quod adeundo hæreditatem etiam lucretur legata. Contra est 1. Tridentinum in decreto reformationis exposuit, & declaravit obligationes clericorum, & potissimum loquitur de illis bonis, quæ obligantur expendere in causas pias: ergo cum indefinite, & universaliter dicat, absentes pro rata absentiæ non facere fructus suos, non solum de necessariis, sed etiam superfluis debet intelligi. 2. Quando Tridentinum ait absentes non facere fructus suos, id statuit per modum pœnæ, ut patet ex illis verbis: *Etiam quos ratione præbendæ ac residentiæ suos fecerunt.* Jam vero mirum esset, si concilium canonicos solum vellet privare bonis necessariis, non autem superfluis: ergo quia illos etiam superfluis privat, tacite supponit, vel declarat, quod residentes etiam fructus superfluos suos fecerint. De hærede autem aliunde constat, quod adeundo hæreditatem non lucretur legata, quæ ex voluntate testatoris legatariis solvere tenetur. 322

Replicant 3. Concilium Tridentinum nihil voluisse statuere circa sententias inter auctores Catholicos controversas: ergo multo minus tacite quidquam sup- 323

ſuppoſuiſſe, aut declaraſſe de dominio bonorum beneficialium, quod beneficiatis tunc ab auctoribus communiſſime negabatur. Contra eſt 1. Quamvis Tridentinum circa controverſias Catholicorum nihil voluerit definire explicite, ſæpe tamen longe magis favet uni ſententiæ, quam alteri, & ex ipſo modo loquendi colligi poteſt, quod aliquid tacite ſupponat aut declaret; alias pro nulla ſententia inter Catholicos controverſa ex Concilio Tridentino poſſet peti argumentum, quod repugnat praxi omnium theologorum, & ipſorum adverſariorum. 2. Quod ſententia noſtra tempore Concilii Tridentini non amplius fuerit nova, conſtat ex dictis, & Pallavicinus in Hiſtor. Concil. Trident. teſtatur, Patres noſtram ſententiam vocaſſe valde communem, ideoque rejeciſſe decretum Archiepiſcopi Braccarenſis, quo voluit decerni, epiſcopos tantum eſſe dominos fructuum neceſſariorum, non autem ſuperfluorum. Ergo merito dicimus, Tridentinum ſententiam noſtram tacite ſuppoſuiſſe, aut declaraſſe, præſertim poſtquam illam jam ſatis aperte declaravit Julius III.

324 Replicant 4, Conſtitutionem Julii III ſolum pertinere ad clerum Neapolitanum: neque plus ſtatuere, quam quod bona beneficialia quodammodo pro ſæcularibus habeantur, ſi cum aliis ipſorum fructibus fuerint commixta. Contra eſt 1. Quamvis Julius ſuam conſtitutionem dederit ad ſolos Neapolitanos, loquitur tamen univerſaliter, & explicat materiam omnibus aliarum regionum beneficiatis communem: neque in hac conſtitutione clero Neapolitano vult concedere ſpeciale privilegium, nec aliunde apparet ſufficiens ratio, cur aliquid ſingulare pro illo decreviſſet. Hinc 2 dicit bona beneficialia pro ſæcularibus haberi quodammodo; quia non obſtante pleno dominio debent expendi in cauſas pias, non quaſi iſtud dominium beneficiati primum acquiſiviſſent per commixtionem; nam quod

com-

commixtio fit modus acquirendi dominium, non minus laicos, quam clericos afficit, & aliunde fcitur, ficut nemo tunc dubitavit, quin clerici faltem fint adminiftratores bonorum beneficialium tam neceffariorum, quam fuperfluorum.

Replicant 5, Ecclefiam reftitutionem bonorum 325 beneficialium, in caufas profanas forte expenforum, non urgere. 1. Quia fupponit expenfas in ufus profanos non fieri ex bonis beneficialibus fuperfluis, fed ex patrimonialibus, vel quafi patrimonialibus. 2. Quia corrupto hoc fæculo effet exigua fpes obtinendi reftitutionem. 3. Quia prælati ecclefiæ agnofcunt fententiam benignam effe vere, ac theologice probabilem. Contra eft 1. Quod faltem in genere conftet non raro ejusmodi difpofitiones fieri ex bonis beneficialibus: ergo ecclefia faltem deberet in genere declarare ejusmodi bona reftitutioni effe obnoxia: imo quandoque etiam in cafu particulari fatis apertum eft, neque bona patrimonialia, neque quafi talia clerico fufficere ad fplendorem, donationes, aliasque difpofitiones, quas facit. 2. Quod plerique clerici, qui graviter peccarunt expendendo beneficialia in caufas profanas, ob neglectam reftitutionem in continuo ftatu peccati gravis vivere vellent, neque imperium ecclefiæ reftitutionem urgentis curarent, videtur fine injuria dici non poffe, & quamvis modica fpes effet, nihilominus ecclefia tantis injuftitiis fe deberet opponere, præfertim cum non videatur effe periculum, ne inde graviora mala fequerentur. 3. Si adverfarii noftram fententiam aliquando agnofcant ut vere probabilem, illorum rigor in praxi parum proderit, imo ipfimet noftram fententiam forte fibi facile perfuadebunt probabiliorem, fi propria ipforum caufa agatur. Dein fi fententia rigida fit probabilior, cur Ecclefia DEI & pauperum curam non fufcipit, ac quod ex juftitia illis debetur, adjudicat?

Obje-

Objectiones.

326 Obj. 1. Concilium Antiochenum II anno 363 relatum can. Episcopus 23 cauſ. 12 q. 1 decernis, episcopum tantum habere poteſtatem res eccleſiaſticas egenis diſpenſandi, ſibi autem tantum poſſe applicare neceſſaria. Concilium Rhemenſe anno 813 cap. Inquirendum 14 de pecul. cleric. vocat presbyteros fures, ſi de reditibus eccleſiæ, vel oblationibus fidelium aliquid auferant. Concilium Pariſienſe VI anno 829 cap. 15 ait: res eccleſiæ non ut proprias, ſed ut divinas tractandas eſſe. Similia habent can. placuit, 1. cauſ. 12 q. 3 ex Concilio Cartaginenſi tertio anno 398, can. Pontifices 3 cauſa 12 q. cit. ex Concilio Agathenſi anno 506, can. res eccleſiæ 26 cauſ. cit. q. 1, quod eſt ab Urbano I, & can. qui Chriſti 2 cauſa eadem q. 2, quod eſt a Stephano. Reſp. Hos aliosque canones ac Concilia, quæ contra noſtram ſententiam objici ſolent, loqui de illis temporibus, quibus diviſio bonorum in 4 partes vel a Simplicio nondum facta, vel ſaltem nondum executioni tradita fuit, neque tituli beneficiales erecti. Sic Concilium Antiochenum, & Cartaginenſe jam fuit ante Simplicium Pontificem. Agathenſe & Rhemenſe agunt de reditibus & oblationibus nondum diſtributis. Pariſienſe de bonis ſtricte eccleſiaſticis, imo hoc ſolum ait, res eccleſiæ non debere tractari ut proprias, utpote quæ pro libitu poſſunt applicari ad cauſas profanas. Urbanus primus, & Stephanus vixerunt ante Simplicium.

327 Dices 1. SS. Patres clericis paſſim negant dominium redituum beneficialium. Sic S. Hieronymus can. quoniam 68 cauſ. 16 q. 1 ait: *quidquid habent clerici pauperum eſt.* S. Aug. can. final. cauſ. 12 q. 1, *Si privatum poſſidemus non illa noſtra ſunt, ſed pauperum.* Conſonat S. Proſper can. paſtor 7. cauſ. 1 q. 2 & lib. 2 cap. 9 de vita contemplativa, item S. Baſil.

S. Basil. Ambros. Gregor. Nazian. Tertull. Conf. Juxta relationem gravium historicorum Petro Diaz episcopo Civitatensi, postquam per intercessionem S. Francisci Seraphici fuit revocatus ad vitam, Christus injunxit restitutionem bonorum, quæ in consanguineos male expenderat. Resp. Omnes allatos Patres rursus scripsisse ante Simplicium & necdum facta divisione bonorum. Cum igitur clerici illo tempore maximam saltem partem adhuc in communi viverent, quin & voto paupertatis obstricti essent, mirum non est, Patres istos ita protestari, quod nihil proprium possideant. Adde, quod eodem ferme modo loquantur de bonis superfluis laicorum; dicunt enim, *illa esse aliena, pertinere ad pauperes, esse panem esurientium.* Ad conf. Historiæ plerumque non pertinent ad locos theologicos, præsertim, si historici in facto principali non conveniunt, ut sit in præsenti; nam Franciscus Gonzaga de origine Seraphicæ religionis part. 3 refert, consanguineos mortem Petri per triduum occultasse, ut interim bona defuncti inter se partirentur, quæ tamen ipse a morte resuscitatus repetierit, & in pauperes distribuerit, peccata vero, ob quæ damnandus fuisset Petrus, carnalia fuisse.

Dices 2. Etiam Patres, qui longe post Simplicium 328
scripserunt, negant clericis dominium; nam 1 S. Thomas Villanovanus ait: *Cum audio aliquem clericum beneficiarium in morte apud se habuisse nummos, sic dolore afficior, ac si diceretur illum mortuum fuisse juxta concubinam.* 2. S. Bernard. in epist. ad Fulconem canonicum Lugdunensem: *Quidquid præter simplicem victum & vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est.* Eadem fere repetit epist. 42 & serm. 23 in Cant. S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolanensi tit. 63 asserit, clericos, qui reditus ecclesiasticos in causas profanas expendunt, teneri ad restitutionem, uti etiam illi, qui tales redi-

tus acceperunt. 4. Eandem obligationem afferunt Raymund. de Pennafort, S. Antonin. Bonavent. &c. Reſp. ad 1. Si verba S. Thomæ ſtricte accipienda eſſent, clerici ne quidem haberent dominium patrimonialium. Unde ex illo tantum probatur, quod beneficiatus beneficialia ſuperflua non expendens in cauſas pias graviter peccet, ſi tali modo in cauſa ſit, ut hæc bona poſt mortem ad cauſas profanas deveniant. Ad 2. S. Bernardus utitur quadam exaggeratione concionatoria, ut vel ſolum verbum *Rapina* oſtendit. Ad 3. S. Carolus Borrom. expreſſe diſtinguit bona ſtricte eccleſiaſtica a beneficialibus, & ſolum de prioribus dicit, quod ſint reſtitutioni obnoxia. Ad 4. S. Raym. Anton. & Bonav. non tam Patres ſunt quam doctores ſcholaſtici, a quibus ſæpius receditur. Certe niſi de bonis adhuc indiviſis vel ſtricte eccleſiaſticis intelligi poſſint, eorum rationes nihil evincunt.

329 Dices 3. Ipſe Simplicius can. de reditibus eccleſiæ 28 cauſ. 12 q. 2 poſt factam diviſionem obligavit Gaudentium epiſcopum ad reſtitutionem. 2. Juſtinianus authent. ut determinatus ſit numerus clericorum, cap. 3 clericos obligat, ut de ſua ſubſtantia indemnitatem eccleſiæ præſtent, ſi non omnia ad cauſas pias referant. 3. Clerici de jure communi ex beneficialibus nequidem valide ad cauſas pias poſſunt teſtari, ut conſtat ex cap. 1, 7, 8 & 9 de teſtamentis. Reſp. ad 1. Gaudentium ſibi etiam reſervaſſe duas portiones clericis & pauperibus aſſignatas, quod utique erat iniquum. Ad 2. Juſtinianus loquitur partim de bonis eccleſiaſticis ſtricte dictis, partim de novis oblationibus, quæ necdum erant diviſæ, ut colligitur ex ipſa authentica. Ad 3. diſt. clerici non poſſunt de his bonis teſtari ex defectu dominii, neg. quia aliunde nempe per legem eccleſiaſticam redduntur ad teſtandum inhabiles, ut magis avertantur a ſtudio coacervandi opes, magisque

que incitentur ad bona ejusmodi in vivis eroganda in cauſas pias, conc. Etiam impuberes non poſſunt teſtari de bonis ſuis, & tamen habent illorum dominium.

Dices 4. Saltem bona immobilia, quæ clerici ex reditibus eccleſiaſticis coemerunt, pertinent ad Eccleſiam, ut colligitur ex titulo de peculio clericorum: ergo etiam bona mobilia ad Eccleſiam pertinent. Conf. cap. ratio nulla 3 de præbend. & dignit. expreſſe dicitur: ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum eſſe cognoſcitur, propriis cujuspiam uſibus applicetur. Reſp. omitt. ant. neg. conſ. Si verum eſſet antecedens, tunc præciſe ideo, quia Eccleſia circa bona immobilia id ſpecialiter ſtatuiſſet. Interim ipſum antecedens ex titulo de peculio clericorum non ſatis probatur, quia ibi ſolum videtur eſſe ſermo de fundis & aliis bonis immobilibus, quæ ex bonis ſtricte eccleſiaſticis coempta ſunt, ut patebit legenti rubricas capitulorum. Ad conf. eadem eſt reſponſio; Rubrica citati capituli 3 ita habet: *Bona eccleſiarum communia ſunt, nec debet quisquam tanquam propria vindicare.* 330

Obj. 2. Bona beneficialia ſuperflua ſtricto jure 331
pertinent ad pauperes: ergo clerici non habent plenum & abſolutum illorum dominium. Ant. prob. fideles tam ante quam poſt diviſionem a Simplicio factam bona ſua obtulerunt Eccleſiæ eo fine, ut ſuperflua dentur pauperibus; hinc in formula oblationis veterum Francorum, inſerta Capitularibus Caroli Magni, dicitur: *Bona a fidelibus offerri pro remiſſione peccatorum, miſſarum ſolenniis, orationibus, clericorum, & pauperum alimoniis, & cæteris divinis cultibus ac eccleſiæ utilitatibus.* Conf. Concilium Triburienſe anno 895 expreſſe ait, decimas dari in ſuſtentationem pauperum. Reſp. diſt. ant. ſtricto jure & abſoluto, neg. ant. conditionato, tranſ. ant. & neg. conſ. quamvis fideles bona ſua eccleſiæ offerentes præter alios fines pios intende-

rint alimoniam pauperum, nulla tamen ratione probatur, quod primos administratores ex justitia voluerint obligare, ut bona superflua determinate dent pauperibus; alias a clericis neque in alios usus pios erogari possent, quod ipsi adversarii non volunt. Certe post tempora a Simplicio aliquantum remotiora innumera beneficia erecta sunt, non ex antiquis ecclesiæ bonis, sed ex nova liberalitate fidelium, & quidem unice in favorem cleri e. g. nobilium, canonicorum &c. ut in Germania testantur tot ac tam amplæ præbendæ ecclesiarum Cathedralium. Ad conf. dist. ant. Decimas dari in sustentationem pauperum, id est, eo fine, ut aliquid detur pauperibus vel in alias causas pias expendatur, conc. ant. sub modo & onere justitiæ, neg. ant.

332 Dices 1. Postquam Simplicius bona ecclesiastica divisit, episcopi cæterique administratores ex justitia fuerunt obligati, ut quartam portionem in pauperes erogarent: ergo ipse Pontifex pauperibus jus strictum ad istam portionem tribuit. Conf. Ex una parte certo constat, quod post Simplicium pauperibus aliqua portio fuerit debita; ex altera parte est incertum, utrum hæc portio non fuerit immixta bonis clericorum: ergo pauperes sunt in possessione, cui jus incertum clericornm non potest præjudicare; qui enim certus est se debitum contraxisse, & incertus, an solverit, tenetur adhuc satisfacere. Resp. trans. ant. dist. conf. tribuit jus strictum adversus administratores inferiores horum bonorum, trans. ant. adversus ecclesiam, subdist. jus absolutum, neg. ant. conditionatum, nisi videlicet Pontifex justis de causis illam portionem velit applicare aliis operibus piis, conc. conf. sicut Simplicius Papa potuit communia Ecclesiæ bona in quatuor partes dividere (per quod jam fuisset satisfactum juri pauperum, si quidem absolute aliquod habuissent) ita per hanc divisionem non fuerunt manus ligatæ

ligatæ posterioribus Pontificibus, quo minus valerent justas ob causas pro varietate temporum, & circumstantiarum de reditibus ecclesiasticis aliter disponere, & partem prius pauperibus assignatam impendere ad fundanda beneficia. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Si Titius perdiderit centum aureos, & postea nesciat, utrum sint immixti pecuniis Caji, vel alio modo perierint, non Titius, sed Cajus est in possessione suarum pecuniarum, donec Titius positive probet suas pecunias ad Cajum pervenisse. Jam vero portionem pauperum pervenisse ad clericos, eosque contraxisse debitum eam solvendi, adeo non probatur, ut contrarium multo sit verisimilius. Vide Num. 298.

Dices 2. Saltem Pontifex ex justitia fuit obli- 333
gatus, ut bona ecclesiæ adhuc communia non expendat in causas profanas: ergo de facto eandem obligationem adhuc habent clerici; cum utique non habeant majorem potestatem, quam Pontifex, neque onus justitiæ per divisionem abrogatum sit. Conf. Ipsa ecclesia reditus beneficiales clericis tantum dat sub modo & cum onere, ut superflua expendant in causas pias: ergo ad id tenentur ex justitia; si enim des Paulo Romam peregrinanti liberale viaticum cum hac obligatione, ut superflua det pauperibus, Paulus ex justitia debet illa pauperibus dare. Resp. transf. ant. neg. conf. Cum per erectionem beneficiorum reditus ecclesiastici vere fuerint applicati ad causas pias, adeoque intentioni fidelium, & obligationi prudentis administratoris satisfactum, hoc ipso cessavit onus justitiæ, neque in clericos translatum fuit, unde isti habent suo modo majorem seu liberiorem facultatem de suis reditibus disponendi, sicut adversarii dicere debent de officialibus laicis, qui ex bonis ecclesiasticis salaria sua accipiunt. Ad conf. dist. ant. Dat sub modo & onere præcepti, conc. ant. sub modo & onere justitiæ, neg. ant. & conf. In casu addito attenden-

tendendum eſt, an Paulo tanquam tibi ſubdito potueris imponere aliquod præceptum, eumque aliter quam ex juſtitia obligare. Si non, prout in donationibus & contractibus humanis communiter fieri ſolet, utique oritur obligatio juſtitiæ, per quam regulatur contractus: ſi ita, Paulus poterit præſumere, quod illum tantum velis obligare ſub præcepto, niſi aliunde contrarium conſtet; unde caſus eſt pro nobis.

334 Dices 3. Poteſtas expendendi ſuperflua in cauſas profanas non eſt cauſa pia: ergo Pontifex tanquam prudens adminiſtrator hanc poteſtatem non poteſt concedere, neque per hanc conceſſionem ſatisfit intentioni fidelium. Conf. Per ſucceſſum temporis neque ſpiritus eccleſiæ, neque natura rerum eccleſiaſticarum fuit mutata. Quis ergo dicat, quod eccleſia nunc bona eccleſiaſtica velit quaſi ſæculariꝫare. Reſp. conc. ant. neg. conſ. beneficia eccleſiaſtica ſine dubio ſunt cauſa pia, quod autem ita ſint erecta, ut clericis etiam in ſuperflua dominium fuerit conceſſum, Pontifex potuit habere ſufficientes cauſas e. g. ut beneficia eſſent durabilia, & illorum fructus ſufficerent adverſus iniquitates temporum, ut reditus quorundam quadrarent etiam pro viris inſigniter doctis, pro illuſtribus, vel principibus, idque ad decus & defenſionem eccleſiæ &c. Intentioni autem fidelium & indigentiis pauperum ſatis proviſum eſt per legem, qua beneficiati obligantur ſuperflua in pios uſus erogare, præſertim poſtquam egenis aliunde per hoſpitalitatem & liberalitatem fidelium ſubventum eſt. Ad conf. ſicut ex eo, quod clerici non amplius emittant votum paupertatis, non ſequitur mutatum eſſe ſpiritum eccleſiæ aut naturam rerum eccleſiaſticarum, ſed tantum alias nunc eſſe circumſtantias, ſic tantum hoc poſterius ſequitur ex noſtra ſententia: quod autem bona ad beneficiatos pertinentia aliquo modo ſæcularizentur, aſſerit ipſe Julius 3tius, cujus textum neutiquam, ut aliquis Recentior

ait,

ait, truncatim citavimus: quæ enim in Bulla adducuntur, tantum agunt de bonis ecclesiasticis stricte talibus.

Obj. 3. Summi Pontifices tenentur ex justitia reditus superfluos expendere in causas pias: ergo etiam reliqui episcopi & beneficiati. Ant. prob. Innocentius XI. in Bulla contra nepotismum an. 1692 ait: *Nec sibi nec aliis Pontificibus licere, ut ex proventibus sedis Apostolicæ suis nepotibus plus dent, quam eorum in Ecclesiam merita aut paupertas exigunt; jubet proin, ut donationes aliter factæ rescindantur, & perperam donata restituantur cameræ Apostolicæ.* Addit, se hæc ita statuere, *ut & ipse in distributione talium bonorum justitiæ ac prudentiæ leges accurate custodiat, & exemplo suo cæteri quoque antistites & ecclesiæ prælati juxta æquitatis & justitiæ leges disponere discant.* Resp. transf. ant. neg. cons. Reditus sedis Apostolicæ, qui non tantum ex ecclesiæ Romanæ ditionibus, sed ex omnibus regnis, ac provinciis catholicis ad illam quotidie perveniunt, magis pertinere videntur ad bona ecclesiastica stricte dicta, quam ad beneficialia; non enim certa aliqua portio ex his bonis assignata est pro congrua sustentatione Pontificis in stipendium laboris, sed illi reditus Pontifici conceduntur, tum pro ipsius sustentatione, tum pro quibuscunque impensis pro bono ecclesiæ faciendis in diversos curiales, ministros, legatos, bella &c. ut adeo Pontifex non tam sit dominus quam administrator tantarum opum. Ex quibus ad summum sequitur, quod etiam episcopi non sint domini bonorum ecclesiasticorum, si nulla determinata portio pro ipsorum mensa seu sustentatione sit assignata, sed administratio indiscriminatim commissa bonæ ipsorum fidei. Imo aliqui putant, Innocentium tantum loqui de justitia distributiva, tum qui alias ejusmodi donationes non tantum essent rescindibiles, sed per se nullæ, tum quia ipsemet in eadem Bulla justitiæ distributivæ mentionem facit. Cæterum 335

terum, quæ contra adam conclusionem objici solent, commodius solventur quæstione sequenti.

QUÆSTIO IIII.

Quo jure beneficiati teneantur bona superflua in causas pias expendere.

336 Cum ex una parte certum sit, quod beneficiati bona superflua teneantur in pias causas expendere, ex altera parte hæc obligatio non sit ex justitia, nostræ sententiæ patroni ulterius controvertunt, unde ergo hæc obligatio oriatur. Lugo & Illſ. ajunt, illam esse ex jure naturali religionis, Castropal. & Molin. ex jure naturali charitatis vel misericordiæ, Domin. Sotus, Leff. Haunold. ex solo jure ecclesiastico. Porro per causam piam intelligitur non solum illud, quod conducit ad cultum DEI, vel datur ad obsequia Deo præstita, sacrificia, cantus, orationes &c. sed etiam quod ad misericordiam spiritualem aut corporalem pertinet. Hinc beneficiatus licite bona superflua impendit ad alendos parentes pauperes, ad dotandas, non tamen notabiliter ultra statum, pauperes sorores, ad pauperes consanguineos in studiis alendos, aut ad gradus litterarios promovendos, ad solvenda sua debita, quæ ante obtentum beneficium ecclesiasticum contraxit, modo vere pauper sit, & aliunde non habeat, quo possit solvere. Licet autem probabilius sit, quod secluso scandalo & gravi necessitate proximi, vel alterius causæ piæ, clericus bona superflua non teneatur statim singulis annis expendere, sed illa per plures annos retinere valeat, ut crescente summa faciat insignem aliquam fundationem: regulariter tamen longe consultius est, superflua mature ad causas pias applicare, ne forte morte præventus omnia absque merito

to ſuo cogatur relinquere fiſco juxta illud : quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus.

Dicendum. Obligatio expendendi bona benefi- 337
cialia ſuperflua in cauſas pias, oritur ex ſolo jure eccleſiaſtico. Probatur concluſio potiſſimum negative; nam 1, quod hæc obligatio non oriatur ex juſtitia, probavimus quæſtione præcedente, neque ulla lex naturalis aut divina oſtendi poteſt, quæ hanc obligationem imponat. 2. Si obligatio iſta oriretur ex charitate, tunc determinate ſe extenderet ad pauperes, adeoque clericus non ſatisfaceret, ſi bona ſuperflua expenderet in alias cauſas pias e.g. ornatum templi, aliunde ſatis opulenti, quod eſt contra communem Theologorum & Canoniſtarum. Imo ceſſante indigentia pauperum, ceſſaret omnis obligatio; cum ex charitate & miſericordia nemo teneatur ſuccurrere niſi indigentibus. 3. Obligatio naturalis religionis neque oritur ex eo, quod beneficiati ſint perſonæ ſacræ, alias ex hoc titulo deberent etiam in cauſas pias expendere bona patrimonialia, & quaſi-patrimonialia. Neque ex eo, quod reditus beneficiales ſint res quædam ſacræ; non enim ſunt res conſecratæ, aut benedictæ ſicut calices aliaque vaſa ſacra, ſed tantum dicuntur ſacræ, quatenus a fidelibus ſunt oblatæ ex intentione, ut expendantur in cultum divinum, quod jam factum eſt, quando ex bonis eccleſiaſticis extractæ, & beneficiatis in ſtipendium laboris, beneficio eccleſiaſtico annexi, conceſſæ ſunt, ut ipſi adverſarii debent dicere de illis bonis, quæ ex reditibus eccleſiæ tribuuntur pauperibus vel officialibus laicis.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta Tridentinum ſeſſ. 25 cap. 1 de 338
Reform. reditus beneficiales ſunt res DEI, & a S.

Auguſtino diſſipatio illorum vocatur ſacrilega: ergo ex virtute religionis debent expendi in cauſas pias. Conf. Eccleſia reditus beneficiales beneficiatis tribuit ea intentione, ut ſuperflua in pias cauſas erogent; hac autem intentione non tribuit ſalarium officialibus laicis: ergo non eſt paritas. Reſp. diſt. ant. ſunt res DEI, quando adhuc ſunt in bonis eccleſiæ, conc. ant. poſtquam ex illis ſunt extracti, ſubdiſt. ſunt res DEI per ſtatum, neg. ant. per ampliationem, conc. ant. neg. conſ. S. Aug. aliique Patres loquuntur de diſſipatione bonorum eccleſiaſticorum ſtricte talium, vel cum pia quadam exaggeratione. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Nos paritatem tantum inſtituimus in eo, quod eccleſia in beneficiatos tam parum rejiciat illud onus, quod habent primi adminiſtratores, ut expendant res eccleſiaſticas in cauſas pias, quam parum illud rejicit in officiales laicos, adeoque neutros ex ipſo jure naturali religionis & independenter a præcepto eccleſiæ obligari.

339 Obj. 2. Clerici ex officio ſuo ſunt patres pauperum, & paſtores ovium, quarum ſalus ſæpe periclitatur ob penuriam temporalium; ergo obligantur ipſis ſuperflua dare ex jure naturali charitatis, ut videntur aſſerere SS. Patres & plerique doctores cum S. Thoma 2. 2 q. 66 art. 7 in corpore; imo ab aliquibus clerici vocantur homicidæ, ſi oves ſuas non paverint. Conf. clerici vi ſtatus perfectioris obligantur ad majorem charitatem pauperibus exhibendam quam laici. Hinc Trident. ſeſſ. 23 cap. 1 de reform. ait: *præcepto divino mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere.* Reſp. diſt. ant. ſunt patres pauperum & paſtores ovium in ſpiritualibus, conc. ant. in temporalibus, neg. ant. & diſt. conſ. ergo obligantur ex jure naturali charitatis, ſi corporis neceſſitas poſt ſe trahat periculum

animæ

animæ, conc. ant. per se, neg. conf. Non enim apparet, cur clerici jure magis speciali quam laici teneantur curare pauperes quoad corporalia; hinc Patres & doctores loquuntur de casibus, in quibus aliunde datur debitum charitatis, quidam vero utuntur pia auxesi. S. Thomas loc. cit. indiscriminatim tam de laicis quam clericis agit. Ad conf. Imprimis Tridentinum solum loquitur de curatis, cum tamen omnes beneficiati superflua debeant in pias causas erogare. Dein status perfectior clericos solum obligat, ut præstent eleemosynas spirituales & corporales aliquanto liberaliores, non vero ut omnia superflua dent pauperibus. Denique præceptum charitatis & eleemosynæ neminem obligat graviter extra casum extremæ vel saltem gravis necessitatis proximi.

Obj. 3. Obligatio expendendi bona superflua in 340
causas pias, est longe antiquior Tridentino, & jam a prima erectione beneficiorum: ergo non tantum oritur ex jure ecclesiastico. Conf. Tridentinum ideo præcipit, ut superflua in causas pias expendantur, quia sunt bona ad cultum DEI oblata, quæ in causas profanas expendere indecens est, unde ut idem Tridentinum sess. 25 c. 1 de reform. ait: *Multorum malorum in ecclesia seminarium exstat.* Resp. conc. ant. neg. conf. tum quia post erecta beneficia, & ante Tridentinum lib. 3 Decretalium insertus est titulus 26tus de Testamentis, ubi clerici non solum prohibentur de bonis beneficialibus testari, sed etiam inter vivos illa aliis e. g. consanguineis aliter donare quam per modum eleemosynæ, ut colligitur ex cap. ad hæc 8vo: tum quia antea dabatur jus traditum & consuetudo antiquissima in re difficili ab omnibus timoratis cum firma persuasione obligationis observata. Nempe verisimile est, quod ipse Simplicius in divisione bonorum, ejusque successores in erectione beneficiorum clericis præceperint, ut superflua in causas pias expendant, quodque præceptum

hoc

hoc per continuam traditionem & praxim ad noſtra uſque tempora pervenerit. Ad conf. Quamvis decens ſit, ut ſuperflua in cauſas pias erogentur, hæc decentia necdum eſt tanta, ut per ſe obligationem inducat, & erogatio in cauſas profanas ſit dedecens poſitive; neque Tridentinum hanc erogationem vocat ſeminarium malorum, ſed nimium & inordinatum affectum erga conſanguineos.

341 Dices. Si hæc obligatio non eſſet ex jure naturali, poſſet Pontifex clericis concedere poteſtatem bona eccleſiaſtica vel donatione inter vivos, vel per ultimam voluntatem diſpenſandi in cauſas profanas; atqui hoc non poteſt dici, quia tanta diſſipatio nimium repugnat intentioni fidelium & ex tali promiſcua licentia maximum periculum graviſſimorum malorum in rempublicam chriſtianam redundaret; hinc antiqui fere omnes docuerunt hanc obligationem eſſe naturalem. Conf. Juxta nos etiam per conſuetudinem poſſet induci facultas de rebus beneficialibus diſponendi ad cauſas profanas; quod enim Pontifex poteſt concedere per privilegium, poteſt etiam obtineri per conſuetudinem ſaltem immemorialem. Reſp. tranſ. maj. diſt. min. Non poteſt dici, quod hoc Pontifex poſſit univerſaliter & illimitate, tranſ. min. aliquando & ex legitima cauſa, neg. min. quamvis enim privilegium, quod clericis Romanis a Julio III conceſſum eſſe num. 319 dixi, forte non ſit omnino illimitatum, ut contra communiorem vult Lugo, certo tamen valet, ubi rationabilis cauſa concurrit. Simile privilegium poſtea Innocentius XII conceſſit Jodoco Edmundo Hildeſienſi. Ad conf. eadem eſt reſponſio. Certe clericos in Gallia & Hiſpania ex conſuetudine in cauſas profanas teſtari poſſe teſtatur Covarruv. & Sarmiento, quod ipſe Leſſ. & Lugo quoad valorem admittunt. Idem de diœceſi Conſtantienſi teſtatur Auctor Criſis Theologicæ, diciturque hæc conſuetudo approbata decreto ſynodali; attamen

men ipsæ constitutiones synodales graviter monent, ut in ejusmodi testamentis etiam ratio pauperum & ecclesiæ habeatur. Cæterum teste P. Schmalzgr. nullibi habetur legitima consuetudo ad causas profanas jam disponendi inter vivos.

Obj. 4. Concilium Tridentinum num. 319 a 342 nobis citatum tantum agit de bonis stricte ecclesiasticis; refert enim se ad canones Apostolorum: ergo ex hoc Concilio ne quidem probatur præceptum ecclesiasticum, beneficialia superflua in pias causas expendendi. Conf. Concilium ibidem solum prohibet, ne bona ecclesiastica donentur consanguineis, de aliis vero usibus profanis nihil meminit. Resp. dist. ant. agit tantum de bonis stricte ecclesiasticis explicite, trans. ant. implicite, neg. ant. quam vim habeant leges ecclesiasticæ & quousque se extendant, non potest melius colligi, quam ex communi ecclesiæ & doctorum sensu, ac consuetudine timoratorum, juxta quam Tridentinum semper in nostro sensu intellectum est, tum quia loquitur de talibus bonis, quæ per se loquendo in pauperes distribui possunt, quod extra casum gravissimæ necessitatis non potest fieri de bonis stricte ecclesiasticis: tum quia loquitur de omnibus clericis beneficiatis, quorum multi nullam habent administrationem bonorum ecclesiæ. Unde Tridentinum ad canones Apostolorum se tantum refert, in quantum exinde voluit desumere aliquam congruentiam, quin ideo voluerit instituere omnimodam paritatem inter bona ecclesiastica, de quibus isti canones agunt, & reditus beneficiales. Ad conf. Si superflua non licet dare consanguineis & familiaribus, quod de se magis est innocens & juxta ordinem charitatis, longe minus licet illa profundere in alios usus profanos, lusum, fastum, venationes &c.

Di-

343 Dices. Si clerici tenerentur superflua expendere in causas pias, tunc 1 illorum dominium esset prorsus inutile; deberent enim expensa causis piis restituere. 2. Etiam graviter peccarent illi, qui a clericis talia bona acceptarent, eaque reddere tenerentur. Resp. ad 1. neg. sequelam, rationem additam dist. si bona ejusmodi adhuc existant saltem in æquivalenti, quatenus clericus illa expendendo pepercit patrimonialibus, vel quasi - patrimonialibus, trans. secus, neg. imo etsi hæc bona existant, proprie non datur obligatio restituendi, sed tantum exequendi præceptum ecclesiasticum, quod in tali casu adhuc urget, & impleri potest. Ad 2. neg. ant. universaliter acceptum; nam accipientes sæpe excusantur a peccato, quia ignorant donationem fieri ex beneficialibus, vel quia merito præsumunt, quod causis piis facturus sit compensationem ex aliis bonis, quod si hoc præsumere nequeant, peccant quidem, saltem si beneficiatum positive ad ejusmodi donationem inducant, quia sic formaliter cooperantur ejus peccato: non tamen peccant donata retinendo, neque ad restitutionem tenentur, nam donatio fuit valida, & præceptum ecclesiæ non attingit laicos directe, sed tantum indirecte.

344 Obj. 5. Vel juxta nos clerici ad expendenda bona superflua in causas pias tenentur ex speciali quadam virtute vel tantum ex obedientia ecclesiæ debita? non primum; alias ista obligatio esset ex ipsa natura hujus virtutis, adeoque ex jure naturali: non secundum, quia legislator universalis præsertim ecclesiasticus, non solet præcise obligare sub obedientia, sed pro motivo formali suæ legis assumere honestatem illius virtutis, ad quam res præcepta vel proxime vel remote pertinet. Hinc violans jejunium ab ecclesia præceptum etiam peccat contra temperantiam. Resp. Novam hic moveri quæstionem, quam sicut nullibi decisam legi, ita nihil conclusioni nostræ præjudicat, quidquid in illa dica-

dicatur; quamvis enim ecclesia plerumque non soleat obligare tantum ex obedientia, neutiquam probatur, quod id faciat nunquam: aut quam specialem virtutem intendit, quando clericis prohibuit gestationem armorum, lusum taxillorum, officium advocati, notarii in placitis sæcularibus, negotiationem lucri causa &c. Si dicas ista pertinere ad decentiam status clericalis, vel ad virtutem religionis, idem nos poterimus dicere, quin ideo hæc obligatio oriatur ex jure naturali. Et vero non videtur admodum alienum a vero, quod Ecclesia legem superflua expendendi in causas pias tulerit ex motivo religionis, tum quia antecedenter ad præceptum ecclesiæ decet, ut ejusmodi bona, a fidelibus ad cultum DEI oblata, ad eundem etiam applicentur a beneficiatis: tum quia Tridentinum, ubi hanc legem fert, bona beneficialia vocat res DEI. Sic licet propria auctoritate permutare beneficia per se non sit contra virtutem religionis, tamen ecclesia hoc tanquam Simoniacum sub virtute religionis prohibet.

Dices. Obligatio, quam imponimus clericis, ansam 345
præbet innumeris scrupulis, & perplexitatibus, cum non constet, quænam quantitas redituum beneficialium, in causas profanas expensa, constituat peccatum mortale. Resp. Scrupulos, & perplexitates non oriri per se & ex ipsa obligatione, sed ex propria cujuslibet culpa, præsertim cum patroni nostræ sententiæ facile conveniant, quod in hac materia ad peccatum grave plus requiratur, quam in materia furti, eo quod hic non tam attendendum sit ad gravitatem damni, quam ad inordinationem contra statum clericalem vel virtutem religionis, considerata etiam qualitate beneficii, cum is, qui ampliores habet reditus, citra peccatum mortale videatur posse aliquantum plus expendere, quam alius, cujus reditus sunt tenuiores. In assignanda tamen certa ac ge-

generali regula multum difcrepant. Hurtadus & Diana pro conftituendo peccato mortali videntur requirere, ut dimidia pars fructuum fuperfluorum in caufas profanas erogetur; fed hoc nimis laxum. Molina, Koninch. Caftropal. affignant partem quintam; verum etiam hoc in fumma magna nimium eft. Lugo ait vigefimam faltem partem redituum fuperfluorum fine culpa gravi expendi poffe, eoquod hoc modo in æftimatione morali adhuc totum cenfeatur expendi in caufas pias; fed etiam hæc regula Patri Illfung in aliquibus cafibus videtur nimis laxa, fic enim e. g. Cardinalis habens 20000 fuperflua, non peccaret graviter, etfi 1000 fl. in ufus profanos expenderet. Unde Pater Illfung judicat, in hac re nihil univerfaliter ftatui poffe, fed in cafibus particularibus rem determinandam fide bona & judicio prudentum, attenta diverfitate beneficiorum, & beneficiatorum.

QUÆSTIO IV.

Quale clerici habeant dominium bonorum patrimonialium, & quasi-patrimonialium.

346 QUod clerici non religiofi de facto habeant plenum dominium bonorum patrimonialium, & de iis non aliter ac laici tam inter vivos, quam per teftamentum difponere poffint, tanquam indubitatum tenet communiffima; neque enim per clericatum aut facerdotium fiunt dominii incapaces, neque amplius per votum paupertatis dominio fe abdicant, aut obligant ad patrimonialia ad caufas pias applicanda. Ut adeo Recentior quidam prorfus gratis dicat, clericis facultatem de bonis patrimonialibus ad caufas profanas teftandi tantum conceffam effe ea lege, ut iftæ caufæ faltem fint formaliter & theologice piæ, quatenus referuntur ad honeftam con-

conservationem familiarum, & societatis civilis. Contrarium enim clare colligitur ex canone Episcopi 19 cauf. 12 q. 1 can. Fixum 4 q. 5 cauf. eadem. Cap. Quia nos 9 de testamentis. Pariter Concilium Parisiense sextum decrevit: *Ut episcopus circa res sui juris, quas aut ante episcopatum, aut certe in episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum canonicam auctoritatem, quidquid vult, faciat.* Imo S. Augustinus, licet antea statuerat neminem ordinare, nisi qui votum paupertatis emittere, & in communi vivere vellet, sententiam suam mutavit his verbis: *Ecce in conspectu DEI & vestro muto consilium, qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & ecclesia sua, maneant, ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum.*

Dicendum 1. Clerici non religiosi habent plenum dominium bonorum quasi patrimonialium; ita ut de illis non minus quam laici libere ac licite etiam ad causas profanas disponere valeant. Ita longe communior contra D. Amort, Habert &c. Probatur 1. Bona quasi patrimonialia non sunt ex bonis beneficialibus, sed conferuntur clericis a fidelibus propter labores in ministeriis ecclesiasticis susceptos tanquam stipendium sine expresso aut tacito onere illa expendendi ad causas pias: ergo clerici de his bonis æque libere possunt disponere, quam officiales laici de mercede & stipendio propter laborem ipsis persoluto; neque enim clerici ullo jure sunt incapaces, quo minus talia stipendia acquirere possint, & quando Tridentinum aliique canones liberam dispositionem & potestatem testandi clericis adimunt, semper tantum loquuntur de bonis acquisitis ratione beneficii ut patet ex cap. 7, 8 & 9 de testamentis. Conf. specialiter de canonicorum præsentiis. Tridentinum sess. 22 cap. 13 de reform. ait: *Canonici, qui die statuto competens servitium personaliter non impleverint, illius diei distributionem* 347

amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, ſed fabricæ eccleſiæ aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur : ergo, qui implent ſuum ſervitium, diſtributionis dominium acquirunt, nec tenentur illam applicare piis locis.

348 Dicendum 2. Etiamſi clerici habeant ſufficientia bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, poſſunt nihilominus ſe congrue ſuſtentare ex beneficialibus. Communiſſima contra D. Amort, Thomaſſinum, & Sambovium. Probatur 1. Clerici habent plenum dominium bonorum patrimonialium & quaſi patrimonialium, eaque, quandocunque volunt, poſſunt expendere etiam in uſus profanos : ergo hoc ipſo non tenentur vivere de patrimonialibus vel quaſi patrimonialibus, alias hæc obligatio clericis tantum præberet occaſionem, ut patrimonialia, & quaſi patrimonialia prodigerent. Probatur 2. Pars fructuum beneficialium correſpondens congruæ ſuſtentationi datur beneficiario tanquam ſtipendium, non minus quam operario datur merces, quæ correſpondet labori : ergo ſicut hic ſe poteſt ſuſtentare ex mercede laborum ſuorum, ſic etiam beneficiarius ex fructibus beneficialibus. Ant. patet ex cap. final. de Reſcriptis in 6, ubi dicitur : *Beneficium eccleſiaſticum dari propter officium*, quod approbat ipſe Apoſtolus 1 Cor. 9 v. 13 : *Neſcitis, quoniam, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Quod etiam ibidem probat ex lege naturali, quæ vult, ut miles vivat de ſtipendiis ſui principis : *Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

349 Colliges, Clericos in congruam ſuſtentationem habere dominium tam plenum, ut de parſimonialibus libere etiam ad cauſas profanas poſſint diſponere, non minus ac alii operarii de mercede ſua ;

nam

nam bona parsimonialia quæruntur per industriam neque per hoc, quod expendantur in causas profanas, præjudicatur pauperibus, vel aliis causis piis, sed tantum aliquid subtrahitur proprio genio & sensualitati, quam expedit mortificare juxta illud, ad Coloss. 3 v. 5: *Mortificate membra vestra*, & 1 Petr. 3 v. 18: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Imo si clericus post obtentum beneficium aliqua ex bonis patrimonialibus vel quasi patrimonialibus in congruam sustentationem vel alias pias causas expendit, potest dein ex bonis beneficialibus facere compensationem; neque obest, quod forte habuerit propositum non compensandi, dummodo se ad hoc non obligaverit; quia solum propositum illum non spoliat jure suo, præcepto autem ecclesiæ, quæ tantum obligat, ut in causas pias expendantur superflua, æquivalenter jam satisfecit tantundem expendendo de patrimonialibus, nec ad impletionem præcepti requiritur formalis intentio præcepto satisfaciendi, sed sufficit, si libere & humano modo sit id, quod præcipitur.

Objectiones.

Obj. 1. SS. Canones, & Concilia statuunt, omnia 350
bona clericorum defunctorum debere manere in jure ecclesiæ: ergo clerici non habent plenum dominium bonorum quasi patrimonialium. Ant. prob. Gregor. IX cap. quorundam 1. de testament. ait, quod Episcopus Atellanus nurum suam solum potuerit instituere hæredem in illo, quod ante episcopatus ordinem habuisse constiterit: *quidquid vero ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoveris, vel in episcopatus ordine prædictum episcopum acquisivisse, in ejusdem ecclesiæ dominio conservetur.* Alexand. III cap. quia nos 9 de testament. inquit: *Ex his tamen, quæ consideratione ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.* Similia habentur cap. rela-

tum 11 eodem. Concilium Lateranense III cap. 5 statuit: *sive intestati decesserint clerici, sive aliis conferre voluerint bona per ecclesiam acquisita, penes ecclesiam eadem bona præcipimus manere.* Simili modo loquitur concilium Agathense relatum can. episcopi 19 caus. 12 q. 1. Resp. dist. ant. Si clerici hæc bona acquisiverunt ab ecclesia, & ejus intuitu, conc. ant. secus, neg. ant. quod in objectis capitulis sermo sit de bonis intuitu ecclesiæ acquisitis, satis ipsa verba indicant, & de capitulo quorundam desumitur ex rubrica: *Episcopus de rebus patrimonialibus testari potest, de rebus vero ecclesiæ seu intuitu ecclesiæ acquisitis testari non valet.* Quod autem Pontifex nurui episcopi sola patrimonialia concesserit, inde est, quia ecclesia habet fundatam intentionem super omnibus bonis a prælato defuncto possessis, quod ad illam pertineant, nisi aliud probetur, ut notant Menoch. Barbos. Pirrh.

351 Dices 1. Bona beneficialia dantur a fidelibus in stipendium laboris & tamen debent expendi in causas pias: ergo etiam bona quasi patrimonialia, quia sunt ejusdem naturæ. Ant. patet; nam sicut post divisionem bonorum beneficia a fidelibus fundata sunt ea intentione, ut beneficiati inde alerentur propter ministeria sacra, ita primi fideles obtulerunt sua bona ecclesiæ, ut clerici habeant congruum stipendium pro suo labore. Conf. Ministeria, ob quæ Parochiani solvunt reditus stolæ, plerumque debentur a parochis ex suo officio, nec raro stipendium excedit præstitam operam & laborem: ergo. Resp. dist. ant. Bona beneficialia dantur in stipendium laboris directe ipsis clericis, & sine onere, neg. ant. mediate & cum aliquo onere, conc. ant. & neg. conf. Bona, ex quibus a fidelibus fundantur beneficia, non dantur directe ipsis clericis, sed ecclesiæ, quæ dein ex illis congruam sustentationem beneficiatis præbet, eo tamen onere, ut superflua in causas

ſas pias expendant; quaſi patrimonialia vero immediate ipſis clericis & ſine onere perſolvuntur, ut advertit Navarr. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Quia reditus ſtolæ tamen non ſunt ex bonis beneficialibus & ſine onere dantur, & licet laborem excedant, nihilominus a fidelibus abſolute offeruntur, tum propter dignitatem perſonæ, tum propter incitamentum, ut ejusmodi miniſteria promptius & ferventius peragantur.

Dices 2. Saltem bona parſimonialia, & diſtribu- 352
tiones pro præſentia ſunt ex bonis beneficialibus: ergo. Conf. quando clerici moriuntur & non conſtat, quod habuerint patrimonialia, omnia illorum bona adſcribuntur eccleſiæ, neque examinatur, utrum ſint parſimonialia vel reditus ſtolæ; atqui hoc non poſſet fieri, ſi clerici in hæc bona haberent plenum dominium. Reſp. diſt. ant. ſunt ex bonis beneficialibus, ſed plene, & ſine omni onere extracta, conc. ant. non ita extracta, neg. ant. nam ejusmodi bona non dantur clericis ut fructus beneficii, ſed principaliter tanquam ſtipendium laboris; hinc quando in impetratione beneficii debet exprimi valor, non eſt opus, ut computentur diſtributiones. Ad conf. tranſ. maj. diſt. min. non poſſet fieri de jure communi, conc. min. de conſuetudine ex rationabili cauſa introducta, neg. min. Teſte Layman theſi 126 de rer. eccleſ. alienat. in pluribus locis poſt mortem beneficiati ejusmodi bona non relinquuntur hæredibus, orta & introducta jam praxi ex præſumptione, ejusmodi bona reſidua eſſe ex reditibus ſuperfluis, at ex hoc non ſequitur, quod beneficiatus in vivis non poſſit plene de illis diſponere.

Obj. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 22 cap. 13 353
tantum dicit, quod canonici abſentes *diſtributionem amittant*, & non aquirant dominium *quoquo modo*: ergo Concilium præſentibus tantum concedit dominium aliquod imperfectum ſeu adminiſtrationem. Conf.

Innocentius IV in Canonem Nulli liceat 13 cauſ. 12 q. 2 ait: *Etſi aliquando inveniantur hæc bona oblata Deo eſſe epiſcoporum, vel prælatorum, vel capitulorum, dic ea eſſe eorum quoad gubernationem.* Similia habet in Cap. cum ſuper 4 de cauſa poſſeſſ. & propriet.: ergo termini poſſeſſivi *meum ſuum* juxta Tridentinum tantum ſignificant adminiſtrationem cum dominio uſus fructus, & fructus *non facere ſuos*, tantum eſt privari adminiſtratione fructuum. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Concilium Tridentinum citatis verbis declarat, diſtributiones quotidianas dari tanquam ſtipendium pro præſentia perſonali, & labore in choro; ſtipendii autem non tantum aquiritur adminiſtratio, ſed plenum dominium, ſicut illud acquirunt laici pro cantu in choro. Ad conſ. Innocentius IV in citatis locis loquitur ut doctor privatus, & quidem de bonis ſtricte eccleſiaſticis, ac nondum diviſis, reſpectu quorum aliunde patet, quod to *meum* & *ſuum* non poſſit proprie ac pro dominio perfecto accipi. Citantur quidem pro hac verborem ſignificatione a D. Amort etiam Concilia Rottomagenſe, Aquisſextienſe & Mediolanenſe, ſed iſta ſolum dicunt, quod adminiſtratores & commendatarii monaſteriorum & rerum eccleſiaſticarum non habeant illarum proprietatem, ſed tantum adminiſtrationem, quod nihil ad rem præſentem pertinet.

354 Dices. Pro ſacris laboribus nihil debetur niſi congrua ſuſtentatio, imo merces pro actione ſacramentali non poteſt dari ſine ſimonia: ergo quæcunque ob ſacros labores dantur, habent annexam conditionem, & obligationem, ut impendantur in cauſas pias, ſi ad ſuſtentationem non ſunt neceſſaria. Conſ. quando fideles pro ſacris laboribus aliquid offerunt, ſaltem implicite intendunt illud offerre Deo, alias talis oblatio haberet rationem proprie dicti ſtipendii civilis, ſeu mercenarii, & lucratorii. Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. quamvis pro ſacris laboribus nihil

poſſit

poſſit accipi tanquam pretium proprie tale æquiparando ſpirituale cum temporali, licite tamen pro laboribus extraordinariis poteſt accipi ſtipendium extraordinarium, idque ſine onere ſuperfluum in cauſas pias erogandi. Ad conf. neg. ant. ſtipendium clericis perſolutum differt a mere civili, quod hoc detur intuitu miniſterii mere temporalis, illud vero intuitu miniſterii ſpiritualis; ſi enim omne illud, quod non debet expendi in cauſas pias, eſſet tantum ſtipendium civile & mercenarium, etiam congrua ſuſtentatio haberet rationem mercedis & pretii, adeoque neque congrua ſuſtentatio pro miniſterio ſpirituali poſſet accipi.

Obj. 3. Juxta canones Apoſtolorum, & Con- 355
cilium Antiochenum II clericis ex bonis eccleſiæ tunc ſolum aliquid poteſt dari, *ſi vere indigent:* ergo qui habent bona patrimonialia non poſſunt vivere ex beneficialibus. Conf. S. Paulus ad Philipp. 2 v. 21 hanc veri clerici tradit notionem: *Tantum quærere, quæ ſunt JESU CHRISTI, & non quæ ſua ſunt,* hinc cap. 3 v. 19 redarguit eos, *qui terrena ſapiunt, & quorum Deus venter eſt,* ipſe vero a Philippenſibus cap. 4 nihil prætendit niſi ratione eleemoſynæ gratuitæ pro ſuſtentatione juxta illud, habentes alimenta, & quibus tegamur contenti ſimus, 1 Tim. 6 v. 8. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam,* Luc. 11 v. 41. Reſp. conc. ant. neg. conſ. canones Apoſtolorum & Concilium Antiochenum loquuntur de illis temporibus, quibus clericis vel nulla patrimonialia vel ea tantum lege fuere permiſſa, ut nihil porro ex maſſa communi acciperent, quæ lex poſt factam diviſionem bonorum, & erecta beneficia non amplius obligat, ut patet ex noſtris probationibus, communi doctrina & proborum praxi, atque ipſis SS. Canonibus a nobis citatis. Ad conf. neg. ant. S. Paulus in cap. 2 conqueritur contra illos, *qui tantum, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ JESU Chriſti:* quæ verba lon-

longe alium ſenſum habent, quam qui in objectione indicatur, nempe illum ipſum, qui cap. 3 exprimitur. Neque ex eo, quod S. Paulus ultra neceſſariam ſuſtentationem nihil prætenderit, ſequitur, id omnibus clericis præceptum eſſe. Ulteriora monita ad omnes fideles pertinent, nec magis clericos, quam alios obligant.

356 Dices 1. S. Hieronymus can. clericos 6 cauſa 1 q. 2 ait, clericos, quibus aliunde bona ſufficiunt, reos fieri ſacrilegii, ſi ex eccleſiæ reditibus veſcuntur. Rationem reddit S. Proſper can. paſtor 7 eadem cauſa & quæſtione, quia videlicet omnia eccleſiaſtica bona ſunt patrimonia pauperum, & cum pauperibus communia. Similia habent S. Aug. Ambroſ. & Adrianus VI in Comment. in Lib. 4 ſentent. Conf. Etiam Concilium Aquisgranenſe anno 816 citat hæc verba S. Proſperi: *Quod habet eccleſia, cum omnibus nihil habentibus commune habet - - & ideo epiſcopi ſcientes, nihil aliud eſſe res eccleſiæ niſi vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum, non eas vindicarunt in uſus ſuos ut proprias, ſed ut commendatas pauperibus diviſerunt.* Reſp. Iſta omnia rurſus non eſſe ad rem, ſed intelligenda de bonis eccleſiaſticis ante diviſionem a Simplicio factam; quomodo autem tunc res eccleſiaſticæ fuerint patrimonia pauperum, explicavi quæſtione 2da. Imo non deſunt, qui objectos canones ſolum putant agere de illis clericis, qui licet nullum eccleſiæ obſequium præſtiterint, tamen ex reditibus eccleſiæ vivere volebant. Porro Adrianus VI ſuum commentarium compoſuit, antequam factus eſt Pontifex. Ad conf. verba a Concilio Aquisgranenſi relata aperte tantum loquuntur de bonis eccleſiaſticis necdum diſtributis, quæ utique non potuerunt in cauſas profanas expendi.

357 Dices 2. Eccleſia omnibus ſæculis declaravit, clericos uti non poſſe bonis eccleſiæ, ſi aliunde eis ſup-

ſuppetat, quo ſuſtententur; nam canones Apoſtolorum, Conciliorum, & SS. Patrum, quos citavimus, adhuc ſemper exſtant, & loquuntur viva voce omni tempore: præterea fuerunt conditi, poſtquam clerici non amplius habuerunt votum paupertatis, ſed jam poſſederunt bona patrimonialia. Hinc S. Hieron. loc. ſupra cit. ait, *clericos non excuſari contraria conſuetudine, ſed incurrere damnationis ſententiam.* Conf. Chriſtus abſolute non vult miniſtrum mercenarium, ne quidem pro ſua ſuſtentatione; alias non poſſet dicere *pars mea Deus.* Reſp. neg. ant. quamvis antiqui canones adhuc exſtent, non tamen loquuntur, nec unquam locuti ſunt de bonis clericorum diviſis, & in beneficium aſſignatis. Neque obeſt, quod tunc jam aliqui clerici habuerint bona patrimonialia; nam tamen adhuc vigebat lex, ne talibus aliquid ex bonis eccleſiaſticis indiviſis detur. Sicut autem mutatis circumſtantiis clerici non amplius ad votum paupertatis fuerunt obligati, ſed patrimonialia retinere potuerunt, ſic poſtea præter patrimonialia illis aliquid potuit aſſignari in ſtipendium laboris. Quod denique S. Hieron. loc. cit. omnem contrariam conſuetudinem reprobet, non inveni, ſed tantum iſta verba: *Et per abuſionem talium* (eccleſiæ bonorum nondum diviſorum) *judicium ſibi manducant, & bibunt.* Ad conf. Ergo nullus laicus cum Propheta dicere poteſt *pars mea Deus.* Ergo clericus hoc non poteſt dicere, niſi etiam dominium patrimonialium abdicet. Ergo erit mercenarius, qui ex beneficio ſuſtentationem neceſſariam tanquam ſtipendium accipit, etſi non habeat patrimonialia. Vid. num. 310.

QUÆSTIO V.

An & quale dominium bonorum habeant Religiosi.

358 Quod religiosi etiam professi in communi seu communitates religiosæ pleræque de facto habeant dominium bonorum temporalium tam immobilium, quam mobilium, tenet communissima contra Navar. & nonnullos antiquos, quia neque per votum paupertatis, neque per ullum præceptum divinum, aut ordinationem ecclesiasticam dominii in communi sunt incapaces; sed Tridentinum sess. 25 cap. 3 de regularibus potius ita statuit: *Concedit sacra synodus omnibus monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Ubi to *possidere* non significat possessionem qualemcunque, sed talem qua possidentur illa bona tanquam propria; nam Concilium paulo inferius subjungit: *Religiosos sustentari ex reditibus propriis monasteriorum.* Dixi communitates pleræque; nam ut ex citatis verbis patet, excipiendi sunt Capucini & Minores de observantia, domus quoque professæ Societatis Jesu non possunt habere dominium bonorum immobilium excepto templo, habitatione, horto, & villa suburbana ad recreationem, sed vivere debent ex meris eleemosynis, ut patet ex proprio jure ejusdem Societatis confirmato etiam post Tridentinum a Pio V & Gregor. XIII.

359 Vicissim communis ac certa sententia est, quod Religiosi professi in particulari defacto nullum possint habere dominium bonorum fortunæ sive mobilium, sive immobilium. Colligitur rursus ex Tridentino

tino seff. cit. cap. 2, ubi ait: *Nemini igitur regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, & quovis modo ab eis acquisita tanquam propria possidere.* Idem prohibetur can. nolo, ut aliquis 10 §. 1. caus. 12 q. 1 & cap. cum ad monasterium 6 de statu monachor. quæ jura licet spectatis solis verbis tantum videantur loqui de licentia vel prohibitione, tamen ab omnibus interpretibus sic explicantur, quod religiosus professus dominii talium bonorum omnino sit incapax. Unde quando Authent. Si qua mulier Cod. de sacrosanctis ecclesiis dicitur, quod religiosus professus, qui de rebus suis nondum disposuit ante ingressum religionis, possit de iis postea disponere; professo tantum conceditur actus dispositionis, seu administrationis nomine alieno scilicet monasterii vel reipublicæ faciendæ; quando autem professo defertur hæreditas, non censetur illa immediate deferri ipsi professo, prout est persona particularis, sed monasterio intuitu professi, qui per professionem omne suum jus ad hæc bona in monasterium transtulit, adeoque ipsum monasterium immediate talem hæreditatem acquirit, quin requiratur consensus professi, qui in ordine ad ea, quæ cedunt in favorem religionis, comparatur filiofamilias, & non servo, ut volunt aliqui legistæ.

Dixi rursus 1. Religiosos in particulari esse in- 360
capaces dominii bonorum fortunæ seu corporalium; nam bonorum spiritualium e. g. beneficiorum, juris eligendi &c. item honoris & famæ non minus sunt domini, quam laici. 2. Religiosos professos, quia scholastici & fratres coadjutores nostræ Societatis, licet per vota simplicia post biennium probationis emissa evadant religiosi proprie dicti, retinent adhuc dominium suorum bonorum, quamdiu superioribus visum fuerit, ita tamen, ut de illis absque voluntate superiorum disponere nequeant, saltem licite, ut

con-

constat ex bullis Gregorii XIII, Quanto fructuosius, & Ascendente domino. 3. Vicissim, ut ex iisdem bullis habetur, coadjutores Societatis formati, etsi nunquam emittant professionem solemnem, tamen per votum paupertatis, quod suo tempore publice edunt, incapaces fiunt dominii omnium bonorum temporalium, quamdiu hoc voto manent ligati; proin incapacitas dominii non ita alligata est professioni solenni, ut non etiam cadat in aliquos religiosos non professos. 4. Differt itaque votum solenne a non solenni; tum quia solenne est ita firmum ac stabile, ut a nemine ordinaria potestate relaxari possit, quam a summo Pontifice, & quidem etiam ab hoc non nisi rarissime & gravissimas ob causas: tum quia est ita arctum & strictum, ut vovens nullum actum voto suo contrarium valide possit exercere. Votum autem simplex caret vel utraque hac vel saltem alterutra proprietate.

361 His præmissis quæritur jam, unde incapacitas dominii bonorum temporalium in religiosis professis oriatur, ad quod cum Suarez, Vasquez, Sanch. &c. communiori dicendum, illam oriri ex solo jure ecclesiastico. Probatur. Ex una parte ecclesia hanc incapacitatem potuit inducere, non minus quam inhabilitatem ad contrahendum matrimonium in certo gradu consanguinitatis; in consensu clandestino & voto castitatis solenni, de quo cap. unic. de voto & voti redempt. in 6 expresse dicitur, quod voti solennitas quoad dirimendum matrimonium ex sola Ecclesiæ constitutione sit inventa: ex altera parte hæc incapacitas ex nullo alio titulo oritur; non enim oritur ex natura status religiosi, aut voti paupertatis, alias scholastici Societatis Jesu non possent retinere dominium bonorum temporalium: non ex voti solennitate, quia hæc ipsa solennitas tantum est ex jure ecclesiastico, & coadjutores formati Societatis fiunt dominii incapaces sine voti solennitate: non denique ex intentione

voven-

voventis, quia hæc privata intentio iterum posset revocari, neque se sola præscindendo a constitutione ecclesiæ inhabilitatem dominii induceret, sicut juxta cap. cit. sola intentio non potest reddere inhabilem religiosum ad contrahendum matrimonium.

Dices 1. Religiosus per votum paupertatis se ipsum privat omni jure bonorum temporalium, & ex ipsa natura status religiosi se totum & omne jus suum in religionem transfert, sicut servus in dominum: ergo fit incapax dominii ex ipsa natura status religiosi, & voti paupertatis. Conf. religiosus per professionem censetur esse civiliter mortuus: ergo. Resp. neg. ant. nam scholastici Societatis emittunt votum paupertatis, suntque vere religiosi, & tamen retinent dominium. Neque obstat, quod scholastici non emittant vota solennia; ipsa enim hæc solennitas non est ex natura status religiosi aut voti. Quod si sola translatio juris in religionem religiosum dominii incapacem faceret, religio iterum hoc jure suo posset cedere, vel hoc jus non acceptare, & sic dominium penes professum maneret, quod certo falsum. Unde non est paritas cum servo, quippe iste ex consensu domini potest acquirere dominium, non item professus ex consensu religionis. Ad conf. dist. ant. per solam professionem secundum se spectatam, neg. ant. ut affectam lege ecclesiastica, quæ professum incapacem dominii reddit, conc. ant. & neg. conf. 362

363 Dices 2. Religiosi professi jam erant incapaces dominii ante constitutiones ecclesiasticas, per quas juxta nos hæc incapacitas debuisset introduci. Conf. Religiosus essentialiter est pauper: ergo. Resp. neg. ant. quamvis Lessius cum aliquibus existimet hanc incapacitatem jure ecclesiastico jam introductam fuisse a temporibus Apostolorum, contradicit tamen Suarez Tom. 3 lib. 8 cap. 7, docens fuisse olim professos

fessos, qui dominium rerum tam mobilium, quam aliquorum immobilium habuerint. Videri itaque solennitatem voti paupertatis, & incapacitatem dominii primum respectu omnium religiosorum statutam tempore Justiniani per Auth. Ingressi, & Auth. si qua mulier, Cod. de SS. Ecclesiis, quas constitutiones postea approbavit ecclesia, ut constat ex lib. 7 epistol. 7 Gregorii Magni, qui non multo post imperium Justiniani rexit Ecclesiam. Ad conf. dist. ant. religiosus essentialiter est pauper, paupertate consistente in abdicatione juris libere, & sine consensu superioris utendi bonis suis, transf. ant. consistente in abdicatione, & incapacitate omnis dominii, neg. ant. qui se ita abdicavit bonis suis, ut sibi non retinuerit administrationem liberam, vere pauper est quoad substantiam.

364 *Dices* 3. Si incapacitas dominii in professis orietur ex solo jure ecclesiastico, summus Pontifex posset dispensare, & professum dominii capacem reddere; atqui hoc non potest admitti, ut videtur docere S. Thomas, & colligitur ex cap. cum ad monasterium 6 de statu monachor. ubi dicitur, abdicationem paupertatis, sicut & custodiam castitatis adeo esse annexam regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Resp. conc. maj. dist. min. non potest admitti, quod Pontifex professum possit reddere capacem dominii quoad usum independentis ab arbitrio superioris, trans. min. dominii ab arbitrio superioris dependentis, subdist. ita ut apud talem professum maneat paupertas tam rigida, qualem de facto habent professi, conc. min. ut maneat paupertas minus stricta, adhuc tamen ad professionem religiosam secundum se consideratam sufficiens, neg. min. cæterum ecclesia nunquam ita dispensare solet, ut religiosus professus habeat dominium etiam in usu independens ab arbitrio superioris, & tamen maneat professus; sed quando Pontifex dispen-

ſpenſat (diſpenſatione latius dicta) in votis ſolennibus profeſſum e ſtatu religioſo omnino transfert ad ſtatum non religioſum, & ſic teſte Amico Alexander III diſpenſavit cum Nicolao Juſtino Monacho profeſſo, & Cœleſtinus III cum Conſtantia Rogerii Siciliæ regis filia jam profeſſa, quæ dein fuit conjux Henrici VI & mater Friderici II Imperatorum.

DISPUTATIO III.

De modis acquirendi dominium.

Poſt introductam jure gentium rerum diviſionem 365
varii dantur modi, ſeu tituli de ſe idonei ad dominium conſequendum; horum aliqui originem ſuam debent juri naturali, vel potius juri gentium, quod hic cum naturali confunditur, uti nativitas, fructuum perceptio, alluvio, inſula, ſpecificatio, confuſio, commixtio, implantatio, ædificatio, acceſſio, ſcriptura, pictura, traditio, occupatio. Alii ſtatuti ſunt jure civili, uti teſtamentum, legatum, fidecommiſſum, ſucceſſio ab inteſtato, contractus, bonorum poſſeſſio &c. Singulos iſtos modos examinare quia nimis longum foret, duorum tantum diſcuſſio eſt præſcripta, nempe occupationis, & præſcriptionis. Hinc cæteros a jure gentium ſtatutos breviter tantum exponam; illorum vero, qui a jure civili inventi ſunt, longiorem diſcuſſionem (brevis enim vix aliquid prodeſſet) Juriſperitorum foro relinquam.

QUÆSTIO I.

Quales jure gentium ſint modi acquirendi dominium?

Inter modos jure gentium acquirendi dominium 366
primo enumeravi nativitatem, & fructuum perceptionem. Per nativitatem acquiritur dominium eorum

eorum animalium, quæ naſcuntur ex noſtris animalibus, vel ancillis, ſervituti proprie tali ſubjectis. Nam partus eſt veluti pars ventris, adeoque eodem jure cenſetur. Diſcrimen tamen aliquod faciendum inter partum animalis irrationalis, & partum ancillæ; prior enim ſpectat ad uſufructuarium, ſecundus ad dominum directum; quia inter uſusfructus non computatur, ut habetur l. vetus 68 ff. de uſufructu, & quemadmodum quis utatur & §. In pecudum fructu 37 Inſt. de rerum diviſione. Porro perceptio fructuum tunc datur, quando quis rei ſuæ, vel alienæ fructiferæ emolumenta percipit, de quo uberior ſermo redibit part. 3 de Juſtitia.

367 Alluvio eſt incrementum latens, quo prædio noſtro ita paulatim motu fluminis aliquid adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. Incrementum hoc acquiritur domino fundi, & tanquam acceſſorium principali adhæret; unde non eſt opus nova apprehenſione, neque propterea poteſt augeri canon, aut alia onera ab emphytevta præſtanda. Quod ſi uno quaſi impetu notabilis pars fundi alterius avellatur, & tuo agro jungatur, hæc manet prioris domini, niſi illam tamdiu repetere negligat, dum arbores, quas ſemen traxit, in tuo fundo radices egerint. Per inſulam intelligitur locus undique aqua circumdatus; ſi naſcitur in mari, eſt primo occupantis; nullius enim eſſe cenſetur: ſi vero naſcitur in medio flumine, fit eorum, qui ex utraque parte ripæ prædia poſſident; ſecus vero illius, cujus prædio eſt propinquior: ſi denique flumen ſe dividat, & agrum alicujus cingat, prior dominus dominium ſuum retinet. Statuuntur hæc Inſt. de rerum diviſione, & acquirendo ipſorum dominio, a §. 20 usque ad 23.

368 In quo Imperator ulterius decernit, quod naturalis alveus, quem flumen ad aliam partem fluens, in

in univerſum deſeruit, cedat illis, qui prope ripam derelicti alvei prædia poſſident, ſcilicet pro latitudine cujusque agri prope ripam ſiti; alveus autem novus ſit juris publici, ſicut eſt ipſum flumen; hinc ſi novus alveus rurſum mutetur, & fluvius ad ripam priorem revertatur, vel aliam in partem totus fluat, alveus non amplius redit ad illos, quorum agri abſumpti fuerunt, ſed iterum ſit eorum, qui proximos agros poſſident; quia mutata forma rei ſubſtantia interire dicitur; atqui agri in alveum mutati formam, & ſpeciem mutaverunt, & juris publici facti ſunt. Aliud eſt, ſi ager alicujus tantum inundatur; tunc enim poſſeſſio quidem interrumpitur, l. 3 §. 17. ff. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione, dominium tamen non aufertur l. 7 §. 6 ff. de A. R. D. niſi inundatio ſit perpetua, & talis, quæ agri ſpeciem mutat.

Specificatio eſt introductio novæ formæ in ma- 369
teriam, & hujus in novam moraliter ſpeciem mutatio, ut ſi ex uvis ſit vinum, ex olivis oleum, ex tritico farina, ex auro, argento, ære vas aliquod, vel ſtatua. Qui facit novam ſpeciem ex materia aliena, ſi bona fide egit, & materia ad priorem ſtatum reduci nequit, ſit dominus ſpeciei, ita tamen, ut pro materia aliena domino ſatisfaciat: quod multo magis verum eſt, ſi materia, ex qua novam ſpeciem fecit, fuerit partim propria, partim aliena. At vero ſi materia ad priorem ſtatum poſſit reduci, tota ſpecies ad dominum materiæ redit. Idem eſt, ſi ſpecificans egit mala fide, hoc diſcrimine, quod in priori caſu dominus materiæ debeat ſpecificanti ſolvere pretium operæ, & formæ: in altero vero ad nihil teneatur. Dixi, quod ſpecificatio ſit mutatio in novam moraliter ſpeciem, ita videlicet, ut res in commercio humano reputetur eſſe alia, & novo nomine ſubſtantivo appelletur. Hinc licet lanam alterius tingas purpura, aut alio colore, non ſit ſpecificatio, l. 26 §. ult. ff. de acquir. rer. domin.

domin. Idem l. 7 §. 7 ff. eodem ſtatuitur de eo, qui ſpicas alterius excutit. Quando itaque §. 25 Inſt. de rerum diviſ. frumentum excuſſum videtur tribui excutienti, juxta P. Ininger per frumentum intelligi debet farina; quippe excutere ſpicas non eſt facere novam ſpeciem, ſed tantum foras proferre eam, quæ intus latuit.

370 Confuſio ſtricte dicta tunc datur, quando duæ materiæ liquidæ inter ſe commiſcentur; ſi autem materiæ, quæ inter ſe commiſcentur, ſunt ſolidæ, commixtio, vel permixtio vocatur. Materiæ utriusque voluntate, vel caſu fortuito confuſæ juxta §. 27 Inſt. de R. D. fiunt indiviſim utriusque pro rata materiarum & pretii, ſi forte materia unius fuerit nobilior, quam alterius. Idem juxta §. 28 eſt de materiis utriusque voluntate commixtis. Si autem commixtio tantum fuit facta caſu fortuito, aut voluntate unius, quilibet manet materiæ ſuæ dominus, eæque a ſe invicem debent ſeparari, aut ſi moraliter hoc fieri nequeat, datur rei vindicatio pro ratione quantitatis, & qualitatis commixtæ. Quid autem, ſi materiæ fuerint confuſæ unius tantum voluntate? De hoc caſu jura citata nihil decidunt; niſi tamen ſimul facta ſit ſpecificatio, exiſtimat P. Ininger, maſſam fore communem utriusque, modo confundens bona fide egerit, & materia unius non ſit valde modica, in praxi cuique ſaltem tantundem reddi debet, quantum fuit conſumptum: imo ſi confundens fuit malæ fidei, tam parum materiæ confuſæ dominium acquirit, quam ſpecificator malæ fidei.

371 Implantatio fit, quando arbores, aut plantæ inſeruntur pratis, agris, vel hortis. De his §. 31 & 32 Inſt. de rer. diviſ. deciditur, plantam ejus eſſe, in cujus ſolo radices fixerit. Hinc ſi arbor ſit in confinio duorum fundorum poſita, & in utrumque fundum æqualiter radices agat, eſt communis utrius-

que,

que, & fructus dividi debent, sive dein truncus excrescat in hoc, vel in altero fundo, sive arbor ita plantata sit bona fide, sive mala, modo ex utroque fundo alatur, & non tantum ramos aliquos, & radices in alterutrum fundum porrigat. Neque qui in solo alieno plantavit arborem, postquam illa radices egerit, eandem potest repetere, etsi rursus eradicetur; quia jam solo cessit: si tamen bona fide egit, potest repetere factas expensas. Idem proportionaliter dic de eo, qui ex suo frumento alium agrum consevit.

Ædificatio est erectio novi ædificii, quæ vel 372
potest in proprio solo ex materia aliena, vel ex sua materia in solo alieno fieri. De priore casu §. 29 Inst. de R. D. statuitur, quod dominus materiæ retineat suum dominium, eo quod nemo invitus re sua privandus sit; interim tamen materiam non potest vindicare, antequam domus aliunde diruatur: sed ipsi contra ædificantem ex l. 12 tab. competit actio in duplum, idque juxta multos, etiamsi ædificans bona fide putaverit, materiam esse suam. De altero casu §. 30 Inst. eodem dicitur, quod ædificium immobile, & solo adhærens cedat tanquam accessorium domino fundi, esto, quod quis solum supra parietem alterius ædificaverit, L. si supra 28 ff. de A. R. D. Nihilominus ædificans, si nesciverit, solum esse alienum, retinet dominium suæ materiæ, & potest a domino fundi petere expensas: qui vero in alieno solo ædificavit mala fide, perdit dominium, & proprietatem suæ materiæ, & secundum rigorem juris neque collapso, aut diruto ædificio potest illam vindicare, licet id videatur posse spectata æquitate, ut indicat lex 2 cod. de rei vindic.

Accessio datur, quando rei jam confectæ, & 373
in propria sua qualitate constitutæ aliquid accedit tanquam pars e. g. statuæ brachium, annulo gem-

ma &c. quo caſu juxta §. 26 Inſt. de rerum diviſ. quod additum eſt, cedit toti, etſi toto ſit pretioſius, & mala fide additum fuerit; habet tamen prior dominus contra illum, qui bona fide ſuo aliquid alienum addidit, conditionem ſine cauſa; ſi vero mala fide egit, actionem furti ad pœnam, & condictionem furtivam ad æſtimationem. Acceſſioni affinis eſt ſcriptura, & pictura. De ſcriptura §. 33 Inſt. de R. D. habetur, quod cedat tabulæ, quia autem modo tabulæ ſolent eſſe vilis pretii, teſte Haunoldo, & Illſung conſuetudo prævalui, ut charta cedat ſcripturæ, quamvis mala fide fuiſſet ſcripta. Tabulam quoque picturæ cedere habetur §. 34 Inſt. eodem; quippe pictura non tam eſt acceſſio, quam ſingulare aliquod opus, & abſurdum foret, ſi imago e. g. Apellis viliſſimæ tabulæ cederet.

374 Traditio eſt alicujus rei de perſona ad perſonam translatio; requiritur communiter ad transferendum dominium unius in alterum, non item ad ſolum jus ad rem, aut ad jus hypothecæ: neque ad jus in re, in bonis, quæ nullum habent dominum, & ideo ſola apprehenſione aut occupatione acquiruntur. Imo neque ſemper requiritur ad transferendum dominium, ut advertimus num. 237. Ut vero ſit legitima & dominium transferat, 1. Tradens debet eſſe dominus rei, quia nemo poteſt plus juris transferre, quam ipſe habet. 2. Dominus debet habere animum transferendi, & accipiens acquirendi dominium; invito enim res ſua auferri non debet, ſicut illi nihil acquiritur. 3. Res debet eſſe alienabilis; hinc non valet traditio rei e. g. ſacræ. 4. Traditio debet fieri ex juſta cauſa, ad dominium transferendum habili, non tamen neceſſario dicit actualem apprehenſionem rei, vel immiſſionem in rem, ſed poteſt etiam fieri per ſigna e. g. traditionem inſtrumentorum, chyrographorum, annulorum,

rum &c. imo si Petrus apud te deposuit pallium, sufficit, si titulo e. g. emptionis, vel donationis velis tuum pallium esse illius, quæ traditio per fictionem brevis manus vocatur.

QUÆSTIO II.

Quid & quotuplex sit occupatio?

Per occupationem intelligitur apprehensio rei cum 375
animo habendi eam ut suam. Duplici præcipue modo fieri solet, per inventionem, & venationem: inventio plerumque datur circa res inanimatas, quæ ut vere inventæ censeantur, non tantum videri, sed etiam moraliter, prout res exigit, apprehendi debent; non enim, qui ex duobus prior rem jacentem videt, sed qui prior apprehendit, illam acquirit; quando autem l. 1 §. 21 ff. de acquir. vel amitt. possess. dicitur, nos etiam oculis, & affectu possessionem apprehendere, intelligendum est, quando vel naturalis possessio jam ante est habita, vel certe alius titulus e. g traditionis accedit. Venatio est apprehensio feræ in naturali sua libertate constitutæ cum animo eam habendi. Dividitur in venationem specialiter talem, seu occupationem quadrupedum, in piscationem seu capturam piscium, & in aucupium, seu apprehensionem avium; quandoque etiam accipitur pro ipso jure, vel actu venandi.

Inter res, quæ occupatione acquiri possunt, ali- 376
quæ in nullius sunt dominio: aliæ habent quidem dominum, sed incertum. Primi generis sunt, quæ vel nunquam aliquem dominum habuerunt, ut gemmæ, & lapilli nascentes in mari, aut ejus littore reperti, vel etsi aliquem habuerint, tamen defacto nullum amplius habent, uti 1. Bona derelicta, quæ dominus perdidit, vel abjecit cum animo non am-

plius habendi ut ſua, quin tamen illorum dominium transtulerit in alium. 2. Bona vacantia, quæ relicta ſunt a domino defuncto, cui nemo legitime ſuccedit, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato, eoquod non habeat agnatos, quibus alias jus competit ab inteſtato ſuccedendi. 3. Theſauri, quorum nomine juxta L. Nunquam 31 §. 1. ff. de acquir. rerum dominio, intelligitur vetus depoſitio pecuniæ (vel alterius rei mobilis) cujus non amplius exſtat memoria, ut jam dominum non habeat; nec tamen ad theſaurum requiritur, ut determinate defoſſus ſit in terra, ſed perinde eſt, ſive abſconditus ſit in pariete, ſive in trabe, arbore, aut dolio, ad occultandum theſaurum aliis rebus repleto.

377 Porro in dubio, an bona cenſenda ſint derelicta, intentio domini ex conjecturis colligi debet; ſi enim dominus rem perditam facile poſſit recuperare, & negligat, vel ſi non poſſit recuperare, niſi magna, & inſuperabili difficultate, nec alius nomine ipſius ad ea repetenda venturus exiſtimetur, prudenter præſumi poteſt, dominum illa non velle recuperare. Aliud eſt de rebus in incendio periclitantibus, aut mercibus, quas navis levandæ gratia vectores furente tempeſtate projiciunt in mare; nam quamdiu ejusmodi bona adhuc poſſunt eripi, & recuperari, dominus non ſolet abjicere animum ea habendi pro ſuis; quapropter in Bulla Cœnæ excommunicantur, qui bona Chriſtianorum naufragantium ſurripiunt, quam tamen cenſuram putat Lugo non afficere illos, qui veriſimiliter exiſtimant, nec dominum mercis, nec alium ipſius nomine unquam rediturum ad eam recuperandam. Quod ſi arca, dolia vini &c. inveniantur aſportata ex eluvione fluviorum, rurſus non cenſentur derelicta, niſi valde longe aſportentur, ſed debent domino reſtitui, compenſato tamen labore, ſi quem impendit in illis ſervandis.

Bona

Bona fecundi generis, feu incerta funt, quæ 378
licet dominum reipfa habeant, vel faltem habere præfumantur, incertum tamen eft, & ignoratur, quisnam ille fit; unde huc etiam revocantur debita incerta, neutiquam vero illa bona, de quibus conftat, quod pertineant ad certam aliquam communitatem, aut majorem ejus partem, quamvis ignoretur, quid ad quemlibet in particulari pertineat; hæc enim bona debent reftitui communitati vel immediate, vel mediate per magiftratum, aut parochum, qui facta inquifitione meliori modo illa dominis fuis diftribuat. Quodfi bona pertineant ad aliquem indeterminatum ex paucis, e. g. duobus, vel tribus, illis reddi debent, ut ipfi inter fe pro qualitate dubii dividant, vel transactione inter fe conveniant, vel rem totam forti committant; nam in ejusmodi cafibus dominus non eft ignotus univerfaliter, ut, faltem per fe loquendo, diligentia morali nequeat inveniri. Dividuntur bona incerta in ea, quæ funt ex delicto, & quæ funt fine delicto: priora dicuntur, quæ habentur modo injufto e. g. ex furto, ufura, iniquo contractu: pofteriora funt, quæ jufte, & citra injuriam proximi habentur e. g. ex mutuo, depofito, aut alio contractu de fe quidem nullo, attamen bona fide inito, vel ex cafu fortuito, ut fi quis marfupium pecuniis plenum in via publica inveniat.

Ut de animalibus conftet, an fint, vel non fint 379
in alicujus dominio, notandum, aliqua ex iis effe 1. fuapte natura manfueta uti equi, boves, gallinæ &c. domeftica. 2. Alia ex natura fua fera, attamen educatione, & ufu manfuefacta, uti columbæ, pavones, cuniculi, falcones &c. 3. Alia fera, & naturali fuæ feritati relicta, uti feræ in filvis, volucres in agris, pifces in mari, & aliis aquis liberis. Animalia primi generis ordinarie habent dominum, nec illum cenfentur amittere, etfi cuftodiam evaferint, & longius aberrent, aut omnino

 effent

essent interitura, nisi ab alio caperentur. Animalia secundi generis tamdiu manent in dominio alterius, quamdiu habent consuetudinem redeundi, vel facili negotio reduci possunt, secus vero censentur dominum suum amisisse. Animalia denique tertii generis sunt in nullius dominio, nisi ab aliquo jam occupata teneantur sub illius custodia in vivariis, piscinis, caveis &c. quam custodiam si rursus ita evaserint, ut nequeant facile reduci, priori libertati censentur restituta, qua ipsa etiam gaudent in silvis amplioribus, licet circumseptis.

380 Alia adhuc occupationis species refertur Inst. §. 17 de rer. divis. qua videlicet præda in bello justo ex hoste capitur; hæc jure gentium fit capientis, non quod tales res nullius sint, revera enim ad hostes spectant; sed quia pro derelictis habentur, vel ut ista ratione victi coerceantur, & milites spe prædæ alacriores fiant; quod si hæc præda iterum ab hostibus recuperetur, bona immobilia postliminio ad suos dominos revertuntur, ut statuitur l. 20 §. 1 ff. de captiv. & postlimin. revers. res autem privatæ, & mobiles, postquam ab illis, qui primo easdem occuparunt, in locum securum asportatæ fuerant, si denuo recuperentur, per l. 28 ff. eodem verisimilius iterum fiunt capientis, quia per ipsam occupationem jus quæsitum habet. Hodie acquisitio rerum hostilium in bello videtur pendere ex liberalitate principis bellum gerentis; cum enim stipendia militibus solvat, non immerito sibi arrogare potest, quidquid ex rebus captis ad privatos spectat, ut advertit Hoppius, Franz &c.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An per occupationem acquiratur dominium rerum inanimatarum, quæ in nullius sunt dominio.

Communis, & ab omnibus recepta regula est, quod bona, quæ in nullius sunt dominio, spectato jure naturæ, & gentium fiant primo occupantis §. Feræ igitur bestiæ, 12 & §. Item lapilli 18. Instit. de rer. divis. modo aliquis non sit aliunde incapax dominii, uti religiosus professus, qui per occupationem non sibi, sed monasterio dominium acquirit. Verum circa bona vacantia, & thesauros jus positivum aliud statuit; nam 1. bona vacantia a laicis non peregrinis relicta, jure positivo communi spectant ad fiscum l. scire 1 & l. 4 vacantia cod. de bonis vacant. 2. Mobilia peregrinorum applicanda sunt ab episcopo causis piis, authent. omnes peregrini cod. communia de successionibus ab intestato. 3. Bona vacantia a clericis relicta cedunt Ecclesiæ, cui servierunt cap. sed hoc de success. ab intest. Interim istæ leges juxta aliquos non obligant in conscientia ante sententiam judicis, quia authentica, omnes peregrini, teste Taberna contrario usu videtur abrogata, vel saltem limitata solum ad eos, qui intestati decedunt in hospitalibus episcopo subjectis, ut vult Molina; leges vero civiles de bonis vacantibus dicunt intra certum tempus posse præscribi contra fiscum, adeoque supponunt bona vacantia retineri posse bona fide, cum fide mala nunquam præscribatur. In praxi attendenda est consuetudo, & specialia statuta locorum. 381

De thesauris §. 39 thesauros Instit. de rer. divis. & l. nemo unica cod. de thesauris, sequentia statuuntur. 1. Si thesaurus inventus est modis licitis in fundo proprio, vel loco publico ad neminem pertinente, 382

totus eſt inventoris. 2. Inventus in fundo alieno (ſive fundus ſpectet ad privatum aliquem, ſive ad principem, ſive ad communitatem) æqualiter dividendus eſt inter inventorem, & dominum fundi, ſiquidem caſu fortuito fuerit inventus. 3. Si vero de induſtria ibi quæſitus eſt, totus ſpectat ad dominum fundi, niſi hic poſitive conſenſerit; tunc enim ſecluſa alia ſpeciali conventione totus erit inventoris, quod proportionaliter etiam dicendum eſt de theſauro invento in loco ſacro, vel religioſo, quorum dominium habet Prælatus vel Eccleſia. 4. Theſaurus arte magica, vel aliis modis illicitis in fundo proprio inventus cedit fiſco, inventus autem in fundo alieno ad dominum fundi pertinet, niſi hic criminis fuerit particeps; quia nemo propter alienum delictum debet puniri; ſi dominus fundi conſenſit quidem in inveſtigationem theſauri, attamen inculpabiliter ignorans alterum uſurum eſſe artibus illicitis, ſaltem domino fundi relinquenda erit pars, quam obtinuiſſet ex ſpeciali pacto inter ipſum & inventorem inito.

383 Hæc rurſus procedunt de jure communi, ſi vero alicubi, vel lege municipali, vel conſuetudine aliud quidpiam fuerit introductum, id in tali loco erit obſervandum. In plerisque Europæ provinciis theſauros modis etiam licitis, & ubicunque inventos inter regalia numerari, & ſaltem ex parte vindicari a principe teſtatur cum aliis Anton. Perez; ſed Sylveſter, Sotus, & P. Ant. Mayr exiſtimant, non ſatis conſtare de tali lege, aut univerſali conſuetudine, quæ jus antiquum correxerit, aut abrogaverit. Addunt Leſſ. Lug. &c. etiam leges antiquas tantum eſſe pœnales, & in conſcientia non obligare ante ſententiam. Plures tamen excipiunt legem illam, quæ ſtatuit, ut theſaurus in fundo alieno caſu inventus inter inventorem & dominum fundi dividatur, quia in hoc caſu nulla culpa, ne quidem juridica intervenit. Sed alii replicant; hanc legem,

legem, licet non ſit proprie pœnalis, tantum latam eſſe ad impediendas lites in his caſibus facile orituras, niſi lex definiiſſet, ad quem theſaurus ita inventus pertineat, adeoque etiam hanc legem tantum reſpicere forum externum.

Quæres 1. An theſaurus, vel portio illius, quæ 384
domino fundi competit, pertineat ad dominum directum, vel ad feudatarium, aut emphyteytam, poſito, quod theſaurus inventus fuerit in fundo feudali vel emphyteytico. Reſp. cum Caſtropal. Lug. Haunold. &c. pertinere ad feudatarium, vel emphyteytam, quia uterque tanquam verus dominus quoad fructus, & emolumenta fundi ſubſtituitur domino directo, exceptis quibusdam caſibus in feudo vel emphyteyſi expreſſis, inter quos non ſolet eſſe inventio theſauri. Oppoſitum dicendum videtur pro caſu, quo theſaurus invenitur in fundo, cujus area alicui conceſſa eſt in ſuperficiem, quia ſuperficiarius non eſt dominus fundi, ſed tantum ſuperficiei. Idem a fortiori procedit de uſufructuario, pignoratorio, uſuario, conductore &c. quibus dominium fundi adhuc minus competit.

Quæres 2. Ad quem pertineant mineralia, lapi- 385
cidinæ, aliaque foſſilia, uti creta, arena &c. Reſp. 1. Si inveniantur in fundo publico, qui in nullius eſt dominio, per ſe, & jure gentium ſunt inventoris; nam ſicut fundus in nullius eſt dominio, ſic etiam mineralia, adeoque fiunt primo occupantis. 2. Si autem inveniuntur in loco, qui in alicujus eſt dominio, eodem jure ſpectant ad dominum fundi, quia ſunt pars fundi, vel ſaltem fructus naturales, non minus quam herbæ, ac alii fructus, qui ſine induſtria a cauſis naturalibus ex fundo producuntur. Neque ſola ſuperficies terræ, ſed tota profunditas ei correſpondens usque ad centrum globi terraquei per ſe loquendo ad dominum fundi ſpectat; unde

pu-

puteos fodere, fossas excavare, & quam profundissimas cellas absque ullius injuria construere potest. Verum speciali jure positivo, vel potius ex consuetudine venæ metallorum, præsertim auri, & argenti hodie quoad potissimam partem in pluribus locis cedunt principi, vel reipublicæ. Cum enim sint præcipuus reipublicæ nervus, princeps illas, ubicunque inveniantur, vi dominii alti per modum tributi exigere potest, facta tamen aliqua compensatione inventori, & domino fundi.

386 Quæres 3. An, qui privata scientia novit in fundo alterius latere thesaurum, aut fossilia, licite possit agrum illum emere pretio communi, & soli fundo competente. Resp. 1 quoad thesaurum affirmative, quia justum pretium non desumitur ab utilitate rei intrinseca secundum se, sed ex utilitate, quæ ex communi æstimatione hominum, & secundum communem notitiam potest haberi. Sic pharmocopola herbam medicam, cujus ingens virtus medica passim ignoratur, emere potest communi pretio. Sic vicissim in India acus, vitra &c. maximo venduntur pretio, quia ibi communiter maximi fiunt. Aliud tamen esset, si hominum ignorantia versaretur circa ipsam substantiam rei, ut si gemma putaretur esse vitrum. Adde, quod thesaurus non sit fructus fundi, nec ad ejus substantiam pertineat; hinc dominus ad thesaurum ad summum habet jus conditionatum, si videlicet inveniatur, dum ipse adhuc dominium fundi retinet. 2. Major difficultas est de mineralibus, quæ partem, vel fructum fundi esse dixi, nihilominus aliqui cum Lug. & Molin. judicant, etiam talem fundum emi posse communi pretio, eoquod justum pretium non secundum privatam, sed communem, & publicam utilitatis æstimationem taxandum sit; alias emptor teneretur augere pretium, quando primum post em-

emptionem veniret in notitiam ejusmodi fossilium, quod tamen est contra communem.

QUÆSTIO IV.

An per venationem acquiratur dominium animalium?

Sicut per occupationem non acquiritur dominium 387
illorum animalium, quæ num. 379 dixi, in alterius dominio existere, ita jure gentium fiunt primo occupantis animalia fera, quæ naturali sua libertate gaudent; hinc eodem jure cuivis licitum est talia animalia occupare per venationem, aucupium, aut piscationem. Utrum vero id etiam procedat de jure positivo, controvertunt auctores. 1. Hostiensis, Decius, Rebuffus docent, principes venationem ne quidem posse prohibere, eoquod sit licita jure naturæ, & gentium; quam sententiam Jason vocat communem. 2. Juxta Molin. Less. Laym. Dicastill. &c. qui in loco interdicto venantur, peccant contra justitiam, quia lædunt jus cum damno. 3. Sed hanc obligationem non agnoscunt Vasquez, & Lug. imo P. Pichler, Ininger, aliique multi recentiores existimant, leges prohibentes venationem ordinarie non obligare in conscientia, ut adeo D. Amort nimis illiberaliter invehatur in P. Burckhaber, quasi solus contra communem Doctorum sensum huic laxitati patrocinetur.

Dicendum 1. Quamvis principes venationem 388
possint in conscientia prohibere, & sibi solis licentiam venandi reservare, regulariter tamen venatio non est prohibita in conscientia saltem graviter. Probatur prima pars. Quia libera venatio de jure naturæ non est præcepta, sed tantum permissa, principes autem possunt habere justas causas illam prohibendi

hibendi in conſcientia, tum ob publicum bonum, ne ſubditi amore venationis a laboribus, & functionibus ſuis abſtracti, otio, prædationi, latrociniis aſſueſcant, & continua tractatione armorum, fiant proniores ad ſeditionem. Tum ob jus aliunde principi acquiſitum v. g. ex legitima præſcriptione, tacito conſenſu populi, jure belli, ob pœnam ſeditionis, ob neceſſitatem convenientis recreationis, vel ſi princeps aliquam partem tributorum ſubditis remittat cum hoc onere, ne quis privatus ſibi venationem uſurpet. Conf. Si omnibus venari liceret, ob nimis frequentem, & intempeſtivam venationem brevi ingens ferarum foret inopia, unde vel omnino iis carendum eſſet, vel magno pretio a vicinis provinciis deberent coemi: ergo bono publico, & privatorum magis conſulitur, ſi jus venandi certis reſervetur, a quibus carnes ferinæ occurrente indigentia pro tolerabili pretio emi poſſint.

389 Probatur ſecunda pars. Quia libertas venandi, jure naturæ, & gentium cuivis conceſſa, non ſufficienter probatur per legem principis reſtricta eſſe etiam quoad conſcientiam, imo contrarium potius conſtat ex communi perſuaſione, & praxi, quæ optima eſt legum interpres; neque enim ipſi fericidæ judicant venationem ſub obligatione gravi, præſertim juſtitiæ, prohibitam eſſe, nec confeſſarii illos talis peccati reos pronunciant, neque ementes a fericidis carnes, res furtivas ſe emere, aut peccare arbitrantur. Dixi tamen per legem principis; nam 1. clericis, & religioſis jure eccleſiaſtico prohibitam eſſe venationem, conſtat ex cap. omnibus de clerico venatore. Ex tridentino ſeſſ. 24 c. 12 de reform. & ex Clementina, Ne in agro, de ſtatu Monachorum §. porro 3. Licet etiam hæc prohibitio juxta communem, & receptam conſuetudinem, ſe tantum extendat ad venationem clamoſam, valde tumultuoſam, & frequenter exercitam: imo

imo seclufo scandalo, aliaque circumstantia extrinseca ratione solius venationis raro a clericis peccari mortaliter, docent Molina, Less. &c. 2. Etiam laicis venatio sæpe sub gravi prohibita est jure naturæ, & per accidens, e. g. ob periculum satis propinquum gravium damnorum sibi & suis inde impendentium, ob neglectum sui officii, rei familiaris, sacri die festo, ob damna & injurias aliis illatas, ob stragem ferarum immodicam cum detrimento reipublicæ.

Dicendum 2. Qui venatur contra legem prohibentem, acquirit dominium feræ, nec tenetur illam restituere, etsi ponatur, quod venando theologice peccet, & quidem graviter, ac contra justitiam. Ita auctores communissime, & satis aperte colligitur ex §. feræ 12 Inst. de rer. divis. & lege quod enim 3. §. quidquid autem 2 ff. de acquir. rer. dominio. Probatur prima pars. Per hoc, quod princeps ponatur ligitime, & jure rigoroso prohibere venationem, nondum fit dominus feræ, sed illa adhuc gaudet naturali sua libertate: ergo fera fit primo occupantis, nisi hic aliunde reddatur incapax dominii; atqui venator clancularius non redditur incapax dominii per legem, qua prohibetur venatio, neque per aliam positivam, cum nulla possit ostendi, sed jure positivo potius statutum sit oppositum. Probatur secunda pars. Obligatio restituendi feram neque oritur ex titulo rei acceptæ, quia venator non accipit rem alienam; neque ex titulo injustæ acceptionis; licet enim ponas principem, vel alium habere jus rigorosum venandi non solum libere, & impune, sed etiam simpliciter, & cum exclusione aliorum, nondum ideo habet jus in re, sed ad summum jus ad rem, seu ad feram: ergo venator non tenetur restituere ipsam feram, sed solum, quanti intererat principis ipsius jus non fuisse læsum; sicut emptor secundus non tenetur emptori primo restituere 390

tuere

tuere ipſam rem, ſed tantum obligatur ad intereſſe. Vid. num. 236.

391 Cæterum violatio juris perſonalis ad feras, quod tali caſu ponitur habere princeps, non videtur eſſe injuſtitia gravis, ſaltem niſi edatur notabilis ferarum ſtrages, aut venatio ſit nimia, aut intempeſtiva e. g. quando feræ gravidæ, ut notant Caſtropal. Lug. Haunold. Leſſ. quia unius, aut alterius feræ jactura non eſt notabilis, & ſpes ad hanc numero feram eſt valde incerta; imo principes ordinarie videntur parum curare reſtitutionem, aut reparationem juris læſi, ſed illam remittunt ex magnanimitate, & intuitu pœnæ, quam venator luere debet, ſi deprehendatur, ut advertit ipſe Molina. Aliud eſt, ſi ejusmodi feripetæ deſtruant ſata, ſegetes, vineas, ſepes, aliaque damna inferant. Nam & ipſe princeps, qui habet jus venandi in alieno fundo, ad talia damna compenſanda obligatur, niſi jus venandi cum hoc onere acquiſiverit vel jure belli, vel libero, & non coacto conſenſu populi, qui in damna immodica nunquam conſenſiſſe cenſetur. Unde etiam tenentur cavere principes, ne feræ nimis multiplicatæ agris, aut vineis graviter noceant, neque prohibere poſſunt ſubditis, ne feras abigant a frugibus, aut ſi aliter arcere non poſſint, etiam occidant; ſi enim cuivis licitum eſt ſua defendere contra homines, cur non contra feras? Leſſ. Haunold.

Objectiones.

392 Obj. 1. Bonum publicum exigit, ut venatio prohibeatur in conſcientia: ergo dicendum, quod principes ita prohibeant. Conf. in venatores clancularios ſtatuuntur graviſſimæ pœnæ; ſed hoc non poſſet fieri, niſi venatio eſſet prohibita ſub culpa gravi; hinc S. Auguſtinus lib. 1 de tractatione

ne ait: *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est.* Resp. dist. ant. bonum publicum hoc exigit tanquam utile, trans. ant. tanquam necessarium, neg. ant. & conf. Non omnia illa præcipiuntur in conscientia, quæ præcise sunt de majore utilitate reipublicæ, præsertim si contraria opinio hominum, & consuetudo jam invaluit, utilitas vero reipublicæ aliis mediis procurari potest, qualia in præsenti sunt vigilantia custodum, & pœnæ in fericidas statutæ, quas ejusmodi homines magis curant quam obligationem in conscientia. Ad confir. conc. maj. neg. min. Quando leges humanæ statuunt pœnam tantum temporalem, quantumvis gravem, non semper supponunt culpam theologicam, sed sæpe tantum juridicam, nisi talis pœna aliunde supponat peccatum mortale, uti e. g. excommunicatio. Docent nihilominus Theologi communiter, pœnam mortis, mutilationis, aut aliam æquivalentem esse nimiam, nec ob clancularium venationem juste infligi, nisi aliunde accedat grave damnum, contemptus formalis legum, contumacia post iteratam correctionem &c. Porro S. Augustinus loquitur de pœna proprie tali, & a Deo ob peccatum originale inflicta. Vid. part. 1. num. 562.

Obj. 2. Principes Imperii habent jus utile pro- 393
prietatis venandi privative, illudque obtinuerunt per legitimam præscriptionem, ut præter alios docet Layman; & idem cum proportione dicendum de communitatibus, aliisque Nobilibus respectu suarum ditionum: ergo qui contra prohibitionem venatur, peccat contra justitiam. Confir. Qui alterum privat spe ad rem incertam, jure ipsi debitam, peccat contra justitiam L. nec emptio 8 ff. de contrahenda emptione; atqui fericidæ privant Principem spe ad feram: ergo. Resp. Dist. ant. principes habent hoc jus ita, ut ipsis solis liceat venari simpliciter, neg. ant. ut ipsis solis liceat venari libere, & impune, trans. ant. & neg. conf. Quod principes jus privativum venandi

acquisiverint per præscriptionem, non satis probatur, sed potius videntur illud habere ex tacito consensu subditorum, de quibus non statim potest supponi, quod omni jure venandi simpliciter se abdicare voluerint. Ad confir. dist. maj. Si res debetur illi soli, & simpliciter, conc maj si illi soli non debetur simpliciter, subdist. peccat contra justitiam, qui illum privat tali spe vi, fraude, dolo &c. conc. maj. secus, neg. maj. Quamvis subditi contra justitiam peccarent, si ipsum Principem a venatione dolose, aut violenter impedirent, quia tamen Princeps privative tantum habet jus venandi libere, & impune, ipsius jus strictum non læditur præcise per hoc, quod alii venentur, sed solum sequitur, quod jus venandi subditorum sit ligatum vinculo pœnæ.

394 Dices 1. Principes jus venandi nonnunquam vendunt aliis, vel donant in remunerationem laborum, & meritorum: ergo venatores clancularii lædunt jus emptoris, vel donatarii; nam sicut qui emit fructum speratum ex agris, vel partum animalium, habet jus proprie dictum adversus quemcunque, ne illum impediat ab hoc jure spei, sic etiam emptor, vel donatarius habet jus strictum, ne quis ipso invito venetur. Confir. Quando lex versatur circa jus utile personæ privatæ, in dubio præsumendum est, legem non tantum esse pœnalem; alias hoc jus utile nihil operaretur; hinc L. 9 §. aucupiorum 5 ff. de usufructu, & quemadmodum, dicitur: *Aucupiorum quoque, & venationum reditum Cassius ait libro octavo juris civilis ad fructuarium pertinere.* Resp conc. ant. neg. cons. Qui emit fructum speratum ex agris, aut partum animalium, solet emere jus proprietatis simpliciter, & privative tale, non item qui emit jus venandi, cum Princeps non plus juris possit, ac velit transferre in alios, quam ipse habet. Ad confir. dist. ant. Si ipse legislator prius habuerit jus simpliciter, & privative ad hanc utilitatem, conc. ant. secus, neg. ant.

Ejus-

Ejusmodi emptor, vel donatarius nihilominus habet commodum ſatis magnum, quia vi emptionis, vel donationis ſolus poteſt libere & impune venari, nec plus vult lex addita; imo ſolum videtur loqui de reditu, id eſt, feris aut avibus jam a ſe captis.

Dices 2. Saltem quando principes aliunde ſibi compararunt jus venandi rigoroſum ſimpliciter, ac privative, per venationem ipſis, aut aliis, quibus ſuum jus concedunt, fit injuria: ergo ſaltem tunc feripetæ peccant in conſcientia contra juſtitiam. Confir. Quamvis per occupationem unius, aut alterius feræ non inferatur notabile damnum, ſequeretur tamen graviſſimum ex illicio venandi, niſi venatio ſub gravi culpa, & cum onere reſtitutionis prohiberetur; ob quam ipſam rationem juxta communem ablatio unius, vel alterius aurei graviter eſt prohibita etiam reſpectu Principis. Reſp. diſt. ant. Si Princeps revera velit in conſcientia obligare, conc. ant. ſecus, neg. ant. & conſ. Cum principes, aliique, qui habent jus venandi, videant, obligationem in conſcientia apud feripetas vel parum, vel nihil prodeſſe, ordinarie volunt tantum ſub pœna obligare, vel ſaltem ejusmodi leges non ſunt in majori rigore receptæ. Ad confir. neg. ſequelam; quia hoc illicium ſatis refrænatur per alia media, neque eſt paritas inter ablationem aurei, & occupationem feræ; nam aureus eſt in pleno dominio principis, non item fera adhuc libera, neque Princeps furta minuta tam facile per ſolas pœnas, & media externa impedire poteſt. 395

Obj. 3. Qui venatur in fundo alieno, aut prohibito, facit injuriam domino fundi: ergo non acquirit dominium feræ; *Quando enim initium vitioſum eſt, totus actus vitiatur*. Confir. poteſt legislator fericidam vel ob æquitatem, vel in pœnam incapacem reddere dominii feræ captæ, vel hoc dominium in 396

ipſo capturæ momento transferre in dominum fundi: ergo cenſendum eſt, quod hoc fecerit; *cum juxta* L. 12 ff. *de furtis nemo ex delicto ſuo debeat ſentire commodum, & per ipſam violationem juris alieni jus acquirere.* Reſp. trans. ant. quia hæc injuria non ſtatim eſt gravis; imo nulla, ſi locus eſt patens e. g. ſilva, per quam omnibus licet tranſire, neg. conſ. Ratio addita ad ſummum probat, quod venatio in fundo alieno aut prohibito ſit illicita; jam vero, etſi actus aliquis ſit prohibitus, & alteri injurioſus, ideo non ſtatim eſt invalidus, neque ex omni injuria debetur reſtitutio, præſertim ſub gravi, niſi injuria ſit gravis non ſolum ex modo auferendi, ſed etiam ratione damni, & materiæ ablatæ. Hinc juxta communem pro commiſſo adulterio ſecluſo alio damno non datur obligatio reſtituendi. Ad confir. tranſ. ant. neg. conſ. Rationem additam diſt. Nemo debet ſentire commodum ex ſuo delicto per ſe, ac per ipſam violationem juris qua talem, & formaliter acceptam, conc. per accidens, & ex violatione realiter tali, hoc eſt, ex actione realiter mala, neg. Quando L. itaque 12 ff. de furtis, dicitur: *Nemo ex improbitate ſua conſequitur actionem*, ſenſus eſt, quod nemo ex improbitate poſſit agere in foro externo.

397 Dices 1. Qui committit in legem, nihil juris acquirit; ſed qui venatur contra prohibitionem, committit in legem: ergo. Maj. prob. ex L. Non dubium 5 cod. de legibus, ubi dicitur: *Quæ lege fieri prohibentur, ſi facta fuerint, non ſolum inutilia, ſed pro infectis habeantur.* Confir. Can. Imperiali 13 cauſ. 25 q. 2 dicitur: *Imperiali conſtitutione aperte ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.* Conſonat regula juris 64 in 6: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi.* Reſp. neg. maj. univerſaliter ſumptam, quod enim lex naturalis, & canonica non omnem actum irritet, quem prohibet, eſt clarum; ſic

ſic valet matrimonium contractum cum voto ſimplici caſtitatis, aut ſtantibus ſponſalibus cum alia, aut ſine denuntiationibus, vel etiam clandeſtinum, ubi Tridentinum non fuit promulgatum. De legibus civilibus diſputant Auctores. L. Non dubium,. juxta Layman tantum irritat actus civiliter, non vero naturaliter: juxta Suarium eadem lex eſt pœnalis, adeoque non obligat ante ſententiam judicis. Molina expeditiſſime ait, hanc legem non eſſe univerſaliter in ſuo rigore receptam; quod confirmat communis ſenſus, & praxis; nam omnes judicant, emptorem mercem, & venditorem pretium ſuum facere, etſi vendat mercem peregrinam contra legem civilem prohibentem. Ad confir. Juxta ſacros canones non eſſe idem prohibere, & irritare, patet ex dictis, & cap. 16 de regularibus: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Hinc regula objecta ſolum intelligenda eſt de legibus irritantibus.

Dices 2. Qui piſcatur in aquis alienis, non fit 398 dominus piſcium: ergo. Ant. prob. ex conſtitutione pœnali edita a Carolo V anno 1532, ubi dicitur: *Piſcantes in ſtagnis, & piſcinis furti teneri.* Confir. Qui colligit fructus ex fundo alieno, furatur, & tenetur ad reſtitutionem; ſed feræ ſunt fructus ſilvarum, & piſces ſunt fructus fluminum, ac lacuum: ergo. Reſp. diſt. ant. Qui piſcatur in aquis alienis, in quibus piſces non amplius gaudent naturali ſua libertate, conc. ant. ſi adhuc illa gaudent, neg. ant. & ſub eadem diſtinct. conſ. Conſtitutio Caroli videtur loqui de piſcina, ſtagno ſeu lacu minore, in quibus piſces nullo fere labore poſſunt capi, & naturalem ſuam libertatem amiſiſſe cenſentur. Vel ſi contendas, hanc conſtitutionem etiam comprehendere ſtagna majora, vox furti, vel furis accipienda erit analogice, ita, ut tantum velit piſcationem in ſtagnis alienis puniendam eſſe ob analogiam quam-

dam talis piſcationis cum furto; nam occupatio rei, quæ in nullius eſt dominio, proprie non poteſt dici furtum, nec ſufficienter poteſt probari, quod Imperator jus antiquum voluerit corrigere, vel certe hæc ipſa conſtitutio eſſet lex ſpecialis, quia utilitas ſtagnorum fere unice in piſcibus conſiſtit. Ad confir. diſt. maj. ſi fructus ſint proprie tales, conc. maj. ſecus, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Fructus proprie tales ſunt, qui naſcuntur ex ipſa ſubſtantia fundi, vel alterius rei, uti ſegetes agrorum, poma arborum &c. qui autem tantum naſcuntur in re, aut fundo, uti feræ in ſilvis, piſces in aquis, ſunt tantum fructus improprie dicti.

399 Quæres 1. Cujus ſit fera, ſi unus illam vulnerat, alter capit, unus laqueum ponit, alter eximit? Reſp. Si fera ita eſt vulnerata, vel laqueo irretita, ut moraliter vel propediem ſit moritura, vel ſe non amplius poſſit extricare, eſt vulnerantis, vel laqueum ponentis: ſi vero facile adhuc potuiſſet evadere, eſt capientis, vel eximentis. In dubio, an facile potuiſſet evadere, vel non, Layman exiſtimat, feram eſſe dividendam; Leſſius autem cenſet fieri capientis, vel eximentis, eoquod melior ſit conditio poſſidentis; advertit tamen Haunold, communi praxi, & tacita conventione receptum eſſe, ut ſi quis in fundo alieno ceperit feram, vel laqueum poſuerit, dominus loci non tantum poſſit feram, ſed etiam laqueum, vel quodcunque aliud inſtrumentum, non nimis pretioſum, tanquam bonum caducum auferre, & ſibi reſervare; ſicut viciſſim inter illos, qui habent jus venandi libere, & impune, multis in locis conſuetudo obtinuit, ut feram ictam, & ſanguinantem liceat perſequi etiam extra propriam ſilvam, & diſtrictum, & quidem de jure Bavarico in planitie per duos dies, in montibus vero per tres.

Quæ-

Quæres 2. Quid sentiendum de columbariis, & alvearibus? Resp. Ex consensu mutuo, & consuetudine columbaria esse licita; quamvis enim columbæ in agros evolent, communiter tamen non inferunt notabile damnum, cum non eruant grana latentia, sicut gallinæ, sed solum vescantur jacentibus in superficie, quæ plerumque fructum non ferunt. Hinc non licet, alterius columbas occidere, quamdiu habent consuetudinem redeundi, neque licet per fraudem, aut extraordinarias illecebras procurare, ut hanc consuetudinem deponant, & suis columbis socientur, nisi alicubi excusaret praxis contraria tacito consensu approbata, sicut multis in locis ex tacito consensu licitum est, capere columbas alienum columbarium, quasi sponte, ingressas. Quod ad alvearia attinet, si examen apum e tuo alveari avolat, tamdiu manet tuum, quamdiu adhuc persequeris, & spem probabilem habes recuperandi: si vero nec tintinnabulis, nec aliis consuetis modis amplius se retrahi sinat, aut comprehendi possit, fit primo occupantis. Addit Haunold, si apes videas in arbore tua non solum consedisse, sed etiam mellificasse, animumque habeas illas possidendi, illas jam censeri a te occupatas, tum quia jam deposuerunt consuetudinem ad priorem dominum redeundi, tum quia apes retines in tua arbore tanquam in alveari, & quidem cum animo illas possidendi ut tuas. 400

QUÆSTIO V.

An & quomodo acquiratur dominium, vel saltem libera administratio bonorum incertorum.

Qui bona incerta, sive ex delicto, sive sine delicto habet, tenetur 1 inquirere eorum dominum diligentia morali, & proportionata, id est, tanto majori, pluribus in locis, & longiori tempore, quanto 401

res majoris est pretii. 2. Hæc bona tamdiu debent asservari, quamdiu prudenter sperari potest, dominum adhuc compariturum, vel si sine dispendio servari nequeant, ut contingit in rebus ipsa mora consumptibilibus, debent a possessore absumi, vel aliis vendi, reservato eorum pretio domino forte comparituro. 3. Si dominus compareat, & dominium sufficienter probet, debent ipsi hæc bona vel in se, quando adhuc existunt, vel in æquivalenti, seu illorum pretium restitui. 4. Possessor e. g. inventor nihil potest pro re inventa de jure exigere, sed debet illam integram reddere, nisi forte in re alenda, asservanda &c. sumptus aliquos fecisset, aut in inquisitione facienda operam & laborem pretio æstimabilem posuisset; tunc enim cogi potest dominus ad compensationem actione negotiorum gestorum. Ratio dictorum est, quia, licet nemo ex justitia obligetur rem ab altero amissam recipere in suam curam, supposito tamen, quod eam recipiat, debet id facere animo restituendi, consequenter inquirendi dominum &c.

402 Quæritur jam ulterius, quid detentor bonorum incertorum facere debeat, si adhibita sufficienti diligentia non potuit venire in notitiam domini, neque amplius spes probabilis apparet illum inveniendi; an videlicet tunc detentor ea bona sibi retinere, & de iis disponere possit tanquam de re sua? an vero teneatur ea erogare in pauperes, aliasve causas pias? sicut de bonis incertis ex delicto docet communissima, excepto forte unico Paulo Resmer, qui hanc obligationem restringit ad sola bona incerta ex usuris. Bona quoque incerta sine delicto in pias causas expendi debere, teste Vasquez tenuere omnes antiqui usque ad Dominicum Sotum, & post illum plerique celebriores, ut videre est apud Molinam. Verum de facto sententia contraria certo nititur sufficienti auctoritate; defenditur enim non solum a plurimis in suis manuscriptis, sed a multis impressis, Navarra, Sarmiento

miento, Amico, Haunold, Dicaſtillo, Illſung &c. Eandem probabilem agnoſcunt Tolet. Leſſ. Lug. Vasquez, addens, de S. Thoma non ſatis conſtare, quid tenuerit; favet etiam communis perſuaſio fidelium, qui fortunatos ſe exiſtimant, ſi rem pretioſam inveniunt, nimirum ex ſpe eandem retinendi, ſi dominus non inveniatur.

Dicendum 1. Bona incerta ex delicto non poſſunt retineri ex propria auctoritate, ſed debent expendi in pauperes, vel alias cauſas pias. Ratio primæ partis eſt, quia repugnat æquitati naturali, ut quis ex re aliena cum alterius injuria fiat locupletior, per quod hominibus daretur ingens illicium bona aliena ſuffurandi, vel non inquirendi debito modo, ac tempore in dominos, ex ſpe illorum dominium ſaltem aliquando poſt plures annos acquirendi, quando dominus non amplius poſſet deprehendi. Ratio ſecundæ partis deſumitur ex cap. cum tu 5 de uſuris, ubi Alexander III. ſtatuit, ut uſuræ reſtituantur iis, quibus extortæ ſunt, vel eorum hæredibus; ſi vero iſti non ſuperſint, pauperum uſibus applicentur. In quo decreto quamvis tantum uſurarum explicita mentio fiat, auctores tamen unanimi conſenſu, atque ipſa etiam conſuetudo illud interpretantur de quibusvis bonis incertis injuſte obtentis, aut poſſeſſis; & merito, quia ratio, quam Pontifex ex S. Auguſtino allegat, de omnibus procedit, quod nimirum *non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Conſonat S. Hieron. relatus can. Nemo qui 4 cauſ. 14 q. 5: *Nemo, qui rapit, moriens ſi habet, unde reddat, ſalvatur: ſi eos, quorum fuit, invenire non poteſt, Eccleſiæ, vel pauperibus tribuat.* 403

Dicendum 2 Bona incerta ſine delicto, poſt debitam inquiſitionem domino non invento, poſſunt retineri, & in proprios uſus licite converti. Probatur 404

batur 1 negative; quia nullum habetur sufficiens fundamentum, quod e. g. inventor se ipsum his bonis abdicare, eaque in causas pias erogare teneatur. Prob. 2 positive; quia generi humano, & non solum inventori, sed ipsi etiam domino optabilius est, non dari obligationem ejusmodi bona erogandi in pias causas; nam hac ratione res amissæ facilius recuperari possunt, si adhuc existant indivisæ apud unum inventorem, quam si divisæ jam sint, & applicatæ pluribus pauperibus. Præterea ipsi inventores ex spe retinendi rem, si dominus non compareat, alliciuntur ad ejusmodi res tollendas, & conservandas, quod passim negligeretur, si inventor præter molestum onus inquirendi dominum, & rem inventam conservandi non sine incommodo, ac forte etiam metu, ne trahatur in suspicionem furti, nullum inde aliud commodum referret, quam quod domino non comparente, ulterius subeat obligationem ejusmodi rem expendendi in causas pias. Jam vero, quando agitur de obligatione juris naturæ, qualis ista esset, attendi debet ad hoc, quidnam optabilius sit, & magis expediens, præsertim in præceptis secundæ tabulæ, quæ vel maxime ordinantur ad providam gubernationem, & felicitatem reipublicæ humanæ. Vid. 1 part. num. 43 & 46.

Objectiones.

405 Obj. 1. Pauperes nullum habent jus ad bona incerta ex delicto: ergo ista non debent erogari pauperibus. Conf. Sicut omnis injuria fit certæ personæ, vel certæ communitati, sic omnis restitutio jure naturæ debita debetur certæ personæ, vel communitati: ergo restitutio bonorum incertorum non debetur vage & indeterminate pauperibus, vel indigentibus causis piis. Resp. dist. ant. Pauperes non habent jus ad bona incerta ex delicto ex lege naturæ,

turæ, transf. ant. ex lege positiva usurarium, raptorem, &c. obligante ex justitia, ut talia bona in causas pias eroget, neg. ant. jus naturæ non videtur plus exigere, quam ut malæ fidei possessor bona incerta relinquat dispositioni legitimæ potestatis sive civilis, sive, ut de facto statutum est, ecclesiasticæ, quæ per legem positivam potuit, & voluit jus ad hæc bona tribuere pauperibus, aliisque causis piis indeterminate acceptis; sic quando tibi trado aliquid distribuendum in pauperes, in quos volueris, ex justitia teneris, & nisi distribuas, injuriam facis & mihi, cujus rem retines, & pauperibus in confuso. Ad conf. conc. ant. neg. cons. & suppositum, quod restitutio bonorum incertorum ex delicto etiam quoad applicationem ad causas pias oriatur ex solo jure naturali.

Dices 1. Si injustus possessor ex jure naturæ sibi 406
non posset reservare bona incerta ex delicto, neque Pontifex posset ipsi per transactionem aut compositionem concedere, ut exigua solum parte ad causas pias applicata, maximam sibi retineat; atqui hoc Pontifex potest, & de facto concedit, si habentibus Bullam Cruciatæ aliquid tribuitur ad bellum sacrum, vel redemptionem captivorum inter infideles. Conf. Contra jus naturæ nulla valet præscriptio; atqui bona incerta possunt præscribi, si e. g. Cajus illa bona fide ab injusto detentore emat, & legitimo tempore possideat. Resp. dist. ant. Si bona incerta sibi non posset reservare absolute, & in omnibus circumstantiis, conc. ant. secus, neg. ant. jus naturale solum exigit, ut injustus possessor bona incerta non retineat auctoritate propria, & nisi Pontifex justis de causis aliud statuat. Ad conf. dico, aliud esse, quod non possit præscribi contra ipsum jus naturæ, illud abrogando contrariis actibus; aliud, quod non possit præscribi illa res, ad quam restituendam alias jus naturæ obligat; hoc

enim

enim posterius fit sæpissime, ut patebit de præscriptione.

407 Dices 2. Est domino optabilius, si bona incerta ex delicto maneant apud iniquum possessorem, ut hac ratione facilius possint recuperari; hinc Scriptura Ecclesiastici 34 v. 4 ait: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata*; item v. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Conf. Ponamus verum dominum bonorum incertorum mori sine hærede; hoc casu fiunt bona vacantia: ergo eorum possessor tanquam primus occupans fit dominus. Resp. neg. ant. tum quia iniqui detentores non facile se manifestant, & verum habent animum restituendi, tum quia ex spe hæc bona retinendi longe graviora mala imminerent. Textus Scripturæ loquuntur de bonis inique partis, quorum dominus inveniri potest. Ad conf. transf. ant. neg. conf. Non enim vult natura reos gaudere illo privilegio, quod innocentibus in bona vacantia concessum est, vel certe, si in hoc casu dominium acquireretur, maneret obligatio restituendi personalis; ferme sicut fur miscens pecuniam furtivam cum sua, fit illius dominus, & tamen retinet obligationem personalem restituendi pretium æquivalens. Id docent Less. Molin. Laym. iniquum possessorem, si vere pauper sit, posse bona incerta sibi ipsi applicare titulo paupertatis, & causæ piæ, saltem si spes licite retinendi non fuerit illicium injustæ detentionis, simulque Confessarius, vel alius vir prudens judicet, indigentiam esse sufficientem.

408 Obj. 2. Can. si quid 6 caus. 14 q. 5 ex S. Augustino dicitur: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Similia ibidem habentur can. multi 8 ex S. Hieronymo. Pariter l. falsus, 43 §. 4. ff. de furtis, dicitur: *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit, cujus sit, sive ignorat*: ergo non possunt servari bona incerta sine delicto. Conf. In Hispania Patres de Mercede & Tri-

Trinitarii habent a rege, & a summo Pontifice privilegium bona incerta a possessoribus exigendi etiam sub pœna excommunicationis pro redemptione captivorum. Resp. conc. ant. dist. conf. Si dominus illorum moraliter potest inveniri, conc. conf. secus, neg. conf. Quod SS. Patres plus non velint, fatetur ipse Vasquez, & patet ex contextu; altum quippe apud illos silentium de causis piis, sed volunt, ut res domino suo reddatur. L. falsus, intelligenda est de illo, qui rem inventam sustulit lucri faciendi causa, & non animo reddendi domino. Ad conf. Lex hæc solum est positiva, nec Germanos tangit; imo teste Molina neque apud Hispanos amplius observatur, nisi quoad animalia quædam errantia; statuta autem fuit ob præsumptam negligentiam in domino inquirendo, quem dicti Patres per quatuordecim menses diligenter inquirere debuerunt vi suarum constitutionum. Vid. Molin. D. 749 & 750.

Dices. Si inventoribus sit spes domino non comparente retinendi bona incerta, datur ipsis ansa omittendi diligentiam debitam in domino inquirendo, vel sibi persuadendi, non amplius probabilem esse spem dominum inveniendi; hoc repugnat bono communi: ergo. Conf. Si vendidisti aliquid alteri ignoto, & inadvertenter plus accepisti pecuniæ, quam tibi debebat, non potes retinere hanc pecuniam, sicut illam non posses præscribere, etsi errorem primum deprehenderes elapso triennio: ergo a pari. Resp. neg. maj. nam si inventor omittat diligentiam debitam, eo ipso bona illa fiunt incerta ex delicto, & in causas pias expendi debent, adeoque negligentia nihil prodest inventori, cauteque agendum est, ne quis spe lucri se ipsum decipiat. Ad conf. neg. ant. quod tales pecuniæ non possint retineri; licet forte aliud sit de præscriptione, spectando etiam forum externum, in quo ejusmodi 409

præ-

præſcriptio regulariter ſaltem non admittitur, quia ordinarie non poteſt probari bona fides.

410 Obj. 3. Debet præſumi, quod ipſe dominus velit, ut res perdita, quam amplius recuperare non poteſt, ab inventore applicetur ad cauſas pias; quilibet enim merito præſumitur velle ex re ſua capere utilitatem ſpiritualem, quando ex illa temporalem non poteſt ſperare: ergo inventor tenetur de re inventa diſponere juxta præſumptam voluntatem domini. Conf. Bona vacantia per mortem peregrinorum addicuntur cauſis piis, quia præſumitur hæc eſſe morientium voluntas. Reſp. diſt. ant. Quod dominus hoc velit, id eſt, aliquo modo optet, & deſideret, tranſ. ant. quod ad hoc velit obligare ex juſtitia, & quidem ante eventum omnis caſus particularis, neg. ant. nam de plerisque potius præſumendum eſt, quod nolint inventori tale onus imponere. Adde, quod voluntas ſolum præſumpta domini, & erogatio in cauſas pias, utpote factum alienum, nihil proſit domino ad meritum, deſiderium vero actuale, ut fiat talis erogatio, tantundem ferme meretur, quam voluntas obligandi, præſertim ſi dominus ita ſit conſtitutus, ut nollet rem in pias cauſas erogare, ſi illam iterum poſſet recuperare. Ad conf. De bonis peregrinorum mortuorum eſt ſpeciale ſtatutum, quod non debet extendi ad alias cauſas, præſertim cum morientes non amplius habeant ſpem ſua bona retinendi; imo bona aliorum mortuorum non applicantur cauſis piis, ſed addicuntur fiſco. Vid. num. 381.

411 Dices. Vel ergo inventor poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, & ceſſante omni probabili ſpe dominum inveniendi, ſtatim poteſt de re inventa pro libitu diſponere illam conſumendo, vendendo, donando &c. vel non poteſt ita diſponere? non primum, quia ſic dominus non facilius recuperaret

ret res ſuas, quam in ſententia oppoſita, præſertim ſi inventor illas erogando non fuit factus ditior: non ſecundum, quia ſic inventor nullum referret commodum, ſed potius grave onus rem ſemper conſervandi, ut reddi poſſit, ſi fors præter omnem ſpem dominus compareat. Conf. Qui per nuntium intelligeret, dominum velle, ut bona a ſe perdita expendantur in cauſas pias, teneretur ad hanc erogationem: ergo a pari. Reſp. Inventorem in his circumſtantiis poſſe de re diſponere ad libitum, attamen cum animo, & onere domino præter ſpem comparente reſtituendi rem aut pretium æquivalens, ſaltem niſi interea legitime præſcripſerit. Hac autem ratione dominus res ſuas jam facilius recuperat, nec inventor fraudatur ſuo commodo, quia frequenter contingit, ut dominus non amplius compareat; quodſi inventor per accidens bona fide rem inventam ita abſumat, ut inde non fiat ditior, nulla erit radix, ex qua ad reſtitutionem obligetur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. In caſu poſito conſtat de domino, & ejus voluntate, non item, quando agitur de bonis incertis, ubi potius præſumi debet, quid antecedenter ad eventum omnis caſus particularis magis optabile ſit generi humano.

Quæres 1. An ab eo tempore, quo non amplius eſt ſpes reſciendi dominum, inventor titulo rei derelictæ poſſit incipere præſcriptionem, ita, ut poſt tempus præſcriptionis completum nihil amplius teneatur reddere domino comparenti? Reſp. Quamvis ad præſcriptionem ex titulo pro derelicto ſtricte tali requiratur, ut res non ſit habita pro derelicto a vero domino; nam alias talis res jure gentium ſtatim fieret primo occupantis; cenſent tamen multi cum P. Ininger, res inventas præſcribi poſſe titulo rei derelictæ, ſaltem latius tali; quod ipſum etiam docet Barthol. ex l. Falſus, ſupra cit. §. qui alienum, *Si inventor*, inquiens, *putat rem eſſe habitam pro* 412

de-

derelicto, potest licite retinere, & usurpare titulo pro derelicto, in quantum nempe probabilius existimat rem a vero domino esse derelictam, adeoque a se licite occupari, & retineri tanquam suam. Neque obstat, quod bona inventa etiam elapso tempore præscriptionis adhuc domino adjudicentur; nam id solum fit, quia inventor ordinarie non potest probare, quod egerit bona fide, adhibuerit sufficientem diligentiam; quem in sensum etiam explicatur L. 6 ff. pro derelicto, dum ait, qui falso existimat, rem a domino derelictam esse, non præscribere; ita isti auctores. Verum si res perdita sit magni valoris, nescio, an tam facile possit existimari, a domino esse derelicta; nam animum recuperandi res pretiosas non facile solemus deponere, etiamsi spes recuperationis sit exigua, aut etiam imprudens.

413 Quæres 2. Quid agendum, si dominus primum compareat, postquam bona incerta fuerunt distributa in pauperes, vel aliis causis piis applicata? Resp. 1. Qui bona incerta dat pauperibus, antequam dominum sufficienter inquisivit, tenetur ad restitutionem, etiamsi id fecerit ex consilio confessarii; quia per ipsam negligentiam inquirendi dominum deliquit, nec dominus in talem distributionem consentit, quamdiu datur spes probabilis illum inveniendi. 2. Qui vero bona incerta post sufficientem inquisitionem primum dedit pauperibus, domino comparente ad nihil amplius tenetur, cum nullam commiserit culpam, neque ex tali re factus fuerit ditior. 3. Sed neque ipsi etiam pauperes domino comparenti tenentur aliquid compensare, si res sibi donatas jam absumpserint; quia neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione ad restitutionem obligantur. 4. Idem de pauperibus docent Sotus, Navarrus &c. etiamsi res ipsis data adhuc existat in specie, vel in æquivalenti, quia illam non accipiunt mutuo, sed in eleemosynam, perinde, ac si

ipsi

ipſe dominus talem rem miſericorditer indulſiſſet; verum Molina, Leſſ. Layman, exiſtimant, talem donationem eſſe factam cum tacita conditione, niſi dominus compareat, quod in praxi obſervatur, & tenendum eſt, præſertim ſi res in ſpecie adhuc exiſtens, vel tantum in aliam formam transmutata ſit pretioſa.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit præſcriptio, & quænam ejus proprietates?

PRæſcriptio, & uſucapio in rigore differunt, quod 414
hæc ſit ipſa acquiſitio dominii per poſſeſſionem rei alienæ, illa vero exceptio, quæ in judicio opponi poteſt priori domino, oſtendendo, poſt legitimam uſucapionem ex diſpoſitione juris nullam amplius ipſi competere actionem. In præſenti pro eadem accipiuntur, & per utramque intelligitur acquiſitio dominii vel juris per continuationem poſſeſſionis tempore, ac modo per leges definito; quod dupliciter fieri poteſt; nam quandoque præſcribens acquirit novum jus directe, & jus alienum extinguitur indirecte, ut ſi quis agrum alienum per 10 annos bona fide poſſedit, exiſtimans, eſſe ſuum: quandoque vero directe perimitur jus alienum, & præſcribens novum jus tantum acquirit indirecte, quatenus liberatur ab aliquo onere, ut ſi per præſcriptionem liberatur a ſolvendo debito. In priori caſu dicitur præſcribi ager, jus, ſervitus &c. in poſteriori dicitur præſcribi debito, juri, ſervituti &c. Proprietates ad præſcriptionem requiſitæ his verſiculis continentur:

Non uſu capies, niſi ſint tibi talia quinque;
Æqua fides, juſtus titulus, res non vitioſa,
Ut rem poſſideas, tempus quoque continuetur.

415 Possessio est detentio rei corporis, animi, & juris adminiculo. Dicitur 1. detentio rei aut vera, quae fit manibus, vel pedibus rei insistendo, aut ficta, quae fit per visum, traditione instrumenti, clavium &c. & fictione juris aequivalet apprehensioni verae. Dicitur 2. Adminiculo corporis, & animi; neque enim possessio sola corporali detentione, nec sola voluntate rem habendi ut suam acquiritur, sed requiritur, ut rem apprehendas cum animo habendi ut tuam, sive hoc velis juste, sive injuste. Dicitur 3. Adminiculo juris, non quasi semper requiratur jus detinendi rem, sed quatenus jus non debet resistere positive, rei possessionem prohibendo, & detentorem spoliando privilegiis, possessori etiam injusto alias de jure concessis. Sic possessio rei sacrae non potest acquiri a laico, quia huic possessioni jus positive resistit. Porro quamvis jura, & res incorporales proprie apprehendi nequeant, sed tantum per ipsum usum, & exercitium quasi possideantur, in praxi tamen simpliciter dicuntur possideri, & eorum quasi possessio eosdem habet effectus, quos possessio rerum corporalium.

416 Dividitur possessio praecipue in mere civilem, mere naturalem, & mixtam. Mixta est, quae fit corporis, animi, & juris adminiculo; ut si ingrediaris fundum recens a te emptum, tunc enim illum possides tam civiliter, quam naturaliter. Mere civilis est, quae solum fit animi & juris adminiculo; ut si ex fundo tuo, quem prius etiam naturaliter possedisti, rursus egrediaris nullo ibi custode relicto, quin animum deponas fundum habendi ut tuum. Mere naturalis est, quae solum fit corporis, & animi adminiculo, ut si Cajus in fundum civiliter ad huc a te possessum ingrediatur, etiam illum animo habendi ut suum. His addi potest alia adhuc species possessionis, quae vocatur civilissima, & acquiritur sine ulla apprehensione, quia possessio ex mera benignitate,

&

& civilitate juris tribuitur. Sic quando actor ob contumaciam rei absentis, ex 2 decreto Judicis missus in possessionem bonorum, ob potentiam, vel dolum adversarii actualem illorum detentionem non potest acquirere, actor nihilominus verus possessor efficitur quoad juris effectus & commoda possessionis, ut colligitur ex cap. contingit de dolo.

Quod jam ad præscriptionem requiratur possessio, docet communissima ex regul. 3 juris in 6: *Sine possessione præscriptio non procedit.* Et l. 25 ff. de usurpat. & usucap. *Sine possessione usucapio contingere non potest*; unde in hac materia per modum principii se habet: Qui non est capax possessionis, non est capax præscribendi. Requiritur autem, & sufficit non solum possessio mixta, sed etiam civilis; naturalem enim toto tempore ad præscriptionem requisito actualiter continuare plerumque est moraliter impossibile; si vero sola naturalis sufficeret, possent duo eandem rem simul præscribere, unus per possessionem naturalem, alter per civilem, quod repugnat. Hinc occupans res alienas non potest inchoare præscriptionem, quamdiu dominus rem adhuc civiliter possidet, potest tamen possessio civilis rei immobilis amitti per solam tolerantiam, qua prior possessor illam patitur ab alio detineri, vel si res sit mobilis, per solam ignorantiam, quod ab alio fuerit occupata, eoquod ejusmodi tolerantia, & ignorantia præsumatur esse tacita voluntas possessionem dimittendi, donec contrarium probetur. Oportet præterea, ut præscribens rem sive per se, sive per alium possideat proprio nomine; hinc conductor commodatarius, pignoratorius &c. non possunt præscribere rem locatam, commodatam, oppignoratam &c. neque tutor, vel curator res illas, quas acquirit pupillo.

417

418 Ut res legitime, & bona fide possideatur, præscribens insuper debet habere justum titulum, seu fundamentum, ac causam possessionis de se idoneam ad acquirendum rei alicujus dominium, aut aliud jus quodcunque, uti sunt donatio, emptio, hæreditas, legatum, rei derelictio &c. In genere titulus quadruplex considerari potest : titulus verus est, quando causa apta ad transferendum dominium non solum extitit, sed etiam valida fuit, ut si res a proprio domino vere est empta, donata, &c. coloratus est, quando causa de se habilis extitit quidem, sed propter occultum defectum fuit invalida, ut si res empta, vel dono accepta est ab illo, qui non erat verus dominus, vel non habuit potestatem alienandi. Existimatus est, quando causa nec vere, nec apparenter extitit, inculpabiliter tamen creditur extitisse, ut si quis ab executore testamenti accepit rem tanquam tibi legatam, quæ tamen a parte rei non est legata. Præsumptus est, quando nulla determinata causa potest allegari, & forte non extitit, attamen a jure quæcunque tandem præsumitur extitisse, ut si judicetur hoc prædium esse Titii, quia illud jam a longissimo tempore possedit.

419 Titulus verus ad præscriptionem non requiritur ; nam per illum statim acquiritur dominium rei possessæ, adeoque non amplius datur locus præscriptioni. Titulus coloratus certe sufficit ; accedit enim proxime ad titulum verum, cum ergo hic non requiratur, vel sufficit coloratus, vel nullus alius. Titulus existimatus juxta l. 48 de usurp. & usucap. & l. 5 ff. pro suo, saltem tunc sufficit, si existimatio est justa, neque tantum fundatur in errore facti proprii ; si vero existimatio est injusta, & procedit ex errore, vel ignorantia a legibus reprobata, impedit præscriptionem, ut colligitur ex l. 48 cit. & l. 27 eodem. Titulus præsumptus non sufficit ad præscriptionem ordinariam, 3, 10 aut

20

20 annorum, l. 4 cod. de præſcript. longi temporis, & l. 24 cod. de rei vindicat. Sufficit tamen regulariter ad præſcriptionem extraordinariam 30, 40 vel plurium annorum; quia in hoc ab ipſo jure præſumitur titulus aliquis præceſſiſſe, imo ipſa poſſeſſionis antiquitas fungitur loco tituli; excipe, niſi jus poſitive reſiſtat poſſidenti, aut aliunde ſciatur, vel ſaltem præſumatur mala fides: quodſi poſtea detegatur titulum fuiſſe vitioſum, præſcriptio illi innixa corruit, quia deeſt conditio neceſſario requiſita, & præſumptio debet cedere veritati.

Tempus ad præſcriptionem requiſitum debet eſſe 420
continuum, & pro diverſitate rerum, perſonarum, & titulorum varium eſt; aliquando enim ſufficit tempus breve, quale in præſenti materia eſt omne illud, quod eſt minus decennio: aliquando requiritur tempus longum, quod inter præſentes eſt 10, inter abſentes 20 annorum: aliquando longiſſimum, quale cenſetur 30. vel 40, vel plurium annorum: aliquando omnino immemoriale, de cujus initio memoria non exſtat. In ſpecie variis legibus ſtatuta ſunt ſequentia. Res corporales mobiles tam privatorum, quam eccleſiarum ſive præſentium, ſive abſentium cum titulo colorato, vel exiſtimato præſcribuntur intra triennium; ſine titulo, vel potius cum titulo præſumpto, (nam aliquis titulus ſemper requiritur) intra tricennium, ſeu 30 annos. 2. Res immobiles privatorum, uti etiam jura incorporalia rebus immobilibus adhærentia, vel æquivalentia cum titulo præſcribuntur intra decennium contra præſentes, contra abſentes vero intra 20 annos, ſine titulo ſive cum titulo præſumpto intra 30 annos; quod ſi ille, contra quem præſcribitur, partim præſens, partim abſens fuerit, tempus abſentiæ duplicari debet e. g. ſi quis præſens fuerit 8 annis, & abſens duobus, ad implendam præſcriptionem debent 8 illis annis 4 addi. Porro abſentes in hac materia dicuntur, qui

in diversis territoriis e. g. diversis civitatibus diversos judices, gubernatores &c. habentibus, domicilium habent.

421 Contra ecclesias, monasteria, hospitalia, aliaque loca sacra res immobiles, & jura spiritualia, ac temporalia perpetua præscribuntur 40 annis, nisi detur speciale privilegium, quale habet Ecclesia Romana, contra quam regulariter non nisi 100 annis præscribitur, uti etiam contra monasteria ordinis Cistercienfis in Germania, quod a Leone X & Pio IV extensum est ad omnes ordines mendicantes, ex concessione autem Eugenii IV contra monasteria Ordinis S. Benedicti requiruntur 60 anni; quod intelligendum de præscriptione cum titulo, quando enim certis personis, aut locis conceditur tempus longissimum, hoc debet censeri ordinarium. 2. Præstationes annuæ præscribuntur 30, vel contra Ecclesiam 40 annis, probabilius unica præscriptione ejusdem temporis, incipiendo a tempore, quo prima die omissa est præstatio vel solutio, quia sicut jus illas exigendi unum idemque est, & eodem tempore incepit, sic etiam tota immunitas ejusmodi pensiones solvendi incipit possideri per primam statim omissionem solutionis. 3. Beneficia ecclesiastica, licet annumeranda sint bonis immobilibus, ex dispositione Cancellariæ Apostolicæ regula 33 præscribuntur per triennium, si sint pacifice possessa, cum bona fide, & titulo colorato, nec possessor sit violenter, aut per simoniam intrusus, neque beneficium sit reservatum sedi Apostolicæ reservatione contenta in corpore juris; jus vero patronatus ex dispositione Tridentini sess. 29 c. 9 de reform. tantum præscribitur tempore immemoriali.

422 Servitutes tam reales quam personales cum titulo, vel patientia domini, quæ est saltem loco tituli, præscribuntur 10 annis inter præsentes, & 20 inter

inter abſentes, & eodem tempore obtinetur immunitas a ſervitute, ad quod in ſervitutibus ruſticis ſufficit ſolus non uſus, in urbanis vero requiritur actio, aut factum ex parte præſcribentis e. g. ut bona fide a te obſtruatur foramen pro immittendo in tuas ædes tigno paratum. Quod ſi ſervitute reali uti non liceat pro libitu, ſed certis tantum temporibus e. g. ſolum in æſtate, aut ſingulis menſibus, tempus ſaltem inter præſentes debet duplicari; adeoque 20 annos conficere. 2. Actionibus realibus regulariter præſcribitur eo tempore, quo præſcribuntur res mobiles & immobiles, ac jus reale; actionibus vero perſonalibus civilibus, atque debitis, quæ per illas exigi poterant, ordinarie 30 & contra Eccleſias 40 annis; quamquam aliquæ brevius, aliæ longius tempus ex ſpeciali jure exigant. Actionibus denique criminalibus in ordine ad punitionem præſcribitur 20 annis. Excipe actionem injuriarum, quæ uno anno, actionem doli, quæ biennio, actionem delictorum carnis, ut adulterii, ſtupri, inceſtus, lenocinii, item actionem peculatus, quæ quinquennio extinguuntur; quædam vero crimina valde enormia, uti læſæ Majeſtatis, parricidii &c. nulla præſcriptione tolluntur.

Res vitioſæ hic dicuntur, quæ vel ex natura 423
ſua, vel ex ſpeciali juris diſpoſitione ſunt incapaces præſcriptionis; harum aliquæ omnino nunquam, aliæ ſaltem tempore ordinario præſcribi nequeunt. Primi generis ſunt 1. Homo liber, qui non poteſt fieri ſervus per præſcriptionem. 2. Res & loca ſacra, vel religioſa, uti calices, templa, monaſteria. 3. Res publicis uſibus deputatæ, uti pontes, plateæ, viæ publicæ. 4. Limites provinciarum, diœceſium, parochiarum ſi ſint certi, ſecus, ſi ſint incerti, & dubii. 5. Res pluribus communes pro indiviſo, nam iſtæ a nullo eorum ſeorſim poſſunt præſcribi. 6. Immunitas ab iis, quæ debentur Principi ut tali in recogni-

tionem supremæ Majestatis. 7. Immunitas subditorum ab obedientia, & visitatione superioris, quamdiu illius jurisdictioni subjecti sunt; præscribi tamen potest exemptio a potestate, & jurisdictione superioris, summo Pontifice inferioris, ita ut desinat quis esse illius subditus. 8. Jus primigenium & fundamentale decimandi utpote spirituale non potest præscribi a laicis, bene tamen quasi jus feudale colligendi decimas, in quantum hoc præsumitur auctoritate Pontificis separatum a spirituali, prout fit post possessionem immemorialem. Similiter præscribi potest immunitas a decimis solvendis.

424 Ad secundum genus spectant 1. Res furtivæ, aut vi possessæ, quæ etiam a bonæ fidei possessore tempore ordinario nequeunt præscribi, nisi interea ad suum dominum redierint, & sic vitium fuerit purgatum. 2. Res pupillorum durante ætate pupillari, quæ etiam in præscriptione longissimi temporis computari nequit. 3. Res minorennium; nam anni minorennitatis solum possunt computari in præscriptione extraordinaria 30 vel 40 annorum. 4. Bona adventitia filiorumfamilias, donec emancipentur, quia prius non possunt agere coram judice. 5. Fundus dotalis, nisi præscriptio jam ante tempus constitutæ dotis fuerit inchoata. 6. Res alienari prohibitæ, uti majoratus, fideicommissum, feudum &c. 7. Bona fisco incorporata tantum præscribuntur 40. annis, nondum incorporata & ex delicto debita contra fiscum sæcularem quinquennio, contra Ecclesiam Romana inferiorem 40 annis; si vero aliunde sint vacantia, & nondum denuntiata fisco, sufficit tempus ordinarium, & postquam denuntiata sunt, actioni fiscali quadriennium præfixum est. 8. Quando aliquid legatum, donatum, vel venditum est communitati e. g. provinciæ, civitati, pago, requiritur præscriptio 100 annorum, quod etiam extenditur ad bona, quæ pertinent ad coronam, vel ipsum principatum;

patum; cætera autem principum bona, quæ jure privato ad ipsos pertinent, præscribuntur sicut bona privatorum, quia de his non sufficienter probatur speciale privilegium.

Quæres 1. Quando præscriptio dicatur currere, 425
dormire, aut interrumpi? Resp. 1. Currere sive procedere dicitur, quando adsunt omnia ad illam inchoandam, vel continuandam requisita, ita, ut incipiat a die, quo res bona fide incepit possideri, & compleatur die ultimo temporis a lege definiti. 2. Dormire dicitur, quando legitime inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, sed ita, ut cessante impedimento iterum procedat, possitque tempus subsequens continuari cum præcedente, deducto solum intermedio inutili; ita dormit præscriptio contra ecclesiam sede vacante, contra pupillos, minorennes, &c. & contra quoscunque tempore hostilitatis, aut pestis, quando de ea causa in tali loco jus non dicitur. 3. Interrumpi dicitur, quando ob impedimentum superveniens totum tempus præcedens inutile redditur, & cessante impedimento de novo inchoari debet. Est hæc interruptio vel naturalis, cum deficit unum ex requisitis substantialibus, v. g. bona fides, possessio; vel civilis, quando fit per actum juridicum interpositum e. g. per contestationem litis. Interruptio naturalis impedit præscriptionem respectu omnium, civilis solum respectu illius, qui litem inchoavit, respectu cujus postea exigere videtur 40 annos, ut compleatur; si vero feratur sententia, & actor succumbat, omnino non censetur interrupta præscriptio, ne quivis lite temerarie mota illam possit interrumpere.

Quæres 2. An fiat præscriptio, & acquiratur 426
aliquod jus per res, & actus meræ facultatis, quos videlicet citra ullam conventionem, aut obligationem ex mero arbitrio, vel causa amicitiæ, liberalitatis, famī-

familiaritatis, &c. facimus, vel omittimus. Resp. negative. Colligitur ex l. 2 ff. de via publica, & cap. Abbati 25 de V. S. Ratio est, quia, quod nullam continet obligationem, neque veram, neque existimatam aut præsumptam, etiam nullam ponit obligationem: sed actus meræ facultatis nullam continent obligationem, hoc ipso, quod fiant vel omittantur ex mero beneplacito; sic quamvis frumentum certo molitori frangendum tradas, vinum ex certa taberna emas, per hoc præcise non contrahis obligationem etiam deinceps hoc faciendi. Aliud est, si ejusmodi actus exerceantur cum præsumptione juris ex parte unius, & obligationis ex parte alterius; sic si quis singulis annis certæ personæ uniformiter præstet certam pecuniæ quotam, tunc nisi aliud ex circumstantiis colligi possit, præsumitur eam exhiberi ex obligatione, & talis præstatio non manet actus meræ facultatis, sed est actus obligationis saltem præsumptæ. Idem dicendum de eo, qui jus habet altius ædificandi cum incommodo vicini; si enim hic altius ædificare volentem interpellet, & ille idcirco ab ædificio desistat cum persuasione obligationis, omissio illa non est amplius meri arbitrii, sed necessitatis, & obligationis existimatæ.

QUÆSTIO VII.

An & qualis bona fides requiratur ad præscriptionem?

427 Ex proprietatibus ad præscriptionem requisitis Theologi præcipue considerant bonam fidem, per quam intelligitur dictamen conscientiæ absolute, & moraliter certum, quo quis judicat, se hic & nunc juste agere inchoando, vel continuando possessionem alicujus rei, vel omittendo aliquam actionem, v. g. solutionem debiti. Hujusmodi fidem theologice bonam, sive judicium practicum tam ad inchoationem,

quam

quam ad continuationem præscriptionis requiri, est receptum ab omnibus, & clare deducitur ex cap. finali de præscriptionibus, desumpto ex concilio Lateranensi, ubi Innocentius III ita loquitur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Quæ verba de fide theologice bona accipienda esse, patet ex eo, quod Pontifex alleget textum Apostoli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Ex quo Theologi universim deducunt, ad licentiam cujuslibet actionis requiri dictamen conscientiæ ultimum de licentia actionis hic & nunc ponendæ, & quidem absolutum, ac moraliter certum.

Præterea ex citatis verbis videtur deduci, quod 428 præscribens non possit habere bonam fidem, si in inchoatione vel continuatione præscriptionis habeat conscientiam rei, vel juris alieni. Verum licet hæc scientia ordinarie bonam fidem tollat, quia cum illa ordinarie non datur jus inchoandi vel continuandi possessionem rei, potest nihilominus contingere, ut alicui competat jus possessionis, & præscriptionis etiam cum scientia, quod res sit aliena; sic actor per 2 decretum judicis immissus in possessionem bonorum rei contumacis, illa potest præscribere, siquidem actio contra reum solum sit personalis, nec lis versetur circa illa ipsa bona, in quorum possessionem immissus est; idque multo magis procedit in præscriptione privativa, qua extinguitur jus alienum reale, vel personale, sic actiones pœnales tolluntur per præscriptionem, etiamsi reus certo sciat, quod judex, vel altera pars habeat jus exigendi pœnam. Pariter servitutibus rusticis præscribitur, modo dominus

minus prædii dominantis non utatur jure ſuo, etſi dominus prædii ſervientis jus illud minime ignoret. Unde juxta mentem Pontificis, & Concilii Lateranenſis ſcientia rei, vel juris alieni tunc ſolum vitiat bonam fidem, & præſcriptionem, quando ipſa etiam poſſeſſio rei alienæ ita vitiatur a peccato injuſtitiæ, ut quis agnoſcat, ſe rem poſſidendo, vel aliquid omittendo agere contra juſtitiam; neque præſcriptioni obſunt peccata contra alias virtutes e. g. contra charitatem, ut ſi quidem putes, rem non eſſe alienam, tibi tamen ex charitate incumbere, ut eam relinquas alteri e. g. hæreditatem aliis magis indigentibus.

429 Controverſia jam eſt, an in iis caſibus, in quibus aliunde non datur jus poſſidendi cum ſcientia rei alienæ, ad formandam fidem theologice bonam, & dictamen ultimum practicum, requiratur etiam dictamen ſpeculativum, quo quis ex ratione comparative gravi judicet, rem, quam poſſidet, aut poſſidere cupit, non eſſe alienam: an vero ſufficiat dubium poſitivum, vel etiam negativum, ſitne res aliena, vel non? Judicium ſpeculativum, quo quis poſitive judicat, rem non eſſe alienam, hic dici ſolet fides poſitive bona; dubium vero præſertim negativum, ortum ex defectu rationum ſufficientium ad judicandum de alterutra parte vocatur fides negative bona, quam ad continuandam præſcriptionem ſufficere contra D. Amort docet communiſſima Juriſtarum, & Theologorum. Idem contra plerosque alios de inchoatione tenet Vaſquez, Engel, Schmier, Böcken, Pichler, &c. Procedit autem quæſtio in caſu, quo detentor rei veritatem ſufficienter indagavit, & laborat dubio invincibili; quamquam ſi quis in inquiſitione committat negligentiam ſolum venialiter peccaminoſam, videatur non impediri præſcriptio, quia leves culpæ in rei alienæ poſſeſſione difficulter evitantur, & ideo in cap. finali citato ſolum rejicitur præ-

ſcri-

ſcriptio, quæ absque peccato mortali fieri non poteſt.

Dicendum 1. Ad continuandam præſcriptionem 430
bona fide cœptam ſufficit fides negative bona, ita ut ejusmodi poſſeſſor poſſit rem alienare, vendere, deſtruere &c. ſaltem ut limitant Leſſius, & Molina, ſi emptorem admoneat de dubio, & paratus ſit reſtituere domino, in quantum factus eſt ditior; nam cui conceditur poſſeſſio, etiam concedi debent ea, quæ communiter juſtam poſſeſſionem ſequuntur, ut ſunt uſus, & alienatio rei; alias talis poſſeſſio parum, aut nihil prodeſſet. Probatur concluſio: Per poſſeſſionem bona fide inchoatam melior fit conditio poſſidentis: ergo poſſeſſor non obſtante dubio ſpeculativo, num res ſit aliena, poteſt continuare poſſeſſionem, & formare ſibi dictamen practicum de juſtitia ſuæ actionis, mediante videlicet principio reflexo: Melior eſt conditio poſſidentis, e. g. poteſt dicere: Licet hæc res forte ſit aliena, quia tamen melior eſt conditio poſſidentis, in dubio licite pergo eam poſſidere ut meam. Quod Vaſquez, Salas, Pallav. etiam extendunt ad caſum, quo poſſeſſori probabilius videtur rem eſſe alienam, quia ejusmodi inclinatio, quod res ſit alterius, nondum proprie facit conſcientiam rei alienæ, & poſſeſſio videtur præponderare, vel ad minus æquivalere contrariæ probabilitati, unde conjuncta cum probabilitate, quam pro ſe habet poſſeſſor, prævalet rationibus contrariis, in quibus fundatur dicta major probabilitas.

Dicendum 2. Etiam ad inchoandam præſcri- 431
ptionem non ſemper requiritur fides poſitive bona. Probatur: poteſt quis ſtante dubio poſitivo, vel negativo, utrum res ſit aliena, deponere dubium practicum, & ſibi per principia juris formare dictamen ultimum de juſtitia inchoandi poſſeſſionem, & præſcriptionem, non minus quam in continuatione: ergo

ergo ad præscriptionem non semper requiritur fides positive bona. Ant. prob. Ponamus, quod aliquis mihi offerat rem venalem, de quo ego speculative, & invincibiliter dubitem, utrum revera sit dominus rei, tunc sic possum ratiocinari: nemo in dubio præsumendus est malus, & malæ fidei, nisi probetur: ergo de hoc venditore merito judico, quod saltem sit possessor bonæ fidei, & licite rem vendat, esto, quod forte sit aliena; cum in dubio sit melior conditio possidentis: ergo ego eandem rem etiam licite emo, & incipio possidere ut meam; nam juri venditionis tanquam correlativum respondet jus emptionis, nec ulla est ratio, quare ejusmodi possessor suum jus, & meliorem conditionem nequeat in me transferre. Profecto Innocentius Pontifex in capitulo finali solum requirit, ut præscribens in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ, nec ullum facit discrimen inter inchoationem, & continuationem: ergo sicut in continuatione stante dubio speculativo de proprietate rei potest deponi dubium practicum ob meliorem conditionem possidentis, sic etiam in inchoatione.

432 Declaratur conclusio ulterius. Dicat vir fide dignus post rem aliquam ab initio bona fide a se possessam, supervenisse sibi dubium speculativum, utrum non sit aliena, quod tamen dubium vincere non possit: offerat exposito dubio, & rationibus dubitandi eandem rem venalem Cajo; in hoc casu Cajus licite potest rem emere, & siquidem Titius revera fuit possessor bonæ fidei, hæc bona fides etiam proderit Cajo ita, ut possit uti accessione temporis, seu etiam illud tempus ad præscribendum computare, quo Titius rem possedit, ut tanquam certum tenent gravissimi auctores apud Lugonem. Si vero Titius forte rem possedisset mala fide, nihilominus Cajus id invincibiliter ignorans rem venalem bona conscientia emeret, & præscriptionem inchoa-

choaret; atqui in hoc casu Cajus non haberet fidem positive bonam de proprietate rei, sed stante dubio speculativo, utrum res non sit aliena, posset præscriptionem incipere, & rem ut suam possidere. Quod non raro videtur contingere in praxi; si enim non daretur ratio de proprietate rei dubitandi, quare in emptionibus, & venditionibus tam sæpe exigeretur cautio de evictione? Sane juxta communem Juristarum per emptionem non datur dominium rei nisi conditionatum, sed tantum causa usucapiendi; propterea emptori præcise ratione emptionis non competit vindicatio proprie dicta ante completam præscriptionem, sed tantum actio Publiciana.

Dixi, ad inchoandam præscriptionem non semper requiri fidem positive bonam; non enim nego, dari posse casus, in quibus dubium, præsertim negativum, non sufficit, quando nempe præscriptionem inchoare volens de licentia suæ actionis nullum sibi facere potest dictamen moraliter certum, eoquod pro ipso nullum stet principium juris, aut alia justa causa, ob quam se alteri præferat; sic e. g. per occupationem non potest inchoari præscriptio, nisi res positive judicetur derelicta. Idem est, quando quis tantum laboraret ignorantia crassa, vel haberet dubium practicum; hæc enim in foro theologico æquiparantur scientiæ, quia in operante non magis excludunt peccatum, quam scientia rei alienæ. Hinc nihil contra nos probant ejusmodi exempla, quæ, ut advertit P. Pichler, ab adversariis poni solent. Quid vero dicunt ad hunc casum? Cajus bona fide agrum possidere cœpit, emptum a Sempronio: cœpta jam possessione Cajo oritur dubium, an iste ager non potius spectet ad Titium pupillum; in hoc casu non potuit inchoare præscriptionem, quæ contra pupillum durante ætate pupillari non currit: an ergo Cajus etiam finita ætate pupillari Titii stante dubio speculativo præscri-

ſcriptionem inchoare non po erit? an pro ipſo non æque ſtat poſſeſſio bonæ fidei, quam pro alio, qui præſcriptionem continuat?

Objectiones.

434 Obj. 1. Bona fides ad præſcribendum requiſita, nihil aliud eſt, quam bona conſcientia, ſeu judicium, quo quis judicat, ſe rem aliquam juſte poſſidere; atqui qui dubitat, utrum res non ſit aliena, non habet judicium, ſed potius conſcientiam dubiam, cum qua non licet operari. Conf. Capitulum finale, aliique textus juris non agnoſcunt medium inter poſſeſſorem bonæ, & malæ fidei: ergo etiam non datur medium inter fidem poſitive bonam, & ſimpliciter malam. Reſp. conc. maj. diſt. min. Qui dubitat, habet conſcientiam ſpeculative dubiam, conc. min. practice dubiam, ſubdiſt. niſi per principium reflexum ſe reſolvat, conc. min. ſi ſe reſolvit, neg. min. Etiam juxta nos præſcribens nunquam operatur licite cum dubio practico, attamen ſtante dubio ſpeculativo de proprietate rei poteſt ſibi formare dictamen ultimum moraliter certum de licentia ſuæ actionis, & ſic operatur ex fide. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. An aliquis ſit poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, dependet ab ultimo dictamine practico, quod cum ſemper adeſſe vel abeſſe debeat, poſſeſſor neceſſario erit bonæ, vel malæ fidei; at dictamen ultimum practicum formari poteſt non ſolum, quando præceſſit judicium de proprietate rei; ſed etiam quando proprietas eſt dubia, ut in probationibus oſtendi.

435 Dices. Quando poſt continuatam aliquot annis poſſeſſionem proprietas rei ſit litigioſa, durante hac lite poſſeſſor non præſcribit, neque in foro externo fides negative bona illi prodeſt: ergo neque poſſeſſor præſcribit, quando res per dubium ſpeculativum

ſit

sit litigiosa in foro conscientiæ. Conf. Quamvis capitulum finale statuat, quod scientia rei alienæ vitiet præscriptionem, per hoc non determinat, quod negatio talis scientiæ universim sufficiat, & discrimen inter inchoationem, & continuationem possessionis aliunde colligitur. Resp. conc. ant. neg. conf. Quamdiu pendet lis, in foro externo pro neutra, parte habetur aliquod judicium, adeoque mirum non est, quod in eodem foro hoc tempus pro possessore non computetur; in foro autem interno ipse possessor stante dubio speculativo potest sibi formare judicium: ergo sicut in foro externo præscriptio non censetur interrupta, si pro possessore feratur sententia, sic etiam in foro interno non interrumpitur, quamdiu res externe non sit litigiosa, & ipse possessor de justitia suæ possessionis potest judicare. Ad conf. saltem meæ rationes probant, quod capitulum finale mihi non adversetur, nec fidem bonam magis requirat in inchoatione, quam in continuatione, inter quas sufficiens discrimen aliunde allatum necdum vidi.

Obj. 2. Qui dubitat, utrum res sit aliena, nec 436
ne, non habet ullam rationem, aut justum titulum se præferendi aliis: ergo inchoando possessionem rei se exponit periculo lædendi jus alterius, quod est iniquum. Sic si testator aliquis fecit legatum, & dubium est, an Titio, vel Cajo, alteruter, qui occupat legatum, agit inique. Conf. Judex in dubio non potest uni patri attribuere totum sine iujuria alterius: ergo multo minus homo privatus. Resp. neg. ant. Titulus justus se præferendi aliis est possessio illius, a quo rem accipit, & præsumptio juris, stans pro possessore, tum ipse contractus emptionis, vel alius similis. Hinc dist. conf. Se exponit periculo jus lædendi alterius materialiter, conc. conf. formaliter, subdist. nisi deponat dubium practicum, conc. conf. secus, neg. conf. Quamvis ta-

lis emptor forte lædat jus alterius, non tamen peccat, nec agit formaliter, & in conſcientia injuſte, ut ipſi adverſarii dicere debent de continuante præſcriptionem. Aliud eſt de legato, quod Cajus nec poſſeſſione, nec ſpeciali juris præſumptione ſuffultus arriperet, Titio eundem titulum habente. Ad conſ. diſt. ant. Si pro neutra parte ſtet adminiculum juris e. g. poſſeſſio, & præſumptio, conc. ant. ſecus, neg. ant. Tunc enim judex illi parti, pro qua ſtat præſumptio juris, & poſſeſſio, totum debet adjudicare, ut adeo paritas potius ſit pro nobis; ſicut etiam reſpondere debent adverſarii de continuatione præſcriptionis.

437 Dices. Qui in caſu a nobis poſito vellet inchoare præſcriptionem, tantum emeret poſſeſſionem rei; atqui poſſeſſio non poteſt emi, neque eſt titulus dominii: ergo. Conſ. Ipſa poſſeſſio eſt detentio rei, cum animo illam habendi ut ſuam: ergo non poteſt dari ſine fide poſitive bona. Reſp. neg. maj. In caſu noſtro non ſola poſſeſſio, ſed etiam ipſa res emitur, & quidem aliquo modo valide, quippe juxta l. 28 de contrah. empt. emptio valet, modo emptor non ſciat, rem eſſe alienam. Idem adhuc clarius oſtenditur l. 34 §. 3 eodem, ubi §. 4 additur: *Rei ſuæ emptio tunc valet, cum ab initio agatur, ut poſſeſſionem emat, quam forte venditor habuit, ut in judicio poſſeſſionis potior eſſet.* Hinc etiam primum membrum minoris non eſt verum. Quamvis autem per poſſeſſionem non ſtatim acquiratur dominium proprietatis, acquiritur nihilominus titulus uſucapiendi, & per poſſeſſionem debito modo, & tempore continuatam etiam proprietas rei. Ad conſ. diſt. ant. Poſſeſſio eſt detentio rei cum animo illam habendi ut ſuam, id eſt, cum animo re utendi ut ſua, conc. ant. quaſi aliquis poſitive deberet judicare, quod actu ſit ſua, neg. ant. & conſ.

conf. Ratio refponfionis patet ex numero 436 & paritate cum continuante præfcriptionem.

Obj. 3. Nemo poteft fibi arrogare proprietatem alicujus rei, nifi habeat rationem faltem probabilem, quod fit fua; atqui negative dubitans de proprietate, ne quidem habet rationem probabilem, quod fit fua: ergo. Conf. Qui inchoat præfcriptionem, fe habet per modum actoris, qui debet probare, rem fibi competere; continuans vero fe habet inftar rei, qui non debet probare: ergo inter inchoantem, & continuantem non eft paritas. Refp. dift. maj. Nemo poteft fibi arrogare proprietatem alicujus rei abfolute, nifi habeat &c. conc. maj. conditionate, fubdift. nifi aliunde habeat caufam fufficientem, conc. maj. fi aliunde habeat, neg. maj. & fic proportionaliter dift. min. neg. conf. per emptionem, ut num. cit. advertimus, non ftatim acquiritur abfolutum dominium rei, quia forte res poteft effe aliena; acquiritur nihilominus caufa rem ufucapiendi, unde fufficit, fi inchoans præfcriptionem poffit rem jufte, ac licite emere, & habeat hanc animi præparationem, quod iftam rem ftatim velit facere fuam, fi non fit aliena, fi vero aliena effet, illam interea ut fuam poffidere, donec poffeffione debito tempore & modo continuata eandem præfcribat, & abfolute fuam faciat. Ad conf. dift. ant. Inchoans fe habet per modum actoris, qui tamen in noftro cafu onus probandi rejicit in dominum, tranf. ant. aliter, neg. ant. & conf. Sicut continuans præfcriptionem onus probandi rejicit in dominum, quia melior eft conditio poffidentis, fic idem facere poteft inchoans in noftro cafu, quia melior eft conditio venditoris, quam per venditionem in emptorem transfert. 438

Dices. Multa funt licita in continuatione pof- 439
feffionis, quæ non licent in inchoatione; fic puella,

quæ fide positive bona nupsit viro reipsa alieno, & uxorato, superveniente postea dubio speculativo invincibili, an vir non sit alienus, potest pergere in matrimonio, licet cum tali dubio illud initio contrahere non potuisset, ut habetur can. Si virgo 5 caus. 34 q. 1. Conf. Si Titius mihi velit vendere horologium, & ego ex una parte sciam, neminem præsumendum esse malum, nisi probetur: ex altera vero parte oriatur rumor non omnino vanus, Titium esse furem, & sublatum alicubi fuisse horologium, non possem illud emere: ergo. Resp. dist. ant. Si inchoans possessionem non habet æque sufficiens fundamentum deponendi dubium practicum, quam continuans, conc. ant. si habet, neg. ant. In exemplo addito ante matrimonium contractum nulla stat præsumptio juris, aut possessio pro puella, sed potius prius matrimonium est in possessione contra illam, adeoque non habet sufficiens fundamentum deponendi dubium practicum, quod in ordine ad inducendam fidem malam scientiæ æquiparatur. Ad conf. dist. ant. Non possum illud emere, antequam sufficienti diligentia indagavi veritatem, conc. ant. si indagavi, subdist. si rationes suadentes, Titium esse furem, sunt tam graves, ut præsumptionem juris pro ipso omnino elidant, conc. ant. secus, neg. ant. & retorqueo in continuante.

440 Obj. 4. Quando juxta nos per principia juris extrinseca potest formari dictamen practicum, per illud semper evertitur fides negative bona, & inducitur positive bona: ergo. Ant. prob. Quandocunque possum judicare, quod aliquis sit possessor bonæ fidei, hoc ipso etiam possum judicare, quod res non sit aliena; sed sic evertitur fides negative bona. Conf. Hæc argumentatio: Titius potest licite vendere: ergo Cajus licite emere, non est universaliter bona; potest enim contingere, ut Titius nesciat, rem esse alienam, Cajus vero sciat, vel aliunde

aliunde ſit incapax incipiendi poſſeſſionem. Reſp. neg. ant. Ad prob. tranſ. maj. neg. min. Licet inchoans præſcriptionem juxta noſtra principia ſemper poſſet judicare, quod res non ſit aliena, quod univerſaliter neutiquam videtur eſſe verum, cum rerum dominia ſint difficillimæ probationis; hoc tamen judicium non eſt neceſſarium, ſed ſufficit, ſi judicem, venditorem eſſe poſſeſſorem bonæ fidei, per quod judicium fides negative bona neutiquam evertitur, ſed manet adhuc totum dubium ſpeculativum de rei proprietate, & utrum res a parte rei non ſit aliena, eodem prorſus modo, ſicut in continuatione. Ad conf. diſt. ant. Non eſt univerſaliter bona, ſi ex parte ementis per accidens deficiat bona fides, vel aliud neceſſarium requiſitum ad formandum dictamen practicum, conc. ant. Si nihil horum deficiat, neg. ant. & ſuppoſitum, quod in noſtris caſibus aliquid deficiat.

Dices. Saltem quando probabilius eſt, rem eſſe 441
alienam, præſcriptio non poteſt inchoari, vel continuari; nam in tali caſu præſcribens non poteſt judicare, rem non eſſe alienam, & quando agitur de præjudicio tertii, non licet ſequi ſententiam probabilem contra probabiliorem. Reſp. Noſtras concluſiones ſalvas eſſe, modo præſcriptio poſſit inchoari, & continuari cum dubio negativo, vel poſitivo, quando rationes in utramque partem ſunt æque probabiles. Multo minus dicimus, præſcriptionem procedere, caſu, quo ob rationes probabiliores aliquis abſolute judicaret, rem eſſe alienam; ſi vero præſcribens pro neutra parte abſolutum judicium ferat, ajunt Auctores num. 430 relati, non eſſe neceſſarium, ut quis ex principiis directis judicet, rem non eſſe alienam, modo ex reflexis judicare valeat, ſe illam licite poſſidere ut ſuam, neque illicitum eſſe ſententiam probabilem contra probabiliorem etiam cum præjudicio ter-

tertii ſequi, ſi major hæc probabilitas per alia juris principia elidatur.

QUÆSTIO VIII.

Utrum præſcriptio etiam valeat in foro conſcientiæ?

442 QUamvis olim de jure civili tolerata fuerit præſcriptio, ſi mala fides ſupervenit poſſeſſioni bona fide cœptæ, item præſcriptio temporis longiſſimi cum mala fide inchoata, ut colligitur ex l. 3 & 4 cod. de præſcript. 30 vel 40 ann. hoc tamen poſtea a jure canonico correctum eſſe, conſtat ex quæſtione præcedente. Unde præſens quæſtio ſolum procedit de præſcriptione cum bona fide, tempore, ac modo a legibus requiſito cœpta, ac continuata, utrum videlicet, qui rem legitime præſcripſit, illam bona conſcientia retinere poſſit, etiamſi poſt completam præſcriptionem innoteſcat, illam fuiſſe alienam, & dominus compareat? an vero illam ultro teneatur reddere priori domino, licet illi in foro externo negetur actio contra præſcribentem, uti contendebant quidam antiqui cum Roſella, quos de facto ſequuntur multi Galli & Belgæ. Alii cum Adriano, & Medina docuerunt, præſcriptionem tunc ſolum valere pro foro conſcientiæ, quando interceſſit culpa prioris domini in re ſua conſervanda, & recuperanda. Alii denique cum Bartholo dixerunt, per præſcriptionem ſolum acquiri dominium utile, non vero directum rerum immobilium.

443 Dicendum. Præſcriptio etiam valet pro foro interno. Ita contra auctores citatos hodie communiſſima Theologorum, & Juriſtarum. Probatur. Reſpublica potuit velle, & actu voluit, ut plenum rei præſcriptæ dominium transferatur in præſcribentem:

tem: ergo præscribens completa præscriptione potest illam retinere in conscientia, cum res non amplius sit aliena, sed propria præscribentis. Ant. quoad 1 membrum patet; nam respublica, aut princeps habet dominium altum in bona subditorum, adeoque illorum dominium potest ab uno transferre in alium, si ratio boni publici exigat: atqui nisi præscriptio valeret in foro interno, 1. dominia rerum fere semper manerent incerta. 2. Possessor deberet perpetuo timere, ne rursus amittat rem possessam. 3. Multiplicarentur lites, non sine perturbatione reipublicæ, & molestia tribunalium. 4. Homines redderentur negligentes in juribus suis conservandis, ac defendendis. Hi fines ab ipsis legibus assignantur, & longe melius obtinentur, si non solum in foro externo negetur actio contra præscribentem, sed ipsum quoque dominium rei præscriptæ in eundem transferatur; imo sine hac translatione finis primo loco indicatus omnino obtineri non posset.

Alterum membrum antecedentis colligitur ex 444
ipsis legibus, quæ passim dicunt, quod usucapio sit adjectio dominii; quod vi præscriptionis rerum dominia acquirantur &c. idque asserunt simpliciter, & sine ulla limitatione ad dominium tantum utile, aut forum internum; imo l. 4 cod. de præscript. 30 vel 40 ann. præscribens dicitur *plenissima munitione securus*. Ipsum quoque jus ecclesiasticum, quod maxime attendit ad conscientiam, has leges approbat, & solum damnat præscriptionem cum mala fide, & peccato injustitiæ attentatam. Imo quidam cum P. Schmier existimant, præscriptionem habere vim transferendi dominium ex jure naturali, eoquod lumen rationis dictet, id faciendum esse, quod bonum publicum exigit. At licet valde conveniens, & bono publico expediens sit, ut lege positiva translatio dominii statuatur, hoc non ita absolute videtur esse necessarium, ut a jure naturali immediate exiga-

exigatur. Hinc alii cum P. Pichler, Inninger, &c. docent, præscriptionem quoad substantiam esse juris gentium, quæ ad vitanda bella iis, qui diu quiete possederunt certas provincias, regna &c. tribuunt eorum dominium, licet forte iniquo modo adepti sint possessionem; quoad præsentem vero formam, & proprietates requisitas præscriptio est juris civilis, & canonici.

Objectiones.

445 Obj. 1. Nemo debet locupletari cum jactura alterius, neque innocens privari bonis suis, ut colligitur ex regul. 48 in 6 & suadet æquitas naturalis; atqui hoc juxta nos fieret per præscriptionem: hinc Justinianus Novell. 9 illam vocat *impium præsidium*. Conf. *Tempus non est modus introducendæ, vel tollendæ obligationis* l. 44 §. 1. ff. de oblig. & actionibus: *& id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit*, regul. 11 ff. de reg. jur. Resp. dist. maj. cum jactura alterius injusta, conc. maj. justa, neg. maj. Cum leges ex justis causis ita disponant, ut prior dominus incurrat jacturam rei suæ ab alio legitime præscriptæ, jacturam illam non patitur injuste, & quia ista privatio bonorum non est mere pœnalis, sed legalis, illam etiam innocens juste incurrit. Justinianus loquitur de præscriptione malæ fidei, quæ tunc pro foro externo tolerabatur; si tamen hæc constitutio novella non est suppositia. Ad conf. Præscriptio vim transferendi dominium non habet ex solo cursu temporis, sed ex possessione continuata per tempus lege definitum cum justo titulo & bona fide: regula autem objecta locum non habet in iis, quæ fiunt potestate legis, in quam ipsi subditi tacite consentire censentur, hoc ipso quod velint esse membra reipublicæ.

Dices

Dices 1. Leges præscriptionis fundantur in præ- 446
sumptione negligentiæ prioris domini; nam cap. vigilanti 5 de præscript. dicitur, illam institutam esse *ad vitandam miserorum segnitiem*: ergo ubi negligentia non intervenit, præscriptio non habet locum; ubi enim nulla culpa, nulla incurritur pœna, & lex fundata in præsumptione falsa non obligat. Conf. Judex dominium rei, de qua litigatur, uni parti tantum adjudicat conditionate, si nempe vera sint allegata, & probata: ergo idem potest dici de legibus præscriptionis. Resp. transf. ant. neg. conf. Quia finis hic nec unicus, nec præcipuus est, neque capitulum dicit, præscriptionem institutam fuisse ad *puniendam*, sed ad *vitandam* segnitiem, adeoque habet potius rationem cautelæ, quam pœnæ. Addit hoc ipsum capitulum, præscriptionem etiam fuisse institutam *ad vitandum longi temporis errorem, & confusionem,* ne scilicet dominia rerum maneant incerta. Adeoque leges præscriptionis ad summum partialiter fundantur in præsumptione, & quidem non in præsumptione alicujus facti particularis, sed periculi generalis, ne homines fiant negligentes; lex autem fundata in præsumptione universali obligat, etsi factum particulare non subsistat. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Sententia judicis fundatur in præsumptione facti particularis, leges vero præscriptionis absolute conferunt plenum dominium præscribenti, eumque faciunt plenissima munitione securum.

Dices 2 Leges non tantum minoribus, sed etiam 447
quibusdam majorennibus concedunt restitutionem in integrum, si satis probent, se non ex negligentia, sed ob justum impedimentum non interrupisse præscriptionem: ergo præscriptio absente negligentia non valet, præsertim cum tantum sit exceptio, quæ in priori domino videtur supponere jus agendi saltem directum. Conf. l. 13 §. 1 ff. de jurejur. dicitur; *eum, qui juravit, fundum suum esse, post*

longi temporis præscriptionem etiam utilem actionem habere debere: ergo præscribens tantum acquirit dominium utile. Resp. Transf. ant. neg. conf. Ex eo, quod leges quibusdam personis ex commiseratione, vel alias grave ob causas concedant restitutionem in integrum, non sequitur, quod hæc universaliter faciant; potius ex hac restitutione in integrum infertur, dominium per præscriptionem ab altero acquisitum fuisse, cur enim alias opus esset rescissione a judice facienda? Pariter hoc ipso, quod prior dominus exceptione præscriptionis ab agendo possit repelli, sequitur ipsi jus nullum agendi competere. Ad confir. Lex non dicit, eum, qui juravit, tantum habere actionem utilem, sed etiam utilem, scilicet præter directam; imo in hac lege solum sermo est de actione, quæ juranti competit ratione præstiti juramenti, ac vocatur actio in factum.

448 Obj. 2. Nemo potest in alium transferre dominium, quod ipse non habet; sed respublica non habet dominium bassum proprietatis in bona subditorum. Confir. Constitutio Tridentini sess. 25 de Regularibus c. 19, quæ monasterio post elapsum quinquennium concedit præscriptionem contra Religiosum, ne is amplius possit prætendere nullitatem professionis, non procedit pro foro interno; nam posito, quod professio reipsa ob defectum ætatis, metum parentum &c. fuerit nulla, religiosus in conscientia non obligatur ad servanda vota: ergo. Resp. dist. maj. Quod ipse non habet formaliter, nec eminenter, nec virtualiter, conc. maj. quod solum non habet formaliter, neg. maj. Respublica habet dominium bassum in bona subditorum eminenter; nam dominium altum in hoc ipso consistit, quod exigente bono publico possit bona subditorum dividere, & ab uno in alium transferre. Quatenus vero subditi ex tacito consensu in leges rationales dispositionem sui dominii pro exigentia boni communis reipublicæ relinquunt, respublica hoc dominium habet vir-

virtualiter. Ad confir. trans. ant. quia circa id, contra quod præscribit monasterium, nempe quod professus non amplius possit reclamare, præscriptio procedit pro foro interno, & monasterium hanc exceptionem optima conscientia potest repellere, neg. conf. Ut aliquis fiat religiosus, essentialiter requiritur consensus ipsius religiosi, ut autem transferatur dominium unius in alterum, non necessario requiritur consensus subditi, sed ipsa respublica vi dominii alti illum potest supplere. An autem, & quando religiosus professionem invalide emissam, nec intra quinquennium ratificatam teneatur postea ratificare, vel potius consensui prius invalido substituere validum, explicat Sanchez lib. 7 de matrim. q. 27 num. 46.

Dices. Ex una parte possessor rei alienæ laborat 449
mala fide, quando certo cognoscit, illam esse alterius: ex altera parte lex naturalis, quam civilis non potest abrogare, obligat ad rem domino suo restituendam: ergo. Confir. Si præscriptio introducta esset propter bonum publicum, nemo privatus posset illius beneficio renuntiare, quia privatus non potest renuntiare favori ob bonum publicum concesso. Resp. dist. ant. Laborat mala fide, si ante completam præscriptionem cognoscit, rem fuisse alterius, conc. ant. si primum post completam præscriptionem cognoscit, fuisse alterius, neg. ant. & suppositum, quod tunc res adhuc sit prioris domini. Hinc siquis rem a se præscriptam priori domino restitueret ex ignorantia sui juris, ac dominii acquisiti, posset illam juste repetere, quia tantum restituit conditionate, si adhuc prioris domini sit; neque ignorantia juris manifesti obest, si agitur de damno rei acquisitæ vitando, sed tantum quando agitur de bono acquirendo. Ad confir. Bartholus, Greg. Lopez &c. concedunt sequelam, sed videtur repugnare praxis, cum sæpe inter nobiles ineatur pactum, ne e. g. castrum inter ipsorum familias præscribi possit. Hinc alii dicunt, utilitatem

litatem privatam separari posse, & per ipsum pactum de non præscribendo separari a publica, præsertim cum sic dominia non fiant incerta, sed certo maneant penes priorem possessorem. Quidquid de hoc sit, quæro ex adversariis, an privatus privilegio præscriptionis renuntiare possit pro foro externo? quidcunque respondeant, applicari poterit etiam pro foro interno.

450 Quæres adhuc 1. An ad præscriptionem sufficiat fides respective bona? Resp. Probabilius non sufficere, si sit tantum respective bona circa personas, ut si quis scienter detinet rem Petri, invincibiliter putans, esse Pauli, non detenturus, si sciret esse Petri. Ratio est, quia talis non obstante errore suo invincibili habet conscientiam rei alienæ, & graviter peccat. Jus canonicum autem universim reprobat omnem præscriptionem, quæ sine peccato mortali contra justitiam fieri non potest, & absolute requirit, ut quis nulla parte temporis habeat conscientiam rei alienæ. Aliud est, si quis habeat fidem respective bonam circa res, & titulos diversos e. g. bonam fidem respectu ususfructus in re aliena, malam respectu proprietatis; bonam respectu unius partis fundi, malam respectu alterius; tunc enim mala fides conjuncta non obstat, quo minus aliquis possit præscribere eam partem rei, aut juris, cujus comparatione habet fidem absolute bonam.

451 Quæres 2. An ad præscriptionem sufficiat bona fides fundata in errore, aut ignorantia invincibili? Resp. Affirmative, loquendo de errore, vel ignorantia facti, vel juris tantum dubii. Aliud est, de ignorantia juris manifesti; hæc enim probabilius ad præscriptionem non sufficit, saltem regulariter, & tempore ordinario; nam ita expresse statuunt l. 4 ff. de juris, & facti ignorantia, l. 3 ff. de usurp. aliæque leges civiles, a jure canonico approbatæ. Cum igitur

igitur præscriptio totam vim suam ab his legibus habeat, ad præscribendum etiam pro conscientia necessaria est fides non tantum theologice, sed simul civiliter & juridice bona. Dixi tamen 1 regulariter; nam in quibusdam personis jura tolerant ignorantiam juris etiam manifesti. Tales personæ sunt milites, & minorennes, quibus aliqui addunt mulieres, rusticos, aliosque rudes, saltem quando certant de damno vitando. Dixi 2. ad præscribendum tempore ordinario; quia cum pro præscriptione extraordinaria, & longissimi temporis ipsa diuturnitas inducat præsumptionem tituli, probabilius ipsi non obstat ignorantia juris licet manifesti. Nam juxta jus civile talis præscriptio currit etiam cum mala fide, jus canonicum vero leges civiles tantum correxit quoad fidem theologice bonam.

Quæres 3. An bona fides auctoris prosit, & 452
mala obsit successori in ordine ad præscribendum. Resp. 1. Bona fides auctoris prodest successori tam universali, quam particulari, ut possit uti accessione temporis, quia auctor successori rem tradit cum omni jure, quod ipse habuit. 2. Mala fides auctoris de jure communi nocet successori universali immediato, ita ut neque possit uti accessione temporis, neque de novo inchoare præscriptionem saltem ordinariam, & ex solo titulo hæreditatis, sive deiu succedat in totam hæreditatem, sive in partem; nam talis successor censetur fictione juris una eademque persona cum auctore, & una civiliter utriusque iniqua possessio; aliud est de hærede mediato; cum enim jura non admittant duplicem fictionem ex eodem capite, hæres mediatus non amplius censetur esse eadem persona cum primo auctore, consequenter poterit inchoare præscriptionem, modo hæres immediatus habuerit bonam fidem theologice talem. 3. Successori singulari, qui succedit ex alio titulo quam hæreditatis, non nocet mala fides auctoris, quo minus possit inchoare

choare præscriptionem a tempore propriæ possessionis bonæ fidei. Excipiuntur res furtivæ, & successor in re immobili, qui contra dominum ignorantem solum potest præscribere tempore extraordinario. 4. Multo minus mala fides tutoris, procuratoris, aut prælati nocet pupillo, principali, aut monasterio, ut colligitur ex variis legibus, quæ videri possunt apud P. Schmalzgrueber.

PARS III.

DE JUSTITIA.

453 Omissis aliis significationibus, secundum quas justitia modo pro gratia sanctificante, aut charitate, modo pro complexo omnium virtutum, aut qualibet virtute morali ad alterum accipitur, nos illam consideramus prout est virtus quædam cardinalis & communiter definitur constans ac perpetua voluntas cuique jus suum tribuendi. Sensus est, quod justitia sit habitus constanter & efficaciter inclinans voluntatem ad reddendum in quocunque eventu, unicuique jus suum passivum, vel positive ponendo aliquam actionem alteri debitam, vel negative omittendo actionem alterius juri contrariam. Per verba cuique differt justitia ab iis virtutibus, quæ non sunt ad alterum; sicut enim nemo sibi proprie potest inferre injuriam, sic neque erga se ipsum exercere justitiæ actum. Hinc qui defendit bona sua erga injustum aggressorem, aut alteri suadet, ut sibi debitum solvat, solum agit juste negative, quatenus nulli infert injuriam, quando autem tutor sibi ipsi solvit debitum ex bonis pupilli, consideratur ut duplex moraliter persona. Per reliqua verba tribuendi jus suum, distin-

diſtinguitur juſtitia etiam a virtutibus ad alterum, quæ vel non reddunt æquale, vel iſtud non reddunt ut jure debitum. Sic pietas erga parentes non poteſt reddere æquale pro vita accepta, gratitudo autem erga benefactorem poteſt quidem reddere æquale; ſed hoc non reddit, neque a benefactore exigi poteſt tanquam jure debitum.

Quotuplex ſit juſtitia?

454 Species juſtitiæ quatuor aſſignari ſolent, videlicet juſtitia legalis, vindicativa, diſtributiva & commutativa. Juſtitia legalis ſive generalis eſt conſtans & perpetua voluntas, quo membra communitatis jus ſuum minus rigoroſum tribuunt communitati qua tali, promovendo illius bonum, & avertendo malum. Dicitur legalis, quia procuratio boni communis maxime obtinetur per obſervantiam legum. Quamvis autem membra communitatis obligentur proſpicere bono communi, & quidem ſubinde cum incommodo proprio, non tamen obligantur jure rigoroſo, tum quia communitati non tribuunt, quod illius erat proprium, ſed tantum faciunt, quod præcipitur, neque ad plus obligantur, quam hic & nunc præſtare poſſunt, tum quia jus iſtud non oritur ex proprio beneplacito communitatis, ſed ex ipſa rei natura, in quantum ratio naturalis dictat, ut pars procuret bonum totius; hinc læſio talis juris non importat obligationem reſtitutionis, niſi ſimul violetur juſtitia commutativa inferendo damnum reipublicæ.

455 Juſtitia vindicativa eſt conſtans, ac perpetua voluntas, qua quis in publica authoritate conſtitutus reo decernit ac infligit pœnam delicto proportionatam, id eſt talem, quæ vel a legibus ſtatuta eſt, vel prudentum judicio ſufficiens, ac neceſſaria ad homines communiter abſterrendos a tali delicto. Hæc virtus

tus videtur esse tantum analogice justitia, quia alteri proprie loquendo non tribuit aliquod jus ne quidem minus rigorosum; cum utique reus, si proprie loquamur, non habeat jus ad pœnam exigendam, sed tantum obligationem illam sustinendi. Eadem tamen virtus aliquo modo imitatur justitiam, in quantum etiam est ad alterum & intendit quandam æqualitatem inter pœnam & delictum; quodsi hanc æqualitatem excedat, & infligat pœnam vel nullo delicto præcedente, vel justo majorem, degenerat in crudelitatem, & est injustitia commutativa erga reum, habentem jus rigorosum, ne ipsi infligatur pœna delicto major; si vero delicta omnino dissimulantur, vel justo minus puniuntur, committitur vitium conniventiæ, simulque actus injustitiæ commutativæ erga rempublicam, quia judex ex officio & quasi contractu obligatur per punitionem scelerum avertere damna reipublicæ.

456 Justitia distributiva est constans & perpetua voluntas cuique proportionaliter tribuendi jus suum minus rigorosum, quod habet ad bona communitatis, quæ duplicis sunt generis; aliqua enim directe & immediate distribuuntur in utilitatem particularem ipsorum civium, ut ligna, sylvæ, agri, fundi, pecuniæ ac reditus ex ærario publico singulis annis distribuendi inter cives juxta cujusque dignitatem. Alia directe & immediate tendunt in utilitatem ipsius communitatis uti officia publica tam sacra quam profana; hæc enim distribuuntur, ut ecclesia vel respublica habeat idoneos ministros. In utrisque debet servari æqualitas inter meritum & præmium, ita ut distributio bonorum communium in plures fiat juxta proportionem saltem geometricam meritorum, res autem indivisibilis e. g. beneficium conferatur magis digno, alias peccatur contra justitiam distributivam, & committitur iniqua acceptio personarum, quamquam ipsæ personæ privatæ per se, & secluso speciali

pacto

pacto non habeant adversus communitatem jus rigorosum ad tale officium, sed solum aliquam prærogativam & aptitudinem majorem; neque enim a communitate recipiunt, quod illarum erat proprium, sed quod proprium erat communitatis.

Hinc quamvis etiam contra justitiam distributivam graviter peccari possit, si officium aliquod conferatur indigno, vel minus digno, per se tamen non datur obligatio aliquid restituendi digniori præterito, quia ille ante promotionem neque habuit jus in re, neque ad rem. Certe non videmus, quod dignus aut dignior prætermissus coram judice persequatur jus suum, vel privatim urgeat restitutionem. Nihilominus sæpe contingit, ut per iniquam distributionem simul violetur justitia commutativa, & sic concomitanter obligatio restitutionis oriatur. Uti 1, quando ex promotione indigni vel minus digni oritur damnum reipublicæ, imo quilibet distributor, aut elector accipiendo officium promotoris ex quasi contractu se obligat ad rite fungendum officio suo, & non promovendum indignum. 2. Quando distributio aut electio fit per concursum; tunc enim, nisi expresse aliud constet, fit quasi contractus onerosus, & collator dignissimo tacite promittit, quod ipsum velit cæteris præferre, si suam super alios prærogativam palam faciat. 3. Quando inter milites juxta proportionem meritorum & dignitatis distribuuntur stipendia, quando fit partitio steurarum, vectigalium, aliorumque onerum; uti etiam quando distribuuntur bona communia principaliter ordinata in utilitatem civium, quia respublica personis privatis ordinarie tribuit jus rigorosum ad talia bona, proportionatum ipsorum meritis. 457

Justitia commutativa est constans ac perpetua voluntas cuique tribuendi jus suum, rigorosum ad æqualitatem. Dicitur commutativa, quia potissimum 458

locum habet in commutationibus & contractibus. Ejus proprietates sunt. 1. Quod tribuat jus rigorosum proprietatis, quale etiam dari potest ad solutionem anticipatam, aut pretium summum supposito quod aliquis per contractum ad hoc se obligaverit. 2. Quod intendat æqualitatem non præcise geometricam, sicut justitia distributiva, sed arithmeticam inter duas quantitates veluti terminos inter se adæquandos, ut videlicet tantum tribuatur, quantum acceptum est, aut debetur saltem proxime; nam etiam debitor 100 fl. solvens tantum 50 exercet actum justitiæ formalem, si paratus sit etiam solvere reliquos, quando poterit, & debebit. 3. Quod debeat procedere ex bonis saltem ex titulo justitiæ aliunde non debitis; si enim Paulo debes 50 ex mutuo & alios 50 ex empto, non satisfacis solvendo tantum 50; quia sic non adæquas debitum. Aliud est, si nuntius a duobus ob diversa negotia e. g. Augustam missus ab utroque potest accipere duo æqualia stipendia, quia opus præstitum est æque utile, sive fiat pro pluribus sive pro uno. Addunt aliqui 4, quod justitia non debeat fieri ex bonis alienis, aut ipsius creditoris. Verum si Titius tibi donet centum, & tu postea illis debitum apud Titium contractum expurgas, utique exerces actum justitiæ; sicut etiam fur restituendo bona ablata, depositarius reddendo depositum &c.

459 Ex his facile colligitur, quomodo justitia commutativa differat a reliquis. Nam justitia legalis disponit partem ad totum, & pro objecto formali habet specialem honestatem, relucentem in procuratione boni communis, in quantum hoc a membris debetur communitati. Justitia distributiva & vindicativa ordinant totum ad partem, & prioris objectum formale est honestas, quæ relucet in distributione bonorum communium juxta dignitatem & merita singulorum; posterioris vero honestas commensurandi pœnam delicto. Justitia denique commutativa

tiva ordinat partem communitatis ad partem, & pro objecto formali habet honestatem, tribuendi alteri jus suum ad æqualitatem. Præterea sola justitia commutativa tribuit per se & formaliter aliis jus suum rigorosum, cujus violatione infertur injuria proprie dicta, & inducitur obligatio restitutionis; quando autem obligatio restitutionis videtur oriri ex reliquis speciebus justitiæ, id solum fit materialiter & concomitanter, quatenus una cum illis etiam concurrit justitia commutativa.

Quodnam sit subjectum justitiæ commutativæ?

Cum creaturæ irrationales neque ex proprio suo 460
beneplacito aliquem obligare, neque ex speciali honestate justitiæ cuipiam jus suum tribuere valeant, patet subjectum justitiæ commutativæ esse solas naturas rationales, de quibusdam tamen etiam ex his posset dubitari e. g. an justitia commutativa possit intercedere inter patrem & filium, dominum & servum &c. qui considerari possunt vel præcise secundum se, prout sunt duo homines, vel prout specialem habent obligationem ex titulo paternitatis, filiationis, aut servitutis. Per servos autem hic non intelliguntur illi, qui pro mercede operam suam dominis locant, & ideo servi conductitii aut vulgo famuli & ancillæ vocantur: neque servi adscriptitii, & originarii, qui ratione originis suæ dominis personaliter devincti sunt. Sed dubium tantum moveri potest de servis stricte dictis, qui contra naturalem suam libertatem dominio alterius ita subjecti sunt, ut juxta rigorem legum nullum habeant dominium bonorum externorum, sed quidquid lucrantur, domino lucrantur, a quo etiam instar brutorum vendi possunt.

Quæres 1. An possit dari justitia commutativa 461
inter patrem & filium, servum & dominum, maritum & uxorem? Resp. 1. Cum obligatio circa ea, quæ

pater & filius præcise titulo paternitatis & filiationis sibi debent, uti sunt paterna gubernatio, educatio, reverentia & obedientia filialis &c. non fit ex jure rigoroso, & proprio beneplacito, sed ex ipsa natura rei constat, inter filium & patrem qua talem non dari justitiam commutativam. Datur illa nihilominus inter patrem & filium qui tales quoad famam vel certa bona fortunæ, ad quæ ipsis jus rigorosum competere dixi p. 2 num. 294. Resp. 2. Pariter non datur justitia commutativa inter dominum, & servum qua talem, quia servus seu mancipium in jure non tam consideratur ut persona, quam ut res & instrumentum domini non habens distinctum dominium bonorum externorum, nequidem suarum actionum. Si vero servus & dominus considerentur qui tales, sunt personæ etiam civiliter distinctæ, habentes distincta jura proprietatis in corpus, famam ac certa bona fortunæ, & sic unus alteri potest obligari ex justitia commutativa. Resp. 3. Hæc ipsa intercedere potest inter maritum & uxorem non solum qui tales, sed etiam in certis casibus inter eosdem qua tales; nam ex ipsa ratione conjugii datur inter illos jus rigorosum ad debitum conjugale, fidem thori, rectam dotis & familiæ administrationem, ad quæ per pactum conjugale se mutuo obligarunt. Videantur etiam dicta p. 2 a num. 283.

462 An possit dari, & defacto detur justitia commutativa hominis erga Deum? Resp. Affirmative. Nam Deus habet absolutissimum dominium & perfectissimum jus proprietatis in omnes creaturas: ergo potest hominem ad aliquid obligare ex suo beneplacito in proprium commodum, scilicet gloriam suam extrinsecam, atque ita obligare est obligare ex justitia commutativa, cui etiam homo potest adæquate satisfacere, saltem proxime, quantum Deus hic & nunc titulo juris rigorosi exigit. 2. Quando homo Deo aliquid promittit sub conditione

quasi

quasi onerosa e. g. quando se obligat ad jejunium sub conditione, si Deus tribuat sanitatem, impleta conditione homo obligatur ad jejunium ex jure rigoroso, & quasi aliquo contractu: ergo implendo suam promissionem exercet non tantum actum religionis, sed etiam justitiæ commutativæ, & Deus ex utroque titulo hunc actum acceptat. 3. Deus defacto habet jus proprietatis ad suum honorem & in vitam hominis: ergo qui Deum blasphemat, vel innocentem occidit, infert Deo injuriam & committit injustitiam proprie dictam, cum ex nullo capite constet, quod Deus ista tantum prohibeat jure jurisdictionis & jure proprietatis in actu secundo quasi renuntiet.

Quæres 3. An Deus defacto quoad omnia sua 463
præcepta obliget ex justitia commutativa, ita, ut quælibet transgressio legis Divinæ sit injuria Dei proprietalis. Resp. cum Suario & communi contra Lugonem aliosque affirmative. Nam 1 in S. Scriptura transgressio legis divinæ passim & illimitate dicitur injustitia, injuria, iniquitas, inhonoratio Dei tanquam supremi domini &c quæ locutiones non nisi in sensu minus proprio veræ essent, si Deus per sua præcepta non obligaret ex jure rigoroso proprietatis. 2. Quando Deus aliquid præcipit, plerumque etiam allegat titulum supremi dominii; sic præceptis Decalogi præmittit: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Apud Prophetas passim legitur: *Hæc dicit Dominus.* SS. Patres quoque transgressionem mandatorum Dei communiter vocant injuriam, pro qua debetur satisfactio. 3. Ex una parte certum est, quod Deus habeat supremum jus proprietatis in omnes actiones creaturarum. Ex altera parte non probatur, quod hoc jure cedat, sed solum ex jure jurisdictionis obliget, quando aliquid præcipit: ergo dicendum est, quod semper etiam obliget jure proprietatis. Neque tamen ideo malitia injustitiæ per se loquendo debet

 ex-

exponi in confessione, tum quia satis intelligitur imbibita in omni peccato, tum quia peccans ad illam non advertit, aut se conformare potest sententiæ oppositæ satis probabili.

464 An etiam possit dari, & de facto detur justitia commutativa DEI erga hominem? Respondent Suarez, Vasquez, Gormaz, Bellarm. Valent. Viva, & hoc teste communior contra Lug. Ant. Mayr &c. affirmative, quia Scriptura passim adhibet eos loquendi modos, qui in proprio sensu significant Deum obligari ex justitia commutativa ad reddendam homini gloriam cœlestem pro operibus bonis; nam vita æterna frequenter dicitur bravium, denarius, corona justitiæ, merces &c. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum,* ad Rom 4 v 4. Eodem modo loquuntur SS. Patres: *non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ,* S. Aug lib. de nat. & grat. c. 2. *Præmium justis est promissum ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum,* S. Bern. lib. de gratia, & lib. arbit.; hinc etiam Tridentinum sess. 6 c. 16 in Deo accurate distinguit duplex debitum: *Nam bene operantibus,* inquit, *proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis misericorditer promissa* (en debitum fidelitatis) *& tanquam merces ex ipsius DEI promissione fideliter reddenda;* en debitum justitiæ. Merces enim quæ datur post impletam conditionem onerosam bonorum operum, pertinet ad justitiam commutativam: sicut ergo Deus vitam æternam homini promisit sub conditione onerosa, sic in Deo impleta hac conditione oritur obligatio justitiæ commutativæ ad promissionem suam implendam.

465 Dices 1. SS. Patres passim negant, quod in Deo detur strictum debitum, & obligatio justitiæ rigorosæ erga homines; hinc dicunt vitam æternam esse gratiam, & non debitum. Confir. Etsi Deus homini pro-

promiserit remissionem peccati sub conditione onerosa, si agat pœnitentiam, tamen non obligatur ex justitia remittere peccatum, postquam homo hanc conditionem implevit: ergo neque tenetur ex justitia justis propter sua merita dare vitam æternam. Resp. dist. ant. SS. Patres negant in Deo dari debitum strictum, & obligationem justitiæ ante liberam DEI promissionem, conc. ant. post illam, neg ant. Cum Patres obligationem justitiæ modo in Deo negent, modo affirment, optime per distinctionem a nobis datam conciliantur; quando igitur vitam æternam dicunt esse gratiam, plus non volunt, quam quod sit gratia radicaliter, in quantum videlicet vita æterna dependet a gratia quam Deus liberrime nobis confert, imo vita æterna etiam positis meritis nobis debita non esset, nisi accedente insuper liberali promissione Dei. Ad confirm. transf. ant. neg. conf. pœnitentia peccatoris non est conditio onerosa sed potius aliqua dispositio ad impetrandam promissam peccatorum veniam; nam conditio onerosa proprie dicta debet habere proportionem aliquam condignitatis ad rem promissam, qualem non habet pœnitentia cum venia peccatorum, bene autem merita hominis justi cum præmio vitæ æternæ.

Dicis 2. Si Deus homini obligaretur ex justitia, impleta conditione onerosa non amplius illi posset vitam æternam negare: ergo non amplius haberet perfectissimum dominium, ad quod requiritur absoluta potestas de qualibet re creata pro libitu disponendi. Conf. Quia tali modo Deus se abdicaret dominio suo, quod antea habuit. Resp. dist. ant. non amplius posset negare vitam æternam impotentia antecedente, neg. ant. impotentia consequente liberam suam voluntatem, conc. ant. & neg. conf. Deus concedit homini jus ad gloriam, & ipsam gloriam per decretum liberrimum, per quam nihil perdit de suo dominio, sed illud actu exercet: hinc quod po- 466

 tentia

tentia consequente vitam æternam non amplius possit negare, tam parum obest perfectissimo illius dominio, quam quod stante liberrimo decreto aliquid faciendi non possit amplius facere oppositum. Ad conf. neg. sequelam. Decretum liberum in Deo non est actus transitorius, sicut in creaturis, sed semper perseverat. Itaque sicut homo, dum actu sedet, se non abdicat potentia & libertate standi, quia illam actu exercet; sic Deus nunquam se abdicat suo dominio, sed ab æterno illud semper exercet, & per hoc ipsum exercitium homini communicat aliquod jus in gloriam, quod tamen omnino est diversi ordinis, essentialiter subordinatum dominio divino, & essentialiter dependens ab actuali ejusdem exercitio, ut adeo Deo nullam necessitatem antecedentem imponere valeat.

467 Dices 3. Ad perfectum dominium requiritur, ut dominus possit rem suam concedere, vel negare absque injuria alterius; atqui juxta nos impleta conditione homini non amplius posset negare vitam æternam absque injuria: ergo. Conf. saltem dominium DEI esset præfectius, si esset illimitatum ab omni obligatione justitiæ, & absque injuria alterius de qualibet re posset disponere etiam potentia consequente. Resp. dist. maj. ut possit rem suam concedere vel negare absque injuria potentia antecedente, conc. maj. etiam consequente, neg. maj. & sic dist. min. cons. Modo Deus semper habeat potentiam antecedentem vitam æternam sine injuria negandi; in sensu composito decreti semper retinet perfectissimum dominium; hoc ipso quod decretum, quo se hominibus obligat, Deo semper sit liberrimum. Ad conf. neg. ant. ad summam perfectionem dominii sufficit, quod non possit restringi vel impediri per legem superioris, vel jus alterius, independens a voluntate DEI, tametsi ad quasdam dispositiones consequenter necessitetur per rectitudinem justissimæ volun-

voluntatis suæ; quare posse negare gloriam in sensu composito, aut potentia consequente ad obligationem in Deo esset potentia chimærica, & summa imperfectio.

Dices 4. Homo non potest Deum sibi obligare 468
in commodum proprium, tum quia Deus necessario omnia ad suam gloriam ordinat; cum quia ex libertate DEI omnia dependent; adeoque non tam homo Deo, sed ipse Deus sibi obligationem imponeret. Conf. Homo est essentialiter servus DEI; sed servus non potest habere jus rigorosum adversus Dominum: ergo. Resp. dist. ant. homo non potest Deum sibi in proprium commodum obligare primario, & independenter a voluntate DEI, conc. ant. aliter, neg. ant. rationes additæ tantum probant, quod obligatio justitiæ sit a Deo primario, & commodum hominis non sit illius finis ultimatus, adeoque homo habeat tantum jus rigorosum dominio DEI plene subordinatum; hoc autem non obstat, quo minus homo Deum possit obligare secundario, & in proprium suum commodum tanquam finem immediatum sui juris. Ad conf. conc. maj. dist. min. servus non potest habere jus rigorosum adversus dominum, nisi dominus ultro sub conditione onerosa se obliget ad aliquid servo præstandum, transf. min. secus, neg. min. &c. Servitus essentialis hominis ad Deum non consistit in hoc, quod Deus illi nequeat communicare jus aliquod in aliquam rem, sed in eo, quod creatura non possit habere ullum jus non essentialiter dependens a formali exercitio dominii divini. Cæterum pleraque debent solvi in obligatione fidelitatis, qua juxta adversarios Deus post suam promissionem hominibus obstringitur.

DISPUTATIO I.

De restitutione in genere.

469 RESTITUTIO in sensu latiore significat quamcunque redditionem debiti, aut rei alienæ, sive dein per acceptationem aut detentionem illius læsum fuerit jus alterius, sive non. Sic dicimur restituere etiam tunc, quando reddimus mutuum pignus, aut depositum; sed nos restitutionem accipiemus in sensu strictiore, in quo definiri solet reparatio juris rigorosi alterius injuste læsi, seu quod sit actus justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum alteri injuste illatum. Differt a satisfactione, quod restitutio fiat pro damno, & respiciat debitum justitiæ commutativæ, satisfactio autem proprie fit pro injuria, & potius ad justitiam vindicativam pertinet; unde potest uni ex his juribus satisfieri manènte altero: sic videmus furca plecti etiam eos, qui integre restituerunt ablata. Ut igitur ex aliqua actione oriatur obligatio restituendi, non sufficit sola injuria sine damno, neque damnum quodcunque, sed simul concurrere debent sequentes conditiones.

470 Ut 1 actio sit damnosa, & quidem effective; qui enim solum proponit, aut tentat alterum spoliare rebus suis, a parte rei autem nullum damnum infert, nihil tenetur restituere. 2. Injusta videlicet formaliter, vel saltem materialiter; nam pro damno juste, & sine læsione juris rigorosi illato nulla debetur restitutio, ut si rem legitime præscripsisti. 3. Injusta non solum interne, sed etiam externe; hinc non tenetur ad restitutionem mercator, qui ex odio & invidia vendit merces suas pretio viliori, ut alii mercatores emptoribus careant. Ratio est, quia venditio externa non repugnat juri rigoroso aliorum, & eodem modo fuisset connexa cum damno, etsi optima

optima intentione fuisset facta; intentio vero interna secundum se damnum non causat, utpote quod sine illa existeret. 4. Injusta & damnosa per se; sic quamvis homicidium a te commissum imputetur Titio, & ideo ipse patiatur damna, nihil teneris illi restituere, nisi quod forte debuit compensare occisi hæredibus, quia actio tua per se non erat injuriosa Titio, sed damnum secutum est mere per accidens ex errore hominum, qui ut ponitur sine tua cooperatione & culpa ex aliis causis Titio homicidium imputarunt.

QUÆSTIO I.

Quot & quænam sint radices restitutionis.

PEr radicem restitutionis denotatur ratio illa, seu 471
titulus, ex quo oritur obligatio restituendi. A Juristis quinque assignantur, nempe res accepta, delictum, quasi delictum, contractus, & quasi contractus. Theologi cum S. Thoma duos tantum statuunt, videlicet rem acceptam, & injustam acceptionem; quia his solum modis lædi potest jus alienum. Nam 1 jus alterius lædi potest per injustitiam solum materialem, id est, absque peccato formali ob invincibilem errorem, ignorantiam &c. & talis læsio pertinet ad rem acceptam, per quam intelligitur quæcunque res aliena adhuc existens vel formaliter in se ipsa, vel æquivalenter in alio, per quod accipiens factus est ditior. 2. Jus alterius lædi potest per injuriam formalem sive per actionem formaliter injustam & peccaminosam, & hæc læsio spectat ad injustam acceptionem, neque assignabilis est casus, in quo obligatio restituendi non saltem reductive oriatur ex alterutro, vel utroque hoc titulo, intellige de jure naturæ, & secluso speciali pacto, lege positiva, aut sententia judicis: si enim e. g. Titius

tius rem ſuam tradit commodatam Sempronio, adjecto pacto compenſandi rem, etſi caſu fortuito pereat, Sempronius obligatur ad compenſationem damni, licet neque interveniat titulus injuſtæ acceptionis, neque titulus rei acceptæ.

472 Quod rem acceptam attinet, ipſa æquitas naturalis poſtulat, ne quis cum alterius damno locupletetur, ſed ſi plus habet, quam vi juris ipſi competit, illud reddat alteri, qui exinde minus habet, quam de jure ipſi debetur; alias non ſervaretur medium rei ſeu æqualitas realis perfecta, quam juſtitia ex officio ſuo intendit, neque diu ſtare poſſet commercium, pax & tranquillitas humana. Unde qui rem alienam vel formaliter vel æquivalenter poſſidet, etiamſi ſine ſua culpa acceperit, ſtatim debet illam reſtituere, poſtquam certo cognovit illam eſſe alterius, alias fieret malæ fidei poſſeſſor, teneretur que etiam ex injuſta acceptione. Si tantum incipit dubitare, utrum res ſit aliena, juxta dicta de præſcriptione manet in poſſeſſione, debet tamen ſufficienti diligentia inquirere in veritatem & dominum rei. Si denique jam ante exortum dubium rem abſumpſit etiam illicite e. g. eam expendendo in luxum, dummodo non interceſſerit formalis injuſtitia contra dominum, ſolum tenetur reſtituere in tantum, in quantum factus eſt ditior ex ipſa re aliena parcendo interim ſuis: e. g. qui bona fide conſumpſit vinum Titii 6 fl. æſtimatum, parcens interea magis pretioſo, quod comparaſſet 12 fl. Titio tantum debet reſtituere 6 fl. nam ſic damnum illatum jam compenſatur ad æqualitatem, neque majus lucrum provenit ex re aliena cauſaliter, ſed tantum per accidens & occaſionaliter.

473 Obligatio reſtituendi ex injuſta acceptione pariter ex jure naturæ oritur, cum utique nemo juribus ac rebus ſuis privandus ſit præciſe propter ini-

qui-

quitatem & malitiam alterius; ſed ſicut ad felicitatem reipublicæ neceſſarium eſt, ne res aliena per furta, rapinas &c. auferri poſſit, ita neceſſarium eſt, ut damna aliis injuſte illata reparentur, eaque potius ferat lædens utpote reus, quam læſus innocens. Imo obligatio ex injuſta acceptione longe gravior eſt, quam ex re accepta; quippe ex re accepta non obligaris, niſi illa adhuc exiſtat formaliter vel æquivalenter; ex injuſta autem acceptione debes reſtituere, etſi res non amplius exiſtat, nec inde ullum temporale commodum ſed potius damnum retuleris e. g. ſi malitioſe incendiſti horreum alterius, & dein incendium latius ſparſum etiam domum tuam corripuit. Porro etiam poſſeſſor bonæ fidei nihil poteſt exigere pro reſtitutione rei alienæ, alias dominus cogeretur emere rem ſuam, quod iniquum. Excipitur caſus, quo aliquis rem alterius modico pretio emit, cum animo eam reddendi domino, ad quem alias non amplius ſperabatur reditura; ſi enim venditor non amplius poſſit conveniri, cenſetur dominus ad tale pretium reddendum obligatus ex quaſi contractu, quem quivis tacite inire præſumitur cum utili negotiorum ſuorum geſtore.

Colliges 1. Qui rem alienam bona ſide donavit 474
alteri, non tenetur ad reſtitutionem, ſi non fuiſſet donaturus aliam, ſi hac caruiſſet, quia rem alienam neque amplius habet in ſe, neque in æquivalenti. 2. Qui rem propriam commutat cum re aliena, tenetur iſtam reddere domino, quia licet non fuerit factus ditior, res tamen aliena adhuc formaliter exiſtit. Neque refert, quod forte pati debeat jacturam rei propriæ; hoc enim vel ſuæ qualicunque negligentiæ, vel caſui fortuito imputandum eſt. 3. Qui rem alienam ſibi donatam vendidit Titio, domino comparenti tenetur reſtituere acceptum pretium, niſi ille rem ipſam poſſit vindicare; qui vero rem bona ſide emptam æquali pretio Titio vendidit, domino

domino comparenti ad nihil tenetur, quia in hoc casu non est factus ditior. Quod si dominus rem suam a Titio vindicet, uterque venditor tenetur pretium reddere emptori bonæ fidei, quia venditor emptori bonæ fidei tenetur de evictione. 4. Si Titius rem bona fide vendidit Cajo, eandem ementi mala fide, & pretium donet Sempronio, nec Titius nec Sempronius ad ullam restitutionem tenetur, quia neuter ex re aliena factus est ditior, non Titius, ut patet: non Sempronius, quia pretium illud, quod accipit, non fuit alienum, sed vere in dominio donantis, eoquod emptor sciens rem esse alienam, pro quocunque ejus usu dominium pretii absolute vult in venditorem transferre, licet dominium mercis in ipsum non transeat, ut colligitur ex l. 28 ff. de contrahenda emptione.

475 Quæres 1. An ad restitutionem obligetur, qui e. g. occidit equum Titii amici sui, per errorem invincibilem judicans esse equum Caji sui inimici. Ratio dubitandi est, quia in hoc casu obligatio restitutionis neque videtur oriri ex re accepta, quæ nullo amplius modo existit; neque ex injusta acceptione, quia damnificator Titium tantum læsit materialiter, cum nesciverit esse Titii, & si scivisset, omnino non occidisset. Resp. Talem damnificatorem probabilius ad restitutionem teneri; quamvis enim laboraverit ignorantia accidentali erga personam, adeoque Titio nullam intulerit injuriam formalem explicite, & sub ratione hujus determinatæ personæ, quia tamen cognovit equum esse alienum, jam intulit injuriam formalem Titio saltem implicite, & sub aliqua ratione, in quantum cognovit se injuste lædere dominum illius equi, quisquis demum sit. Neque excusatur, quia noluisset occidere equum, si scivisset illum esse amici sui; nam volitioni huic conditionatæ & inefficaci prævalet volitio absoluta & efficax simpliciter injusta & peccaminosa.

minosa. Aliud esset, siquis occideret equum Titii judicans esse equum suum proprium; nam in tali casu nulla committeretur injustitia formalis, adeoque nulla oriretur obligatio saltem per se, & ex jure naturæ.

476 Quæres 2. Ad quid obligetur, qui rem alienam bona fide vendidit pretio summo. Item qui per inculpabilem errorem alteri detraxit. Resp. ad 1 cum Molina & Laym. contra Less. Sanchez &c. talem venditorem domino probabilius tantum debere reddere pretium medium, quia excessus non tam videtur esse fructus naturalis ipsius rei, quam fructus mere industrialis venditoris, præsertim si specialem curam & industriam adhibere debuit e. g. transferendo rem in alium locum, ut illam vendere valeat pretio summo. Ad 2. non conveniunt auctores. Dicastillo putat ejusmodi detractorem ad restituendam, vel potius reparandam famam solum obligari ex charitate, quæ universim exigit quodcunque malum proximi vel præcavere, ne inferatur, aut si illatum sit reparare, quando id sine proprio gravi incommodo fieri potest. Alii dicunt, detractorem obligari ad restituendam famam titulo rei acceptæ, eoquod famam proximi penes se detineat, non quidem physice, sed tamen moraliter. Alii denique cum Lugone admittunt quidem obligationem justitiæ sed tantum indirectam, in quantum datur obligatio ad non continuandam detractionem, quod saltem virtualiter fieret, nisi incaute dicta retractarentur. Jam vero ex justitia quemlibet obligari, quantum moraliter potest procurare, ne ex sua actione, quamvis per accidens inculpabili, sequatur, aut continuetur damnum proximi. Sic qui per inadvertentiam inculpabilem incendit horreum proximi, ex justitia videtur obligatus ad incendium restinguendum.

477 Quæres 3. Quomodo restitutio sit necessaria ad salutem? Resp. 1. illam esse necessariam necessitate

præ-

præcepti; cum ipsum lumen naturæ dictet, neminem esse lædendum in rebus suis, & si læsus fuerit, jus læsum esse reparandum juxta illud: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; hinc Ezech. 33 v. 14 inter reliqua ad justificationem & salutem requisita expresse ponitur: *Si autem dixero impio: morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, rapinamque reddiderit, vita vivet.* Accedit auctoritas Ecclesiæ & SS. Patrum, inter quorum testimonia celebre est illud dictum S. Augustini epist. 54 ad Macedonium etiam in regulas juris relatum: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Equidem Christus Luc. 11 arguens Pharisæos de rapinis, usuris &c. nullam fecit mentionem de restitutione, sed v. 41 tantum dixit: *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* At, ut S. Aug. advertit, per hoc non voluit indicare, quasi ad salutem sufficeret sola eleemosyna sine pœnitentia, quæ voluntatem restituendi necessario includit. Alii existimant Christum locutum fuisse ironice ad explodendum crassum Pharisæorum errorem, quasi pro suis rapinis & usuris satisfacerent, dummodo tuba ante se canentes darent eleemosynam, quo errore etiam quondam laborabant Græci, ut refert Alphonsus de Castro de Hæres.

478 Resp. 2. Restitutionem non esse necessariam necessitate medii. Nam illud solum est necessarium necessitate medii, quod est medium per se ordinatum ad conferendam justificationem, seu primam gratiam, ita ut tali medio inculpabiliter non adhibito justificatio & salus in hac providentia obtineri nequeat; atqui restitutio non est tale medium; qui enim vel ex inculpabili ignorantia rei alienæ, vel ex impotentia restitutionem omittit, nihilominus salvari potest. Neque obstat, quod rem alienam detinens scienter & injuste, saltem debeat habere votum seu firmum propositum restituendi; quia tamen restitutio non est medium per se ordinatum ad con-

conferendam primam gratiam; hinc non eſt paritas cum baptismo aut voto baptismi; baptismus enim per ſe in juſtificationem influit, adeoque etiam votum baptismi eſt votum medii per ſe influentis, votum autem reſtitutionis eſt tantum votum adimplendi præceptum. Pariter licet actus charitatis aut contritionis perfectæ ſit votum implicitum, non tantum ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ſed etiam reſtituendi rem alienam, non deſiderat utrumque eodem modo, ſed Sacramentum pœnitentiæ tanquam medium per ſe deletivum peccatorum præteritorum, reſtitutionem vero tanquam rem præceptam, & ne per illius omiſſionem novum peccatum incurratur, ſicut de omnibus reliquis præceptis gravibus dici debet.

Multo minus reſtitutio eſt ita neceſſaria ad ſalu- 479
tem, ut anima defuncti prius liberari non poſſit e purgatorio, donec ab hæredibus reſtituatur; ſi enim defunctus reſtitutionem omiſit cum culpa gravi, non eſt in purgatorio, ſed in inferno, ubi nulla eſt redemptio; ſi vero illam omiſit ſine culpa gravi, tunc vel ſolum peccavit venialiter, & non eſt ratio, quare pro hoc peccato veniali non æque poſſit ſatis pati, quam pro aliis; vel omnino non peccavit, & æquum non eſt, ut propter ſolam culpam & negligentiam hæredum diutius torqueatur, & quidem ſubinde usque ad extremum diem judicii. In contrarium afferuntur revelationes S. Brigittæ, quæ magnam habent in Eccleſia auctoritatem, utpote approbatæ a Greg. IX, Urban. VI, Bonif. IX & Martin. V; ſed ex illis plus non probatur, quam quod reſtitutio per accidens multum proſit defunctis propter opera ſatisfactoria, quæ tum ab iis, qui nomine defunctorum reſtituunt, tum etiam ab aliis, quibus ſit reſtitutio, non raro exerceri, & applicari ſolent animæ defuncti. Eadem reſponſio eſt ad varias alias hiſtorias, & revelationes, quæ cir-

cumferuntur, si non potius inter fabulas relegandæ sunt.

QUÆSTIO II.

An & qualis obligatio restituendi oriatur ex culpa theologica gravi?

480 PEr culpam theologicam gravem hic intelligitur peccatum mortale contra justitiam, neque dubium est, quin ex illa oriatur obligatio gravis voluntarie illatum damnum reparandi; quia tamen sæpe contingit, ut damnificator non cognoscat totam gravitatem damni, sed invincibiliter existimet illud esse minus grave, quam revera est, controvertitur, utrum in tali casu teneatur solum reparare illam partem damni, quam cognovit, an vero etiam reliquam partem seu excessum, a se nullo modo prævisum? Potest autem ejusmodi excessus esse vel intrinsecus rei, quæ læditur vel destruitur, ut si gemmam alterius petulanter projicias in flumen, existimans, illam tantum valere 100 florenis, cum tamen reipsa valeat 1000 florenis; vel extrinsecus quidem rei, attamen cum damno præcognito vel per se vel saltem per accidens connexus. Per se connexus dicitur, qui ex damno præcognito sequitur necessitate physica, vel morali e. g. si opifici amputes brachium, per se connexum est damnum in bonis fortunæ, in quantum opifex redditur inutilis ad suos labores. Excessus per accidens connexus est, qui sequitur quidem ex damno præcognito, at non ut plurimum, nec valde frequenter, sed potius raro, aut non tam ex tua actione, quam ex aliorum malitia, errore &c. ut si ingrediaris domum alienam furaturus pecunias, ac simul casu & præter intentionem accendas domum.

De

De excessu & damno per accidens solum con- 481
nexo communissime docent auctores, non dari obligationem illud reparandi ; quia ejusmodi damna hoc ipso, quod tantum per accidens contingant, difficulter possunt evitari, nec prudenter timeri aut prævideri. Quin etsi ex actione illativa damni lædens prævideat, secuturum esse aliud damnum, adhuc probabiliter necdum tenetur ad illud reparandum e. g. si furaris Titio diviti, sed avaro 10 aureos, etsi timeas, ne ideo ex tristitia in gravem morbum vel ipsam mortem incidat, non teneris ad reparationem damni, quod ex morbo vel morte sequitur, quia iste effectus potius sequitur ex inordinato affectu ad pecunias, quam ex tua actione, ut adeo illatio damni ita per accidens solum connexi non sit injuria formalis, neque repugnet justitiæ, sed tantum charitati, ut jam notavi num.470; hinc in tali casu neque potes dici homicida, neque incurris excommunicationem. Circa damnum per se connexum tres sunt celebriores sententiæ. Prima Pallavicini docentis, quod excessus per se connexus utut ignoratus debeat reparari, si sit intrinsecus rei. Secunda Lugonis hanc obligationem extendentis etiam ad excessum rei extrinsecum. Tertia Dicastill. Esparz. Pont. Haunold &c. hanc obligationem simpliciter negantium, sive dein excessus sit rei intrinsecus, sive extrinsecus. Cum his

Dicendum, ex culpa theologica gravi non oritur 482
obligatio reparandi damnum grave, quoad partem invincibiliter ignoratam. Prob. 1 negative, quia tam gravis obligatio non sufficienter ostenditur. 2. Quia de jure naturæ (jus positivum de hac re nihil statuit) nemo obligatur ad reparandum damnum, quod ipsi non potest moraliter imputari ; nam ubi non datur imputabilitas, etiam non datur formaliter injusta acceptio, ex qua sola posset, ac deberet hæc obligatio oriri ; atqui damnum grave quo-

ad excessum invincibiliter ignoratum lædenti non potest moraliter imputari: ergo. Prob. min. Ejusmodi damnum quoad excessum invincibiliter ignoratum lædenti neque est voluntarium directe; quod enim nullo modo in se agnoscitur, non potest directe intendi: neque est voluntarium indirecte, seu in damno præcognito tanquam causa; quamvis enim hæc connexio reipsa detur, ea tamen a damnificatore nullo modo cognoscitur: ergo ejusmodi damnum quoad excessum non est moraliter imputabile, neque lædens potest dici illius causa moralis. Nempe ut recte notat Esparza, in moralibus præcisio rationis est distinctio realis, sive negatio connexionis, eodem modo se habent quoad voluntarietatem & imputabilitatem. Sic qui peccat cum ligata, invincibiliter existimans esse solutam, formaliter tantum committit fornicationem, licet copula a parte rei sit adulterina.

483 Declaratur conclusio & confirmatur ulterius. Juxta ipsos adversarios nemo tenetur reparare damnum invincibiliter ignoratum, quando istud tantum per accidens est connexum cum damno voluntarie dato: ergo pariter nemo tenetur, quando damnum est per se connexum; nam sive connexio detur per se, sive per accidens, quoad rationem voluntarii perinde est, si hæc connexio in utroque casu invincibiliter ignoratur. Replicant quidem adversarii, reparationem damni cum alio damno connexi non debere fieri juxta magnitudinem damni secundum se spectati, sed juxta 'æstimabilitatem prudentis metus, ne damnum illud ex alio voluntarie dato sequatur, sicut reparatio lucri cessantis non debet fieri juxta magnitudinem lucri secundum se spectati, sed juxta prudentem æstimabilitatem prudentis spei ad lucrum, quod fieri posset, si abesset injusta damnificatio; atqui damnum tantum per accidens connexum non potest prudenter timeri, sicut prudenter timeri potest

test excessus per se connexus, & ex aliqua actione frequenter, aut plerumque sequi solitus: ergo &c. Sed omissa majore, contra minorem est, quia licet damnum per se connexum ordinarie prævideri potest, si tamen hic & nunc per accidens de tali damno & connexione nullum oritur dubium, nullaque in mentem venit suspicio, damnificans non potest in his circumstantiis excessum timere.

Objectiones.

Obj. 1. Qui gemmam alterius projicit in flumen, 484
vel opifici amputat brachium voluntate absoluta & executiva vult projicere totum quod habet in manu, & reddere opificem inhabilem ad suos labores: ergo totum damnum est ipsi voluntarium; ergo totum debet reparare. Conf. Qui vult causam, vult etiam effectum e. g. qui vult vulnus lethale, vult etiam mortem: ergo qui vult causam totius damni, vult totum damnum. Resp. dist. ant. vult ista cum cognitione totius damni, neg. ant. sine hac cognitione, conc. ant. & neg. utramque conf. involuntarium in consideratione morali & ratione damni non regulatur ab objecto secundum se spectato, sed prout simul est in cognitione, alias etiam ad restitutionem teneretur, qui gemmam projiceret invincibiliter existimans esse vitrum rejectitium nullius pretii. Ad conf. dist. ant. vult etiam effectum, si cognoscit, causam esse connexam cum hoc effectu, conc. ant. si non cognoscat causam esse connexam cum hoc effectu, subdist. vult effectum mere physice, transf. ant. moraliter, neg. ant. & eodem modo conf. qui vult vulnus lethale in æstimatione morali non vult mortem, si invincibiliter ignoret, mortem cum tali vulnere connexam esse.

Dices, qui voluntarie committit delictum, hoc 485
ipso consentit in pœnam, quamvis illam ignoret:

ergo qui voluntarie ponit causam damni, consentit in totum damnum. Ant. patet, quia sæpe pro delicto gravi imponitur pœna e. g. pœna patibuli pro furto, licet fur ignoraverit, hanc pœnam pro furto statutam esse. Conf. Homicida, dum æstu iracundiæ occidit inimicum, ordinarie non cogitat de damnis, quæ ex homicidio redundant in uxorem & liberos occisi, & tamen debet pro illis satisfacere: ergo. Resp. dist. ant. Consentit in pœnam a natura impositam, vel lege positiva statutam, & delicto proportionatam, transf. ant. in aliam, neg. ant. & suppositum, quod reparatio damni invincibiliter ignorati ulla lege statuta sit saltem ita, ut præstari debeat ante sententiam judicis. Dein qui voluntarie peccat, voluntarie ponit delictum proportionatum pœnæ, esto, quod ignoret, quænam illa pœna sit; qui autem ignorat excessum damni, voluntarie non ponit læsionem injustam proportionatam reparationi totius damni; hinc si furca tantum esset statuta pro furto 100 fl. & fur invincibiliter ignoraret, damnum a se datum esse 100 fl. non posset agi in furcam, si sufficienter probaret invincibilem errorem. Ad conf. Omitto ant. quoad 1 membrum; quia plures censent, homicidam ordinarie de illis damnis habere cognitionem saltem confusam, neg. 2 membrum posito quod homicida revera de talibus damnis nullo modo cogitaverit. Si autem saltem in confuso advertit, quod damnum in bonis fortunæ inferat, damnum non amplius est involuntarium.

486 Obj. 2. Est pœna taxata ab ipsa natura, & tacito omnium consensu approbata, ut qui alterum per gravem injuriam læsit, servet læsum totaliter indemnem: ergo lædens debet restituere totum valorem rei cum omnibibus damnis connexis. Conf. Justitia non attendit ad affectum internum, sed exigit, ut restitutio fiat ad æqualitatem damni externi, alias qui alteri infert grave damnum, quod per errorem existimat

mat esse gravius, quam reipsa sit, deberet reparare totum damnum, quod voluit inferre; atqui talis tantum debet reparare id, quod reipsa intulit: ergo. Resp. dist. ant. ut servet totaliter indemnem secundum eam quantitatem damni, quam intulit voluntarie & moraliter, conc. ant. quam intulit involuntarie & solum physice, neg. ant. hæc enim posterior pœna passim ignoratur a doctoribus & rudibus; unde immerito dicitur taxata ab ipsa natura, & omnium consensu approbata. Ad conf. dist. ant. justitia non attendit ad affectum internum solum, conc. ant. affectus internus præter damnum a parte rei datum non requiritur, neg. ant. Ut ex injusta acceptione seu damnificatione simpliciter oriatur obligatio restituendi, debet damnum reipsa esse illatum, & quidem voluntarie: ergo etiam ad obligationem restituendi totum damnum requiritur, ut totum sit illatum, & quidem voluntarie.

Dices. Praxis utriusque fori est, ut gravis dam- 487
nificator condemnetur ad restituendum totum valorem intrinsecum rei cum lucro cessante damno emergente &c. Conf. Qui inebrietate committit homicidium, censetur esse verus homicida, & tenetur ad reparationem omnium damnorum, inde sequentium; sacerdos quoque, qui chirurgiam exercet, secuta morte ægroti per cap. Tua nos, de homicid. volunt. declaratur irregularis, quamvis mortem non præviderit. Resp. Quod tribunalia semper imponant compensationem omnium illorum damnorum, præsertim si sint valde magna, videtur esse falsum; quando autem id faciunt, ex rationabili præsumptione judicant, quod damna ista a damnificante præcognita fuerint saltem implicite & confuse, cum plerumque contingat, ut adeo graviter damnificantes tantum habeant ignorantiam crassam vel affectatam, nec sufficientem adhibeant cautelam, ne gravius noceant. Ex quibus tantum sequitur,

tur, quod lædens ad reparanda hæc damna teneatur post sententiam judicis, qui etiam hanc restitutionem ipsi potest imponere in pœnam delicti, præsertim si ignorantiam invincibilem non sufficienter probet. Ad conf. neg. primam instantiam, si se inebrians non scivit, quod in ebrietate sit pronus ad rixas, nec suspicari potuit homicidium, aut cautelas debitas ad illud evitandum adhibuit. Altera instantia probaret dari obligationem restitutionis, etsi nulla injustitia formalis præcesserit; nam sacerdos exercendo chirurgiam non peccat contra justitiam, sed tantum contra legem ecclesiæ prohibentis ejusmodi exercitia ob dignitatem status sacerdotalis.

488 Obj. 3. Obligatio reparandi damnum per se connexum, antecedenter ad omnem eventum particularem optabilior est generi humano, quam negatio hujus obligationis: ergo datur de jure naturæ. Ant. prob. tum quia naturæ conformius est, ut damnum ferat nocens, quam ut ferat innocens: tum quia hæc obligatio necessaria vel saltem valde utilis est, ad absterrendos homines a gravibus injuriis, si sciant, se debere reparare omnia damna inde secuta. Conf. Quamvis excessus damni fuerit involuntarius, damnificator simpliciter peccavit graviter, gravemque injuriam intulit: ergo restitutio totius damni non est improportionata injuriæ. Resp. neg. ant. nam hæc obligatio propter nimiam difficultatem a paucis impleretur, cum nemo se facile vellet spoliare bonis suis ob excessum damni involuntarium. Ad 1 probationem neg. suppositum, quod invincibiliter ignorans respectu excessus sit nocens. Ad alteram dico, non omne medium, quod magis a malo absterret, a natura esse præscriptum, cumque de damnis invincibiliter ignoratis nulla occurrat prudens suspicio aut metus, obligatio excessum reparandi omnino paucos absterreret, consequenter hoc medium apud plerosque esset inefficax. Ad conf. conc. ant. neg. conf.

conf. obligatio restitutionis est remedium a natura intentum ad servandam aequalitatem justitiae commutativae, adeoque proportio inter culpam & obligationem reparandi damnum consistit in hoc, ut restitutio commensuretur injuriae formali, & damnificans restituat tantum, quantum nocuit voluntarie.

Dices 1. Saltem lædens aliquam intulit injuriam, læsus autem illam tantum passus est. 2. Læsus præter excessum damni debet ferre gravem tristitiam. 3. Facilius est, ut excessum ferat lædens ob commissam culpam gravem, quam læsus sine omni culpa. Conf. In dubio præferenda est sententia, quæ magis favet innocenti: ergo cum dubium sit, quis excessum damni ferre debeat, hoc onus potius imponendum est reo. Resp. Ad 1. dist. lædens intulit aliquam injuriam quoad damnum voluntarie datum, conc. quoad excessum invincibiliter ignoratum, neg. Ad 2. Lædens non est causa moralis illius tristitiæ, quam læsus habet ob excessum, & hæc ipsa tristitia multum mitigatur partim ex reparatione damni voluntarie dati, & ex facultate a judice petendi etiam reparationem excessus, partim quod etiam ipse non teneatur reparare damnum invincibiliter ignoratum, si, ut potest facile contingere, tale damnum inferat. Ad 3. quod difficilius, magisque afflictivum sit, spoliare se ipsum bonis suis ad reparandum damnum nec volitum, nec præcognitum, quam ejusmodi damnum casu quasi fortuito illatum tolerare, debent dicere ipsi adversarii de damnis per accidens connexis. Ad conf. dist. ant. si sit graviter reus etiam quoad excessum, con. ant. secus, neg. ant. nam tunc potius procedendum est secundum illa principia juris: In dubio melior est conditio possidentis. Nemo spoliari debet dominio certo suarum rerum propter jus alterius incertum. 489

QUÆSTIO III.

An & qualis obligatio restituendi oriatur ex culpa theologica veniali semideliberata?

490 Cum furtum leve voluntarie commissum, & rei levis iniqua detentio sit peccatum veniale contra justitiam, certum est ex culpa theologica veniali deliberata, attamen levi propter parvitatem materiæ, oriri levem obligationem restituendi. Sic qui alteri rationabiliter invito abstulit crucigerum, juxta omnes sub peccato veniali tenetur illum restituere. Controversia est circa culpam theologicam; quæ ratione materiæ sive damni gravis, de se quidem esset mortalis, per accidens tamen hic & nunc solum est venialis; nam aliqui cum Vasquez, Turrian. &c. dicunt, in tali casu debere reparari totum damnum grave illatum: alii cum Dicastil. & Molina contendunt, illud reparandum esse saltem quoad notabilem partem: alii cum Lug. Haunold, Sanchez docent, ex peccato veniali tantum semideliberato nunquam oriri obligationem gravem restituendi, esto, quod illa oriri possit ex peccato veniali deliberato. Procedit autem controversia, quando res ablata nec formaliter, nec æquivalenter amplius existit; nam alias oriretur obligatio ex re accepta, quæ in materia gravi gravis est, etsi in re aliena acquirenda nulla culpa intercesserit.

491 Damnificatio gravis per accidens potest fieri levis 1. ex defectu plenæ deliberationis ad peccatum mortale requisitæ, ut si quis semiebrius aut repentina passione abreptus alteri grave damnum infert, nondum satis præcognitum. 2. Ex omissione debitæ diligentiæ leviter tantum culpabili, ut siquis certam aliquam cautelam negligit, eo quod judicet ex omis-

omissione majoris diligentiæ non nisi leve & valde remotum periculum damni imminere. 3 Ex venialiter solum culpabili ignorantia vel inadvertentia ad gravitatem damni, quod rursus dupliciter fieri potest, primo ita, ut ne quidem advertatur gravitas damni materialis seu objectiva; ut siquis gemmam alterius valentem 4 fl. projiciat in flumen, existimans, esse vitrum exigui valoris: secundo ut cognoscatur quidem gravitas materialis damni, ignoretur tamen gravitas illius formalis, ex qua resultat peccatum mortale, ut siquis cognoscit gemmam, quam projicit, valere 4 fl. existimat tamen, 4 florenos respectu talis personæ non esse peccatum grave, vel dominum non esse graviter invitum. Simile quid contingit, siquis grave damnum infert successive per plures damnificationes leviter tantum peccaminosas v. g. per plura furta minuta, quin advertat illa coalescere in damnum & peccatum grave.

Quamvis autem possit contingere, ut omissio 492 diligentiæ leviter culpabilis, aut levis negligentia in inquirendo rei valore sit plene deliberata: tamen in materia gravi non solet frequenter esse culpa levis, nisi ob inconsiderontiam, inadvertentiam, ac deliberationem semiplenam, præsertim si materiæ gravitas cognoscatur; hinc siquis plene advertat ad gravitatem damni materialem, præsertim in damnificationibus successivis, & furtis minutis, non statim debet ipsi credi, si dicat se ignorasse ejusdem damni gravitatem formalem, sed ulterius explorandum est, an omnino nunquam ad illam adverterit saltem implicite, ac confuse, & quidem invincibiliter? an vero per ignorantiam graviter culpabilem vel etiam affectatam, quasi de industria mentem avertendo? item an omnia ita consumpserit, ut ne quidem virtualiter amplius exstent, nec inde ullatenus factus sit ditior? Verum de his postea, nunc majoris claritatis gratia loquar solum de culpa veniali semideliberata.

Dicen-

493 Dicendum 1. Ex culpa veniali ſemideliberata nunquam oritur obligatio gravis reparandi damnum grave, aut notabilem ejus partem, ita communis cum Soto, Navarr. Maſtr. Leſſ. Lug. &c. Prob. 1 negative. 2. Quia hæc obligatio non eſt optabilis generi humano; nam ex una parte eſt valde difficile & ſpectata fragilitate humana aliquando moraliter impoſſibile evitare tales culpas ſubreptitias: ex altera parte duriſſimum eſt ſe ipſum ſpoliare rebus ſuis ad reſarciendum grave damnum alteri per culpam tantum ſemideliberatam illatum. 3. Quia non videtur conforme æquitati naturali, ut detur gravis obligatio reparandi damnum, quod ſaltem ſecundum ſuam gravitatem non eſt plane voluntarium; neque enim hæc obligatio a natura poteſt intendi ut pœna, quia eſſet nimia & improportionata: neque poteſt intendi tanquam medium ad homines abſterrendos ab ejusmodi damnificationibus; nam per actum ſemideliberatum nec ad delictum, nec ad obligationem delicto annexam ſufficienter attendimus. Atque hæc juxta Leſſ. Tamburin. procedunt, licet quis interne peccaverit mortaliter, modo actio externa tantum fuerit injuſta venialiter, ut ſi in venatione ex omiſſione diligentiæ leviter culpabili occideres hominem, ſimul concomitanter habens animum occidendi hoſtem tuum, ſi forte ibi adeſſet, quia nihilominus actio tua externa non eſt graviter injuſta, nec perfecte cauſa moralis damni.

494 Dicendum 2. Ex culpa veniali ſemideliberata ne quidem oritur obligatio levis ad reparandum damnum grave, aut notabilem ejus partem. Concluſio hæc fluit ex præcedente, & nititur iisdem fundamentis; hinc probatur rurſus 1 negative. 2. Quia etiam hæc obligatio ex una parte eſſet nimium gravis, præſertim ſi damnum illatum eſſet valde magnum e. g. 100 aureorum; ex altera parte parum prodeſſet læſo, eoquod damnificans eam vix unquam imple-

impleret, vel superare deberet easdem difficultates, ac si daretur obligatio gravis. Unde ejusmodi damnificator maneret in perpetuo statu peccati venialis, imo successive committeret innumera etiam plene deliberata, quoties nimirum occurreret memoria hujus obligationis. Dixi reparandi damnum grave aut notabilem ejus partem; si enim culpa venialis quoad levem damni partem fuit plene deliberata, datur obligatio levis illam reparandi. Idem de culpa semideliberata docent Sotus, Haunold, Lacroix, quia omnis injuria formalis & damnosa inducit inæqualitatem, adeoque justitia commutativa exigit, ut reparetur. Contrarium tamen probabiliter asserunt Less. & Tamburin. quia culpæ semideliberatæ sunt actus valde imperfecti, & difficillime evitabiles, ut adeo quæ fiunt cum tali culpa, videantur quasi casu fieri; hinc etiam ex voto, contractu &c. semideliberato nulla oritur obligatio.

Dices 1. Æquitas naturalis exigit, ut damnum grave potius ferat nocens, quam innocens; atqui 495
damnificans ex culpa semideliberata est vere nocens, & quidem theologice: ergo. Confirm. Qui sciens & volens alterum injuste lædit, tenetur ad restitutionem; atqui peccans venialiter contra justitiam, sciens & volens alterum injuste lædit. Hinc Greg. IX cap. Si culpa tua 9 de injuriis, ait: *Qui de contingentibus aliquid omittit, tenetur ad resarciendum damnum inde secutum.* Resp. dist. maj. si damnum sit plene deliberatum & proportionatum culpæ, conc. maj. secus, neg. maj. Nam hæc obligatio antecedenter ad omnem eventum ne quidem ipsi læso est optabilis, eoquod ejusmodi culpæ sæpius admittantur etiam a probis & timoratis, & sic facile posset contingere, ut is ipse, qui modo læsus est, in alia occasione per similem culpam læderet alium, quo posito ipsi longe difficilius foret se ipsum spoliare rebus suis, quam

quam nunc ferre damnum casu quasi fortuito sibi illatum. Ad confirm. dist. maj. qui lædit alterum sciens ac volens scientia ac voluntate plena, & perfecta, con. maj. scientia & voluntate semiplena & imperfecta, neg. maj. Sub eadem distinctione intelligendus est textus Gregorii; nam judex, famulus, œconomus &c. nihil censetur omittere de contingentibus, quamvis subinde per negligentiam semideliberatam det occasionem, gravis damni, modo de reliquo strenue fungatur suo officio.

496 Dices 2. Gravis obligatio reparandi damnum grave non est improportionata culpæ semideliberatæ. Nam 1. pœna purgatorii, licet incomparabiliter gravior, juste pro tali culpa infligitur. 2. Qui communicat cum excommunicato in civilibus, incurrit excommunicationem minorem, & privatur usu passivo sacramentorum. 3. Obligatio reparandi damnum grave ob culpam semideliberatam potest imponi a judice. Resp. neg. ant. & paritatem cum allatis instantiis. Nam 1. licet pœna purgatorii absolute, & in se sit gravissima, est tamen levis comparative ad forum divinum, in quo vindicatur offensa majestatis infinitæ; restitutio vero a natura imponitur propter injuriam illatam homini, cujus persona non facit, ut tam gravis obligatio sit proportionata injuriæ levissimæ, utque ejus immunitas procurari debeat per medium humanæ fragilitati intolerabile & extreme rigidum. 2. Excommunicatio minor tantum incurritur per communicationem deliberatam cum excommunicato non tolerato; hinc facile evitatur; vel si incurratur, facile tollitur per absolutionem, & jactura quam inducit reparari potest per subsequentem frequentiorem usum sacramentorum; adeoque est tantum pœna gravior secundum quid. 3. Si hanc obligationem imponeret ipsa natura, esset illa longe gravior ac difficilior; utpote universalis, latissime patens, & damnificanti

ti inevitabilis, qualis non eſt, ſi poteſt tantum imponi a judice.

Dices 3. Poteſt dari obligatio levis ad rem gravem ex lege poſitiva, voto, aut contractu, imo etiam ſine omni culpa, ut quando quis præviſo periculo damni alieni nihilominus aliquid agit, attamen cum animo reſtituendi & prudenti præſumptione, dominum rei non eſſe invitum: ergo talis obligatio etiam poteſt dari ex culpa veniali. Confirm. Poteſt dari meritum non ſolum condignum ſed etiam congruum: ergo obligatio gravis poteſt dari ob delictum leve ſaltem tanquam demeritum congruum. Reſp. con. ant. neg. conſ. obligatio naturæ eſt univerſalis & neceſſaria, adeoque ſemper proportionata materiæ; obligatio vero ex lege poſitiva, voto aut contractu dependet a libera voluntate hominum, qui ſicut poſſunt omnino non obligare, ita poſſunt obligare leviter. Porro qui operatur cum animo, domino non invito reſtituendi, ad reſtitutionem non tenetur ex injuſta acceptione, ſed ex quaſi contractu, quem tacite cum domino init. Ad confirm. neg. paritatem, quia in præmio non eſt inconveniens, quod detur præmium ſupra condignum, dignitatem operis ſupplente liberalitate præmiantis; punire autem ſupra condignum argueret ſævitiam punientis, & obligare ad reſtitutionem ſupra condignum eſſet onus nimis grave. 497

QUÆSTIO IV.

Qualis obligatio reſtituendi oriatur ex culpa veniali deliberata?

Licet auctores communius concedant ex peccato veniali deliberato non oriri gravem obligationem reparandi totum damnum aut notabilem ejus partem, ſi a damnificante ne quidem gravitas materialis 498

rialis fuit cognita, quia tunc damnum grave neque formaliter, neque materialiter fuit voluntarium. Contrarium tamen fere omnes tenent, si sola gravitas damni formalis fuit ignorata. Nihilominus etiam in hoc casu non dari obligationem gravem videtur docere Gormaz de Just. & Jure disp. 15 sect. 3 a num. 796 universaliter concludens: *Ubi non est culpa gravis theologica, non potest oriri in conscientia obligatio saltem gravis restituendi damnum grave.* Item: *undecunque proveniat levitas causæ theologicæ in damnificatione proximi in re gravi, non manet apta ad pariendam obligationem gravem ex delicto.* Idem aperte docet Viva in Trutina theologica. Nec obstat quod in sua theologia morali dicat contrarium; nam illam scripsit ante Trutinam, licet hanc primum postea in lucem ediderit, sed ut videtur sine novo examine, cum nullam prorsus mentionem faciat doctrinæ in Trutina a se traditæ. Eidem sententiæ favet Navarrus & ex parte Lugo. Ut probabilem illam agnoscunt Less. Dian. Emanuel Sa & Sotus. Antiquiores teste Illsung quæstionem in sensu hic controverso non examinarunt. Equidem ob dicta Num. 492 existimo, sententiam negativam in praxi raro, & non nisi magna circumspectione adhiberi posse; quia tamen jam sæpius in variis Athenæis publice fuit tradita, & speculative ac generatim loquendo periculose aliquid determinatur esse peccatum mortale, scholasticorum auctoritate in suo valore relicta, juvat utriusque opinionis rationes intrinsecus discutere.

499 Dicendum 1. Ex ratione intrinseca non satis videtur evinci obligatio gravis reparandi damnum grave illatum per culpam theologicam deliberatam quidem, sed tantum venialem propter ignorantiam & inadvertentiam ad gravitatem damni formalem, licet adfuerit advertentia ad totam gravitatem damni materialem, saltem quando damnum illatum fuit per unicam simul damnificationem. Probatur 1 nega-

negative. 2. Quia hæc obligatio neque oritur ex re accepta, quæ nec formaliter, nec æquivalenter amplius exiſtere ponitur: neque ex injuſta acceptione, cum enim damnificatio formalis tantum ſit leviter peccaminoſa, obligatio gravis reparandi damnum grave non eſt proportionata culpæ; ſed ſicut abſente omni injuria formali ex mera damnificatione nulla datur obligatio, ſic non poteſt dari obligatio gravis, ſi tantum intervenit injuria levis; certe præceptum leve nunquam obligationem gravem inducere poteſt. Confirm. Si non advertitur ad gravitatem materialem damni, ex peccato veniali non oritur obligatio gravis reſtituendi damnum grave: ergo a pari, ſi non advertitur ad gravitatem formalem; cum utique ſola quantitas utut cognita & voluntaria, ſi non amplius exiſtit, non pariat obligationem reſtitutionis, alias hanc obligationem etiam contraheret, qui invincibiliter putaret, ſe inferendo damnum grave nullo modo peccare.

Dicendum 2. Spectata ratione etiam ſatis pro- 500
babile videtur non dari obligationem gravem reparandi damnum per plures culpas theologicas veniales ſucceſſive illatum, tametſi cognita fuerit materialis gravitas damni, modo non adfuerit advertentia ad gravitatem formalem. Probat. 1 rurſus negative. 2. Ex rationibus numero præcedente allatis; quippe nihil aut parum referre videtur, ſive gravitas materialis damni cognoſcatur ſimul tota in una acceptione, ſive ſucceſſive in pluribus, ſi nullibi cognoſcatur ejusdem gravitas formalis. 3. Quando damnum grave non cognoſcitur ut graviter prohibitum, ut tale non eſt voluntarium, adeoque non infertur plene deliberate, ſed aliquo modo cæce: ergo non eſt æquitati naturali conſentaneum, ut ex ejusmodi actu imperfecto æque oriatur obligatio gravis reparandi damnum grave quaſi fortuitum & improviſum, quam ex actu perfecte volun-

 tario

tario & graviter peccaminoſo. 4. Qui inculpabiliter judicat, damnificantem nullo modo rationabiliter eſſe invitum, nullatenus obligatur ad reparandum damnum: ergo qui inculpabiliter judicat, damnificatum non eſſe graviter invitum, non obligatur graviter; atqui in caſu controverſo damnificans alterum per plures culpas veniales, tametſi gravitatem materialem cognoſcat, inculpabiliter judicat, damnificatum non eſſe graviter invitum; alias ipſam etiam gravitatem formalem cognoſceret: ergo.

Objectiones.

501 Obj. 1. Ex una parte eſt generi humano optabilius, ut ex culpa theologica deliberata oriatur gravis obligatio reparandi damnum grave, cognita ejus gravitate materiali: ex altera parte natura, quantum poteſt, favet innocenter patienti contra nocentem: ergo æquitati & rationi naturali conformius eſt, ut detur ejusmodi obligatio. Confirm. Onus grave reſtituendi non eſt improportionatum damno cognito ut gravi, plene deliberato, & facile evitabili. Reſp. diſt. ant. Si damnum illatum eſt ex culpa theologica gravi, con. ant. ſi tantum ex levi, neg. ant. quoad hoc membrum & diſt. etiam quoad alterum. Favet innocenti, ſed tamen ita, ut nocentibus non imponat onera & obligationes improportionatas, con. ant. aliter, neg. ant. & conſ. Nec lædenti, nec læſo antecedenter ad omnem eventum optabile eſt, ut natura obliget ad onera delicto improportionata. Cum igitur reſtitutio, de qua hic controvertitur, tantum deberet oriri ex delicto ſeu injuſta acceptione, nec æquitati nec rationi conforme eſt, ut natura obliget ultra meritum culpæ; alias poſſet imponere obligationes monſtroſas & exceſſivas. Ad confirm. diſt. ant. Si dam-

damnum grave non solum fuerit cognitum materialiter, sed etiam formaliter, con. ant. secus, neg. ant. Quamvis damnum grave materialiter cognitum possit evitari, quia tamen gravitas injustitiæ formalis non cognoscitur, gravitas materialis parum valet ad absterrendum a culpa, neque illam ita gravificat, ut inde possit resultare obligatio gravis.

Dices 1. Obligatio naturalis restituendi non tan- 502
tum debet taxari ex culpa secundum se spectata, sed ut respiciente damnum, ita ut sola culpa quidem sit radix, damnum autem voluntarie illatum sit mensura restitutionis. Ant. prob. quia natura semper obligat secundum totam capacitatem materiæ, alias non posset statui regula, ex qua quantitas obligationis naturalis colligeretur. Confirm. Natura privilegium immunitatis a restitutione non dat damnificatoribus malæ fidei; atqui damnificans alterum cum cognitione totius damni materialis est damnificator malæ fidei: ergo. Resp. dist. ant. Si quantitas objectiva materiæ sive damni influit formaliter in culpam, con. ant. secus, neg. ant. Si cognoscitur sola quantitas materialis damni, non influit in culpam, prout est in se, & ex parte objecti, sed tantum instar materiæ levis, adeoque respectu culpæ se habet mere materialiter, & sicut illam in conscientia formaliter non gravificat, sic non inducit gravem obligationem restituendi. Porro natura tantum obligat juxta capacitatem materiæ per se loquendo, & in quantum materia formaliter in radicem obligationis influit, & sic satis servit pro regula antecedenter discernendi quantitatem obligationis. Ad confirm. Damnificans cum cognitione quantitatis materialis equidem non habet fidem undequaque bonam, habet tamen fidem bonam vel non simpliciter malam respectu gravitatis formalis; unde si non privilegio, saltem excusatione dignus est: sicut ob inadvertentiam ad gravitatem damni

formalem a gravi peccato fuit excusatus, quando damnum intulit; neque enim per se loquendo minus fuit obligatus, ne damnum inferat, quam ut illatum postea resarciat.

503 Dices 2. Gravitas objectiva damni formaliter influit in radicem restitutionis, si res adhuc existit, & levitas materiæ formaliter influit in acceptionem injustam; qui enim alterum damnificat solum leviter, ad reparandum damnum leve solum obligatur sub levi, etsi per invincibilem ignorantiam putaverit se peccare graviter, & damnum esse grave: ergo a pari. Confirm. Culpa per accidens mortalis in casu posito est proportionata ad inducendam obligationem levem: ergo vicissim culpa levis potest inducere obligationem gravem, si damnum est grave. Resp. trans. ant. neg. cons. in primo casu res ipsa est radix restitutionis; hinc utique rei quantitas formaliter in hanc radicem influit, vel potius illam constituit. In altero materiæ levitas non tam influit in radicem restitutionis, quam in ipsam obligationem, quam solam reddit levem. Nempe sicut ad obligationem gravem restituendi non sufficit sola gravitas culpæ, sic etiam non sufficit sola gravitas materiæ, sed utraque simul requiritur: ergo mirum non est, si defectus materiæ gravis obligationem faciat levem, licet gravitas materiæ sine gravitate culpæ non possit facere obligationem gravem. Ad confirm. con. ant. neg. cons. & inverto argumentum. Culpa gravis non causat obligationem gravem, si materia levis est: ergo etiam materia gravis non causat obligationem gravem, si culpa levis est. Sane si princeps pœna mortis juberet affici illum, qui scienter aufert 100 fl. vi istius legis tam parum ad mortem condemnari posset, qui auferret 100, invincibiliter existimans esse tantum 50, quam qui aufert 50, putans esse 100.

Dices

Dices 3. Qui alteri aufert denarium, tenetur 504
restituere denarium, sive auferendo peccaverit graviter sive leviter: ergo qui alteri aufert aureum, tenetur restituere aureum, quomodocunque peccaverit; esset enim valde paradoxum, si aliquis in iisdem circumstantiis obligaretur ad reparandum damnum minus, & non ad longe majus. Confirm. Obligatio restituendi non est pœna, sed remedium justitiæ ad absterrendos homines a damnis inferendis: ergo. Resp. con. ant. neg. conf. qui aufert denarium, ponitur cognoscere totam gravitatem materialem & formalem hujus damni, adeoque ex nullo capite excusatur a restitutione; qui vero aufert aureum, non cognoscit gravitatem damni formalem, & ob hanc ignorantiam invincibilem ejus actus non est voluntarius quoad malitiam gravem, unde ex illo solum oriri potest obligatio quædam levis ad partem culpæ proportionatam. Nec refert, quod tantundem deberet restituere, si modicam hanc summam abstulisset; nam excessus damni ipsi non est imputabilis ad culpam formalem, & ipsi adversarii contendunt, de jure naturæ non dari obligationem levem ad materiam gravem, cum per se absurdum videatur, aliquem sub peccato levi obligari ad restituendos e. g. 1000 aureos. Ad confirm. trans. ant. de pœna proprie ac stricte accepta, neg. conf. Sive obligatio restitutionis sit pœna sive non, indubitato tamen est onus afflictivum, quod imponitur propter delictum per modum pœnæ: ergo hoc onus non minus debet esse proportionatum suæ causæ, quam pœna delicto.

Ob. 2. Ex qualibet damnificatione levi delibe- 505
rate commissa oritur obligatio levis reparandi damnum leve; similis obligatio nascitur ex 2da, 3tia &c. quia per accessionem plurium non minuitur sed potius augetur obligatio: ergo ex omnibus damnificationibus levibus simul sumptis oritur obligatio

 repa-

reparandi totum damnum. Confirm. Etsi gravitas formalis non sit plene voluntaria, est tamen plene voluntaria gravitas materialis: ergo ejusmodi actus in suo genere jam sunt perfecti. Resp. con. ant. Rationem additam dist. potius augetur prior obligatio semper tamen leviter, con. aliquando graviter, neg. & dist. conf. ergo datur obligatio ad restituendum totum damnum collective acceptum, neg. conf. distributive acceptum, subdist. obligatio levis, conc. gravis, neg. conf. Quando damnum infertur per plures leves damnificationes moraliter interruptas, ipsi adversarii dicere debent, quod quidem detur obligatio levis ad singulas reparandas, non vero obligatio gravis ad omnes simul sumptas; quod autem damnum materiale in nostro casu coalescat, se tantum habet materialiter, quia nihilominus in acceptionem injustam non influit formaliter, quando non cognoscitur ejus gravitas formalis. Ad confirm. con. ant. dist. conf. est actus perfectus in linea culpæ & damnificationis levis, con. conf. gravis, neg. conf.

506 Dices 1. Ex pluribus obligationibus levibus ejusdem ordinis resultat obligatio gravis. Nam 1, qui singulis diebus tantum unum denarium ab altero mutuum accipit, successive contrahit obligationem gravem restituendi totam summam. 2. Qui eadem die in singulis horis canonicis omittit unum Psalmum, tenetur sub gravi hanc partem notabilem supplere. 3. Qui vovit singulis diebus unum Pater & Ave, si intra totum annum nunquam recitet, postea sub gravi debet compensare: ergo. Resp. dist. ant. si adest specialis aliquis titulus, ex quo gravis obligatio oriatur, con. ant. secus, neg. ant. Sicut in nostris casibus injusta acceptio ex nullo titulo graviter sit peccaminosa, sic obligationes tam parum coalescunt in unam gravem, quam parum ex pluribus peccatis venialibus potest fieri unum mortale, utpote toto genere superius. Ad primam instantiam dico, obligationem

tionem gravem non oriri ex obligationibus levibus secundum se spectatis, sed ex contractu mutui, per quem homines libere ita solent convenire, ut crescente materia etiam crescat obligatio, præsertim cum per mutuum transferatur dominium in mutuatarium; hinc ejusmodi obligatio crescit, licet mutuum petatur vicibus moraliter interruptis. Ad 2. Obligatio partem notabilem Breviarii compensandi oritur ex arbitrio Ecclesiæ, de qua nunc constat, quod velit graviter obligare, licet potuisset solum obligare leviter. Ad 3. Obligatio gravis compensandi totum non oritur ex voto, nisi vovens sponte ad compensationem se obligarit; hinc ista paritas potius est pro nobis.

507 Dices 2. Quando quis per plures culpas veniales successive infert grave damnum, per singula furta quasi promittit restitutionem, adeoque etiam quantitatem notabilem, si ad eam pervenerit: ergo etiam in hoc casu datur quasi contractus, & conventio tacita in obligationem gravem. Conf. Antecedenter ad minutas damnificationes datur obligatio gravis non auferendi totam summam, vel etiam ultimam partem, quæ una cum præcedentibus complet damnum grave: ergo etiam post damnificationes commissas datur gravis obligatio illas reparandi. Resp. neg. ant. nam talis contractus & conventio naturalis ad obligationem gravem neque agnoscitur a patronis nostræ sententiæ, neque ab ipso damnificante, qui hoc ipso, quod singulas damnificationes tantum committat ut leves, potius est ita constitutus, ut positive nolit contrahere, aut sibi imponere obligationem gravem; hinc dictam conventionem passim rejiciunt ipsi adversarii nostri Lacroix, Tamburin. Ad confirm. dist. ant. datur obligatio gravis non auferendi totam summam, vel ultimam partem per se loquendo, secluso invincibili errore, vel ignorantia, con. ant. supposito invincibili errore & ignorantia gravitatis formalis, neg. ant. & sub eadem dist. cons. Sicut invincibilis igno-

ignorantia omnis injuſtitiæ formalis damnificantem per accidens excuſat ab omni obligatione reſtituendi ex injuſta acceptione, ſic invincibilis ignorantia injuſtitiæ gravis excuſat ab obligatione gravi.

508 Obj. 3. Innocentius XI damnavit hanc propoſitionem num. 38: *non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque magna ſit ſumma totalis*: ergo certum eſt, quod detur obligatio gravis reparandi damnum grave per plures culpas veniales ſucceſſive illatum. Confirm. Leſſ. Sa, Navarr. ſcripſerunt ante damnationem dictæ propoſitionis: ergo illorum auctoritas nobis nihil prodeſt. Reſp. con. ant. diſt. conſ. ergo certum eſt, quod hæc obligatio gravis aliquando detur, conc. conſ. quod detur ſemper etiam quando gravitas formalis damni non fuit cognita, neg. conſ. propoſitio damnata loquitur univerſaliter, & nimis generaliter, quod ſcilicet nunquam detur obligatio gravis reſtituendi id, quod ablatum eſt per furta minuta, in quo ſenſu merito damnata eſt, quin hoc fulmen noſtram ſententiam tangat; nam ipſimet obligationem gravem ob parva furta in multis caſibus aſſeremus; uti 1, quando materia gravis ſucceſſive ablata adhuc exſtat formaliter vel æquivalenter, 2. Si fur habuit animum ſucceſſive perveniendi ad ſummam gravem cum advertentia injuſtitiæ gravis. 3. Si antequam patravit ultimum furtulum advertit ſe peccare graviter complendo ſummam gravem. Hinc ad confirm. patet merito a nobis allegari etiam illos auctores, qui nobiſcum ſenſerunt ante damnationem propoſitionis, quanquam Gormaz & Viva primum poſtea ſcripſerint.

509 Dices. Pontifex, ut ex prooemio decreti conſtat, voluit compeſcere novitates & laxitates, a quibusdam theologis traditas, & a Lovanienſibus ad ejus tribunal delatas; atqui nullus theologus damnatam pro-

propositionem tradidit in sensu laxiore, quam nos; ergo. Confirm. Nostra sententia est noxia in praxi, & præbet ansam ad multiplicanda furta minuta. Resp. trans. maj. nam Pontifex in eodem proœmio expresse ait, quod in suo decreto damnet propositiones prout jacent, non respiciendo ad mentem & sensum ab auctoribus intentum. Resp. 2 neg. maj. Teste la Croix & Cardenas non pauci, quorum aliquos nominat Moya tract. 6 disp. 4 q. 4 docuerunt, furem non peccare mortaliter, etsi in ultimo parvo furto advertat, se complere summam gravem, ex quo aliqui cum Verarduccio inferebant, in tali casu non dari gravem obligationem restituendi, & quidem, ut aliqui addebant, etsi adhuc illa summa exstet formaliter aut virtualiter. Idem Hier. de Angesto c. 6 moral. illimitate docuit. Ad confir. neg. sequelam; nam si fur advertit se successive pervenire ad materiam graviter peccaminosam, etiam juxta nos peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem; si hoc non advertit & quidem invincibiliter, obligatio gravis illum non potest absterrere, cumque ista inadvertentia sit rara, non præbet magnum furandi indicium, potius contraria sententia ansam præbet multis anxietatibus & perplexitatibus, quia valde difficile est discernere inter peccata venialia plene deliberata & semideliberata, ex quibus ultimis etiam juxta adversarios non oritur gravis obligatio restituendi.

QUÆSTIO V.

An obligatio restituendi oriatur ex culpa mere juridica vel quasi culpa extra contractus?

Culpa juridica in genere est voluntaria omissio diligentiæ a legibus requisitæ ad præcavendum damnum alterius. Quando conjuncta est cum peccato formali contra justitiam, est simul culpa theologica; si vero omittens diligentiam debitam non pec- 510

 cat

cat contra juſtitiam coram Deo ex quacunque demum cauſa e. g. ob inculpabilem inadvertentiam, vocatur culpa mere juridica ſeu mere civilis. Dividitur in latiſſimam, latiorem, latam, levem & leviſſimam. Latiſſima eſt omiſſio talis diligentiæ, ut prudenter dubitari non poſſit, quin omittens habuerit animum nocendi; unde in jure dicitur dolus apertus. Latior eſt omiſſio talis diligentiæ, ut quamvis de animo nocendi certo non conſtet, is tamen prudenter præſumi poſſit; hinc etiam dicitur dolus præſumptus. Lata eſt omiſſio diligentiæ, quam homines in ſimilibus circumſtantiis & negotiis communiter adhibere ſolent. Levis eſt omiſſio diligentiæ, quam in ſimilibus circumſtantiis tantum adhibere ſolent diligentiores & magis providi. Leviſſima eſt, quam in ſimilibus circumſtantiis non niſi diligentiſſimi adhibent.

511 Singulas has ſpecies la Croix declarat hoc exemplo. Si librum tibi commodatum tradas furi, ea intentione, ut furetur, tametſi hanc tuam mentem verbis non exprimas, eſt culpa latiſſima; ſi librum relinquas in domo furis, eſt latior; ſi relinquas extra tuum cubiculum in loco, unde facile auferri poteſt, eſt lata; ſi relinquas in cubiculo detracta quidem clave, ſed non obducta ſera, eſt levis; ſi denique clavem ita removeris, ut ſera obduci poſſit ac ſoleat, ſed non tentes poſtea, an reipſa obducta ſit, eſt culpa leviſſima; quod tamen Molina limitat ad caſum, quo aliquoties expertus es ſeram infidelem. Ex quibus colligitur, culpæ latiſſimæ, latiori & latæ ordinarie conjunctam eſſe culpam theologicam, non item levi & leviſſimæ. Porro culpa, quæ abſolute & ſecundum ſe conſiderata, aut reſpectu unius materiæ vel negotii eſt levis, vel leviſſima, ſæpe reſpectu alterius eſt lata; nam homines prudentes majorem diligentiam adhibere ſolent in una materia vel negotio quam in altero e. g. majorem in cuſtodiendo auro, vel transferen-

ferendo ſpeculo pretioſo, quam in cuſtodiendo plumbo, tractando vitro, aut alio vaſe minus pretioſo, vel non adeo fragili.

Quod culpam juridicam ſæpe teneamur præſtare pro foro externo, id eſt, quod poſſimus a judice compelli ad reparandum damnum alteri per culpam mere juridicam illatum, patet ex lege Aquilia, ita dicta ab Aquilio tribunoplebis, quo regnante plebs Romana tulit legem, quæ jubet præſtare ſeu compenſare quodvis damnum injuria datum, ut ſiquis incaute tractando ignem, ſclopum &c. lædat perſonam aut rem alterius, & ſiquidem ſervus aut animal alterius occiditur, condemnatur quis, quantum intra annum a die occiſionis plurimi valuiſſet; ſi vero in aliis rebus damnum dedit, debet reddere tantum, quantum res valuit intra proximos 30 dies, ut pluribus explicatur lib. 4 Inſt. tit. 7. Dixi autem ſi occiſus fuerit ſervus nempe ſtricte dictus; nam actio legis Aquiliæ datur domino ad æſtimationem rei interemptæ; ſed homo liber neque in alterius dominio eſt, neque corpus illius æſtimationem recipit; hinc qui hominem liberum occidit, non tenetur actione legis Aquiliæ, ſed legis Corneliæ de ſicariis, juxta quos gladio punitur, ſecundum illud: Homicida, quod fecit, exſpectet. l. 3 cod. de Epiſc. aud. 512

Pariter vi legum, ut vocant, noxalium ſæpe tenemur in foro externo reparare damnum alteri illatum per quaſi culpam vel quaſi delictum, hoc eſt, per culpam reipſa quidem alienam, quæ tamen in certis caſibus a jure expreſſis imputatur alteri ratione ſpecialis relationis e. g. ſuperioritatis cum illo, qui damnum intulit. Sic 1 ſi animal natura ſua manſuetum pauperiem ſecerit, id eſt, vulneraverit aut occiderit alterius animal, dominus animalis lædentis, quamvis nullam culpam commiſerit, obligatur reſarcire damnum, aut animal ſuum noxæ tradere, id eſt, 513

ejus

ejus dominium transferre in dominum animalis læsi, ut habetur lib. 4 Inst. tit. 9. Idemque titulo 8 statuitur de servo proprie dicto, si scienter & voluntarie alteri damnum inferat. 2. Paterfamilias siquid ex ipsius ædibus dejectum aut effusum sit a domesticis cum damno prætereuntium, quin clamore vel alio indicio satis cautum fuerit, obligatur ad compensationem, si nesciatur quis domesticorum sit auctor, vel iste non sit solvendo, ut colligitur ex lib. 4 Instit. tit. 5. Sed & nautæ, caupones &c. conveniri possunt ob delicta suorum famulorum, si vel inde fuerunt facti ditiores, vel alant famulos notorie improbos. Imo, modo famuli ex culpa juridica alios damnificent in servitio sibi commisso e. g. stabularius in stabulo, cauponarius in caupona.

514 Quæritur jam, an ex culpa juridica vel quasi culpa etiam pro foro interno conscientiæ detur obligatio reparandi damnum illatum? Affirmant hanc obligationem & quidem ante sententiam judicis vi juris naturalis Vasquez & Turrian. vi juris saltem positivi Panormit. Covarr. Engel. Econtra illam etiam post sententiam negant Rebell. Amic. Haunold. Medium tenet longe communior cum Molina Less. Azor, Petsch. Spor. &c. qui docent damnum culpa mere juridica vel quasi culpa datum in foro conscientiæ præstari debere quidem post sententiam judicis sed non antea. Cæterum cum in hac & sequenti quæstione sæpe facienda sit mentio de legibus pœnalibus, in memoriam revoco, me jam parte 1 n. 188 dixisse, ad evitandas quæstiones de nomine loquendum esse cum pluribus. Certe lex Aquilia ab omnibus intelligitur de culpa mere juridica; quod autem leges noxales solum supponant quasi culpam, tantum probat, quod non sint pœnales stricte, nec infligant pœnam stricte dictam. Interim ex rationabili causa suo modo aliquem punire posse, quamvis nulla culpa proprie talis præcesserit, desumitur ex regula jur. 23. in 6, dum

dum ait: *Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

Dicendum 1. De jure naturæ non datur obligatio in conscientia reparandi damnum per culpam mere juridicam, aut quasi culpam illatam. Prob. 1 negative. 2. Quia hæc obligatio neque oritur ex re accepta; ponitur enim damnum fuisse illatum sine lucro damnificantis: neque ex injusta acceptione, quia omnis injustitia & injusta damnificatio proprie dicta importat peccatum theologicum. Jam vero de jure naturæ non datur alia radix restitutionis præter rem acceptam & injustam acceptionem. Quodsi damnum illatum ponatur esse grave, nequidem peccatum veniale præsertim semideliberatum sufficit ad inducendam obligationem gravem: ergo multo minus sufficit culpa mere juridica vel quasi culpa; hinc ista obligatio etiam a viris sapientibus & probis passim negatur. 515

Dicendum 2. Neque de jure positivo datur obligatio in conscientia ante sententiam judicis reparandi damnum per culpam mere juridicam vel quasi culpam illatum. Probatur. Lex Aquilia aliæque leges noxales vel sunt mere pœnales, vel saltem non intendunt obligare ante sententiam judicis; neque in tali rigore sunt receptæ: ergo vi juris positivi non datur obligatio ejusmodi pœnam vel onus positivum præstandi, antequam a judice imponatur, & declaretur a jure imposita. Ant. prob. 1 ex communi consensu theologorum, ad quos præcipue spectat obligationes conscientiæ examinare. 2. Ex communissima praxi hominum etiam doctorum & proborum, qui dictas leges in majore rigore non observant. 3. Ex fine ipsarum legum, qui est hominum indemnitati consulere, & acuere diligentiam ad præcavenda damna aliorum; hic autem finis sufficienter obtinetur, modo læsis concedatur actio coram judice, & lædentes sciant, se per sententiam ad præstandum damnum obli- 516

obligandos esse. Confirm. specialiter de lege Aquilia ex l. 2 cod. h. tit. ubi legislator læsum sic alloquitur: *Ut id damnum sarciatur, competentis judicis auctoritate consequeris,* & paulo post: *Ejusdem judicis cura impetrabis.*

517 Dicendum 3. Datur tamen post sententiam judicis obligatio in conscientia reparandi damnum per culpam mere juridicam vel quasi culpam illatum. Probat. Lex Aquilia & reliquæ noxales sunt rationabiles & justæ, utpote spectantes bonum publicum, neque ex ullo fundamento constat, quod nitantur præsumptione culpæ theologicæ: ergo sententia lata secundum has leges etiam est justa, & nulla falsa præsumptione nititur; atqui sententia justa & secundum leges lata obligat in conscientia, ut ipsum jus naturale exigit: ergo etiam ipsæ leges, secundum quas sententia fertur, obligant in conscientia saltem conditionate & mediate, mediante scilicet sententia judicis, ut de aliis legibus pœnalibus dici solet. Confirm. Nisi hæc obligatio daretur, non satis obtineretur finis legum; nam damnificans etiam post sententiam latam posset omittere compensationem damni, vel si ad illam compelleretur, posset uti tacita compensatione, per quod præberetur ansa innumeris litibus, & novis perturbationibus.

Objectiones.

518 Obj. 1. Gregorius IX cap. final. de injuriis ita loquitur: *Si culpa tua datum est vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satis facere te oportet*: ergo judicat de jure naturæ dari obligationem reparandi damnum per culpam mere juridicam illatum. Confirm. Stephanus V Can. Consuluisti 20 caus. 2 q. 5 gravissime monet parentes: *Ut*

Ut tenellos infantes non collocent secum in uno lecto, ne qualibet negligentia proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Resp. con. ant. dist. conf. ergo judicat dari hanc obligationem de jure naturæ solo absolute, & ante sententiam judicis, neg. conf. suppofita lege positiva, & post sententiam judicis, transf. conf. Gregorius non loquitur de culpa mere juridica, aut ignorantia & imperitia qualicunque, sed vincibili & theologice culpabili; hinc immediate addit: *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Quia tamen jus naturæ universim præcipit, ut pareamus legibus positivis juste latis, potest dici obligationem reparandi damnum ob culpam mere juridicam post sententiam judicis etiam esse aliquo modo juris naturalis. Ad confirm. Stephanus rursus intelligendus est de negligentia theologice & graviter peccaminosa ob magnum periculum infantes suffocandi; hinc iste casus in quibusdam dioecesibus est reservatus.

Dices 1. Æquitas naturalis postulat, ut potius ferat damnum, qui voluntarie intulit, quam qui sine culpa illud passus est; atqui omittens diligentiam a legibus requisitam voluntarie infert damnum, quia etiam culpa juridica est voluntaria omissio diligentiæ debitæ, & alias damnum secutum esset casus mere fortuitus. Confirm. Qui exonerat sclopetum cum probabili periculo occidendi anserem, vel incendendi domum, committit culpam tantum juridicam, si paratus sit domino compensare damnum, & tamen ante sententiam judicis tenetur damnum secutum reparare. Resp. transf. maj. neg. min. Licet talis damnificator voluntarie illud faciat, vel omittat, ex quo damnum sequitur, ille tamen non advertit suam omissionem esse connexam cum damno proximi, vel saltem invincibiliter ignorat obligationem, majorem diligentiam adhibendi. Ad confirm. 519

Si

Si adsit consensus domini vel expressus, vel tacitus, & rationabiliter præsumptus, ne quidem datur culpa aut injuria juridice talis : si vero hic consensus, prout regulariter fit, prudenter præsumi non potest, peccatur tum contra justitiam destruendo rem alienam invito domino, tum contra charitatem, in quantum læso, cui non satis constat animus reparandi damnum, præbetur scandalum & occasio blasphemandi, irascendi &c. Vid. etiam num. 497.

520 Dices 2. Qui sentit commodum, sentire etiam debet incommodum : ergo sicut dominus ex suo animali aut servo percipit commodum, sic ferre debet incommodum ab illis datum. Certe ante rerum divisionem cuilibet de jure naturæ competebat potestas mactandi animal noxium, & sic compensandi damnum ab eo illatum. Confirm. Læsus habet jus naturale contra servum malitiose lædentem ; hoc jus autem esset prorsus inutile, nisi dominus pro servo obligaretur, cum servus proprie dictus, quidquid acquirit, domino acquirat. Resp. dist. ant. debet sentire incommodum, quod res affert proprio suo domino, con. ant. quod affert alteri, & quidem sine culpa domini, neg. ant. Argumentum probaret, quod dominus teneatur etiam compensare damnum a servo absque omni ipsius culpa & casu mere fortuito illatum, quam obligationem negant jura. Quo non obstante æquitati naturali negative saltem conforme & nullo modo iniquum est, quod legislatores propter allatum principium statuerint, ut læsus habeat actionem contra dominum animalis vel servi. Porro cum ante rerum divisionem animalia etiam mansueta in nullius dominio fuerint, utique a quolibet capi & mactari potuerunt, licet nullum damnum intulerint. Ad confirm. Læsus contra servum tantum habet jus personale, ut damnum compenset, si evaserit liber, aut ex consensu domini acquisiverit bona propria, quodsi non contingat jus læsi, est quidem in-

inutile, ſed tantum per accidens, ſicut quando homo liber eſt impotens ad ſatisfaciendum.

Obj. 2. Lex Aquilia non eſt mere pœnalis, ſed 521
præcipit diligentiam debitam ad præcavenda damna aliorum, eſtque rei perſecutoria; multo minus mere pœnales ſunt leges noxales, quæ nequidem culpam juridicam ſupponunt: ergo obligant in conſcientia ante ſententiam judicis, alias non obtinerent ſuum finem; quia forum externum in talibus delictis facile poteſt evitari. Confirm. Lex juſta pro foro externo eſt etiam juſta pro foro interno: ergo ſicut iſtæ leges obligant pro foro externo, ſic etiam pro foro interno. Reſp. omitto ant. neg. conſ. Sive ejusmodi leges dicantur pœnales ſive non, ſi tamen legislatores nolint obligare in conſcientia ante ſententiam judicis, vel in tali rigore non ſint receptæ, revera non obligant. Hinc lex Aquilia ad ſummum in conſcientia obligat ad debitam diligentiam, & eſt rei perſecutoria reſpectu læſi, ut iſte mediante actione per ſententiam judicis poſſit obligare lædentem ad damnum reparandum. Quamvis autem ſententia judicis ſæpe evitetur, non raro tamen etiam incurritur, & hoc ipſum periculum per ſe ſufficit ad obtinendum finem iſtarum legum. Ad confirm. con. ant. diſt. conſ. obligant pro foro interno ad hoc, ut lædens inſtituta contra ipſum actione compareat in judicio, & poſt ſententiam condemnatoriam læſo ſatisfaciat, con. conſ. ad hoc, ut reparetur damnum ante ſententiam, neg. conſ. & ſuppoſitum, quod hæc obligatio detur in foro externo.

Dices. Sententia ſecundum iſtas leges lata eſt 522
juſta, nec poteſt eſſe majoris ponderis quam ipſæ leges: ergo non poteſt imponere obligationem, quam ipſæ leges non imponunt; atqui hoc fieret, niſi leges jam antecedenter obligarent in conſcientia. Confirm. Leges noxales læſo concedunt actionem ad-

versus lædentem, & ipsa sententia judicis in læso jam supponit jus exigendi reparationem damni: ergo lædens vi ipsarum legum obligatur absolute, cum omnis actio sit filia obligationis, & obligatio mater actionis; mater autem semper est ante filiam. Resp. con. ant. dist. conf. quam ipsæ leges non imponunt absolute, neque conditionate, con. conf. quam saltem imponunt conditionate, neg. conf. Etiam juxta nos sententia totam suam vim & pondus habet a lege jubente, ut judex condemnet reum, & obligatio in conscientia non tam imponitur per sententiam judicis, quam per ipsas leges, conditionate ante sententiam, absolute vero post sententiam, per quam judex conditionem a legibus requisitam purificat. Ad confir. transf. ant. quia jus læsi ante sententiam tantum est incompletum & conditionatum, dist. conf. ergo lædens obligatur absolute vi ipsarum legum ad reparandum damnum, neg. conf. ad comparendum coram judice, con. conf. Actio quam leges concedunt non est filia obligationis absolutæ reparandi damnum, sed tantum obligationis comparendi coram judice, per cujus sententiam absoluta obligatio compensandi damnum primum completur.

523 Obj. 3. Lex Aquilia, & sententia secundum illam lata fundantur in præsumptione culpæ theologicæ: ergo quando talis culpa re ipsa non intercessit, non obligant in conscientia etiam post sententiam judicis. Ant. prob. 1. Quia lex Aquilia supponit damnum injuria datum. 2. Quia loquitur de tali culpa, quæ opponitur casui fortuito. 3. Quia non obligat amentes & furiosos. Resp. neg. ant. Sed lex Aquilia potius abstrahit, an culpa sit conjuncta cum peccato formali vel non, ut colligitur etiam ex eo, quia judex, ferens sententiam secundum hanc legem, sæpe sine temerario judicio supponere non posset culpam theologicam præsertim gravem. Ad prob. 1. Lex Aquilia tantum supponit damnum datum per injuriam juri-

juridicam, per quam intelligitur omne id, quod fit contra jus alterius per omissionem voluntariam diligentiæ a legibus requisitæ, ut habetur §. injuria Inst. de injur. Ad 2. Lex Aquilia rursus tantum loquitur de tali culpa, quæ opponitur casui juridice fortuito, qui nempe nulla providentia vel cura hominis a legibus requisita caveri potuit, ut si segetes grandine pereant. Ad 3. Amentes & furiosi non obligantur, quia nequidem culpæ mere juridicæ capaces sunt; nam etiam hæc supponit voluntarium & usum rationis.

Dices. Ipsum jus naturæ inferentes damnum ex 524
culpa mere juridica deobligat a restitutione: ergo sententia judicis illos non potest obligare in conscientia. Conf. Nemo potest uti beneficio compensationis occultæ propter jus incertum: ergo ex sententia adversariorum non sequuntur incommoda, quæ num. 517 ipsi objecimus. Resp. dist. ant. jus naturæ inferentes damnum ex culpa mere juridica deobligat absolute & simpliciter, neg. ant. ex hypothesi, quod non superveniat lex positiva, juste l-ta, & debito modo recepta, neg. ant. & conf. Quamvis lex positiva nihil possit disponere contra legem naturæ, potest tamen multa disponere præter legem naturæ, & defacto ita disposuit, quoties propter bonum commune aliquid præcipit a natura nondum præceptum, prout fit per legem Aquiliam, & leges noxales. Ad conf. Si adversarii fatentur dubium esse, utrum sententia judicis ad reparandum damnum ex culpa juridica datum obliget in conscientia, hoc ipso illorum opinio parum, aut nihil conducit ad praxin, pro qua tamen in his materiis vel maxime conclusiones statuendæ sunt.

Obj. 4. Vel judex vi legis Aquiliæ potest damni 525
ficantem condemnare solum ob culpam juridicam latam? vel etiam levem & levissimam? non primum,

quia l. 44 ff. ad legem Aquiliam cxpreſſe ſit mentio culpæ leviſſimæ, quæ lex non eſt minus juſta, quam leges noxales ſine omni culpa obligantes. Non ſecundum, quia talis obligatio eſſet nimis rigida, aut omnino intolerabilis. Reſp. cum Lugone diſp. 8 n. 54, judicem probabilius vi legis Aquiliæ damnificantem tantum poſſe condemnare propter culpam juridicam latam; de hac enim ferme ſemper loquitur lex Aquilia: quando autem interdum mentionem facit culpæ levis aut leviſſimæ, commode intelligi poteſt de culpa in ſe quidem levi aut leviſſima, reſpective tamen gravi ob materiam, in qua a quovis prudente major, vel etiam ſumma diligentia requiritur. Quæ explicatio in jure non eſt infrequens, & legem Aquiliam magis conciliat cum jure naturali. Porro ſi hæc lex juberet præſtare etiam culpam levem, & leviſſimam, eſſet longe rigidior, quam leges noxales; quia lex Aquilia jubet compenſare totum damnum culpa juridica datum: econtra leges noxales non præcipiunt compenſari totum damnum, ſed contentæ ſunt, ſi ſervus aut animal noxæ tradatur, & hoc etiam poſt ſententiam relinquunt in arbitrio domini.

QUÆSTIO VI.

An & qualis obligatio reſtitutionis oriatur ex culpa mere juridica, vel etiam caſu fortuito in contractu aut quaſi contractu.

526 Contractus ſtricte acceptus eſt pactum expreſſum ſive conſenſus voluntarius duorum vel plurium ultro citroque pariens obligationem juſtitiæ, uti emptio, venditio, locatio &c. contractus minus ſtricte ſumptus eſt pactum quoddam ſeu conventio pariens qui-

quidem etiam obligationem justitiæ, non tamen mutuam, uti donatio, promissio liberalis &c. Quasi contractus est tacita quædam conventio, qua quis per susceptionem certi officii se obligat ad præstanda ea, quæ officium exigit: ejusmodi quasi contractum init tutor cum pupillo, medicus cum ægroto, confessarius cum pœnitente, judex cum partibus litigantibus, advocatus cum suo cliente, famulus cum domino, & universim omnes officiales respectu rerum, quæ ipsorum curæ committuntur; dum enim officium suscipiunt, eo ipso tacite se obligant ad debitam curam, atque diligentiam.

Contractus sunt triplicis generis. Nam 1 aliqui 527
cedunt in utilitatem solius accipientis, uti commodatum. 2. Alii in utilitatem solius dantis, uti depositum. 3. Alii in utilitatem utriusque, uti emptio, venditio, locatio &c. In contractibus primi generis juxta leges requiritur diligentia exactissima, ne dans damnificetur in re sua, ac proin ex culpa etiam levissima, quæ in tali custodia admittitur, oritur obligatio pro foro externo reparandi damnum inde secutum. In contractibus secundi generis leges exigunt diligentiam tantum communem & ordinariam, proinde in illis etiam pro foro externo tantum præstari debet dolus & culpa lata. In contractibus tertii generis vi legum adhibenda quidem non est diligentia summa, major tamen quam communis; unde in foro externo præstari debet non solum culpa lata, sed etiam levis, non vero levissima. In quasi contractu per se loquendo & sine speciali pacto nemo tenetur præstare culpam levissimam; hæc enim obligatio cederet potius in detrimentum reipublicæ, & plerosque præsertim magis timoratos absterreret ab officiis publicis; tenetur tamen quilibet præstare culpam latam, imo etiam levem, quando quis alteri servit pro stipendio vel mercede.

528 Regulæ istæ ex variis legibus desumptæ procedunt ordinarie loquendo, patiuntur tamen aliquas exceptiones. Sic 1, quamvis precarium detur in gratiam solius accipientis, quia tamen contractus precarii ad nutum dantis revocabilis est, accipiens juxta l. contractus ff. de regul. juris, solum tenetur ex dolo & culpa lata, nisi post revocationem fuerit in mora restituendi, tunc enim etiam tenetur ad levissimam. 2. In eadem lege contractus commodati numeratur inter eos, qui solum recipiunt dolum & culpam levem, sed intellige de casu, quo commodatum cedit in utilitatem utriusque: e. g. siquis alteri commodet equum ad celerius faciendum iter in gratiam commodantis susceptum. 3. Ex simili ratione potest contingere, ut ex contractu depositi præstari debeat culpa levis, quando scilicet depositarius pro servando deposito accipit mercedem; dum vero l. si ut certo ff. commodati, universim dicitur depositarium solum teneri ex dolo, & non ex culpa, nomine doli intelligitur culpa lata, & nomine culpæ culpa levis. 4. Licet mandatarius solum teneatur ex dolo & culpa lata, si mandatum suscepit præcise in gratiam mandantis, dicitur nihilominus l. a procuratore cod. mandati, teneri ex culpa levi vel etiam levissima, quando videlicet se ultro mandanti, alias alium electuro, obtulit, vel expresso pacto ad summam diligentiam se obligavit.

529 De his contractuum legibus censet quidem Lessius, probabile esse, quod ad diligentiam communi majorem nunquam obligent in conscientia, quia, ut ait, quoad hoc punctum in foro conscientiæ non videntur receptæ; neminem enim esse, qui putet, se rei conductæ majorem custodiam debere ex justitia, quam dominus ipse adhibere solet; idem videri de commodato, licet commodatarius ad majorem curam obligetur ex gratitudine propter commodum, quod percipit ex re alterius. Pariter Lugo

go afferit, tefte Julio Claro allegante alios adhuc auctores, judicem & alios officiales, qui habent obligationem ex quafi contractu, hodie non accufari, nifi de dolo & culpa lata: non tamen audet hoc univerfim afferere, fed potius videtur inclinare in contrarium de nautis, cauponibus, & ftabulariis, a quibus in foro externo etiam juxta ipfum propter culpam leviffimam exigitur totum pretium, ne detur occafio fraudibus contra hofpites & navigantes.

Verum alii auctores valde communiter docent, 530
eum, qui in re gravi diligentiam a legibus præfcriptam non adhibet, graviter peccare, ideoque obligari in confcientia ad reparandum damnum, fi vel in contractibus tertii generis diligentiam ordinaria majorem, vel in contractibus primi generis exactiffimam deliberate omittat. Nam æquitati naturali valde conforme eft, ut quis majori diligentia fervet rem alienam, quando utilitas illius vel tota vel ex parte redundat in ipfum, quam fi tota redundat in alium; quæ ratio, licet forte non fatis probet, quod ipfum jus naturæ ex juftitia obliget ad diligentiam communi majorem, fufficiens fuit fundamentum, ut legislatores humani talem diligentiam requifiverint; hinc nemo dubitat, quod leges præfcribentes diligentiam majorem vel maximam fint juftæ & rationabiles: ergo contrahens hoc ipfo, quod fe obligare velit juxta tenorem legum, cenfetur tacite fe obligare vel ad diligentiam a legibus præfcriptam, vel ad reparandum damnum, fi quod ex deliberate omiffa diligentia fequatur, quamquam etiam hic animus raro a peccato excufet, cum fæpe contingat, ut damnum vel ex natura fua, vel faltem per accidens fit irreparabile vel ignoretur; ipfa vero reftitutio poftea difficillima accidat.

Ab hac communiori fententia quoad fubftan- 531
tiam vix differre videntur illi Recentiores, qui cum

 Soto,

Soto, Lug. Vogler &c. docent, quod obligatio restituendi in conſcientia ante ſententiam judicis ſolum oriatur ex culpa reſpective lata, eaque theologice & graviter peccaminoſa. Quemadmodum enim pro diverſitate materiarum & officiorum, culpa, quæ reſpectu unius materiæ eſt levis, poteſt reſpectu alterius eſſe gravis, ut notavimus num. 511, ita dicunt fieri poſſe reſpectu contractuum, quia etiam in uno major adhibenda eſt diligentia quam in altero. Si itaque commodatarius in ſervanda re commodata diligentiam maximam, aut conductor in re locata majorem deliberate omittat, uterque committet culpam reſpective latam, cum non adhibeat illam diligentiam, quam prudentes commodatarii ac conductores ordinarie adhibere ſolent: vocari nihilominus ejusmodi culpas leves, aut leviſſimas, tum ut contrahens facilius poſſit diſcernere, quænam culpa in quovis contractu cenſeatur eſſe reſpective lata, tum ut ipſe etiam judex inſtruatur, ad quam culpam præſtandam obligare poſſit.

532 Nihilominus iſte modus loquendi non omnibus placet, quia jura in definitione e. g. culpæ latæ non dicunt: culpa lata eſt omiſſio illius diligentiæ, quam alias adhibent prudentes e. g. commodatarii, ſed eſt omiſſio diligentiæ, quam alias adhibent prudentes patresfamilias in ſervandis rebus propriis ejusdem valoris. Quare, ut probe notandum, quando leges in contractibus requirunt diligentiam majorem vel exactiſſimam, id non debet intelligi, quaſi e. g. conductor aut commodatarius debeant adhibere diligentiam majorem, quam adhibere ſolent prudentes conductores aut commodatarii, ſed ſenſus eſt, quod non ſufficiat, ſi tantum adhibeant eam diligentiam, quam in cuſtodiendis rebus propriis adhibere ſolent diligentes aut etiam diligentiores patresfamilias. Ex quibus facile colligitur, quando in contractibus, vel quaſi contractibus oriatur obligatio

tio restituendi ex culpa theologica, nempe etiam hic secundum principia præcedentibus quæstionibus data discurrendum est, hoc tamen discrimine, quod juxta communem doctrinam in contractibus & quasi contractibus etiam per omissionem diligentiæ majoris vel exactissimæ culpa gravis theologica committi possit.

Restat jam adhuc examinandum, an in contra- 533
ctu, vel quasi contractu detur obligatio in conscientia, & quidem ante sententiam judicis præstandi culpam mere juridicam, vel etiam casum fortuitum? quando videlicet aliquis diligentiam a legibus requisitam omittit indeliberate, eoquod inculpabiliter non advertat periculum damni, vel saltem ignoret obligationem adhibendi majorem diligentiam. Affirmativam de culpa juridica teste Azor & Castropalao tenent ferme omnes doctores antiquiores, eamque etiam Lessius asserit esse communiorem, & in praxi ordinarie sequendam; imo Vasquez & Turrianus rursus putant, hanc obligationem esse de jure naturæ. Econtrario negativam præeunte Soto de facto docent Ledesma, Lug. Haunold, Sporer aliique Recentiores valde communiter, qui non minus habent jus interpretandi leges, quam antiqui, & insuper rem exactius discusserunt, cum apud antiquos sit magnum Chaos; nam plures possunt intelligi de culpa juridica respective lata, & graviter peccaminosa, alii de culpa mere juridica, ad quam præstandam contrahens se tacite vel expresse obligavit per pactum assecurationis, alii non satis distinguunt inter obligationem ante & post sententiam.

Dicendum 1. Regulariter & secluso speciali pa- 534
cto contrahentes, vel quasi contrahentes, ad reparandum damnum ex culpa mere juridica illatum non obligantur in conscientia ante sententiam judicis; quod vero post sententiam obligentur, facile concedo & colligitur ex dictis quæstione præcedente.

 Pro-

Probatur assertio; quia hæc obligatio non oritur ex jure naturali, nam in casu conclusionis neque intervenit titulus rei acceptæ, neque injustæ acceptionis, utpote quæ involvit culpam theologicam, 2. Non oritur ex jure positivo, quia leges pro contractibus præscribentes certam mensuram diligentiæ & præcipientes compensationem damni, non satis exprimunt obligationem reparandi damnum ante sententiam pro casu, quo major diligentia tantum fuit omissa per culpam mere juridicam. Neque enim videntur aliter latæ aut receptæ quam lex Aquilia & leges noxales. 3. Regulariter non oritur ex tacito consensu contrahentium, quia ex nullo capite probatur, quod contrahentes aliter se velint obligare, quam ipsæ leges obligant. Sane commodatarius vel conductor non faciunt sibi scrupulum, si ante sententiam non reddant pretium rei locatæ vel commodatæ, in qua custodienda adhibuerunt diligentiam ordinariam, quin periculum rei præviderint, aut obligationem, majorem diligentiam adhibendi, cognoverint.

535 Dicendum 2. Multo minus in contractu regulariter datur obligatio compensandi rem alienam, quæ casu mere fortuito periit. Ita communissima. Casus enim fortuiti sunt supra omnem humanam providentiam atque industriam, & sicut res quælibet domino suo fructificat, ita æquum est, ut casu fortuito etiam pereat domino; hinc nullum exstat jus obligans ad præstandos casus fortuitos, sed potius contrarium statuitur cap. unico de commodato & l. in rebus ff. commodati, quod etiam pro foro externo approbat praxis tribunalium. Excipe 1, quando quis per speciale pactum assecurationis se obligavit ad præstandos casus fortuitos, quod pactum semper exigere potest, qui prorsus gratis commodat. 2. Quando quis fuit in culpabili mora tempore præscripto reddendi e. g. pignus depositum &c. domino,

domino, ita ut ratione talis moræ res perierit, alias non interitura. 3. Quando is, qui accepit rem alienam, illam adhibuit in alium usum vel transtulit in alium locum, quam ratio contractus aut voluntas domini saltem præsumpta permittebat. 4. Quando aliud specialiter statutum est jure provinciali aut municipali. Sic jure Bavarico cautum est, ut si res commodata fortuito pereat, damnum inter commodantem & commodatarium pro arbitrio judicis dividatur.

Objectiones.

Obj. 1. Ipsum lumen naturæ dictat, quod major diligentia debeat adhiberi in contractu quam extra contractum, & quod ille, qui servit pro salario ad plus obligetur, quam qui servit gratuito: ergo cum extra contractum obligatio restituendi in conscientia ante sententiam judicis oriatur ex culpa lata, in contractu oritur ex culpa levi. Conf. Quando contractus cedit in utilitatem solius dantis, jam debet adhiberi diligentia communis: ergo major debet adhiberi, si cedit in utilitatem utriusque, & adhuc major, si cedit in utilitatem solius accipientis: ergo cum in primo casu jam debeat præstari culpa lata, in secundo debet præstari levis, in tertio levissima; atqui culpa levis & levissima sunt culpæ mere juridicæ: ergo. Resp. transf. ant. dist. conf. Si culpa levis fuit admissa deliberate, & cum gravi culpa theologica, transf. conf. si tantum indeliberate & ex culpa mere juridica, neg. conf. Tunc enim nequidem culpa lata extra contractum præstari debet. Ad conf. transmisso primo enthymemate & altera consequentia sub data distinctione negata, dist. etiam min. subsumpt. culpa levis & levissima deliberate admissæ sunt culpæ mere juridicæ, neg. min. indeliberate admissæ, conc. min. objectio ad summum probat, quod jus naturale pro diversitate contractuum obliget 536

nunc

nunc ad magnam, nunc ad majorem vel maximam diligentiam, adeoque quod in materia gravi graviter peccet, & ex culpa theologica obligetur, qui ejusmodi diligentiam deliberate omittit. Porro certum est, quod is, qui alteri servit pro mercede, per se non teneatur adhibere majorem diligentiam quam solent alii diligentes ejusdem conditionis; cum nemo teneatur esse officialis diligentior aut diligentissimus.

537 Obj. 2. Leges positivæ, quæ obligant ad præstandam culpam levem vel levissimam, sunt justæ, nec mere pœnales, etsi obligent ob culpam mere juridicam: ergo obligant in conscientia ante sententiam judicis. Confirm. Si leges positivæ tantum obligarent ad præstandam culpam latam, levem, aut levissimam, quando conjunctæ sunt cum culpa theologica, non inducerent obligationem distinctam ab ea, quam imponit ipsum jus naturale; hoc non potest admitti: ergo. Resp. transf. ant. neg. conf. quia istæ leges talem obligationem vel non intendunt, vel saltem in tali rigore non sunt receptæ, ut dixi de lege Aquilia & legibus noxalibus. Ad confirm. dist. maj. non inducerent obligationem distinctam in conscientia ante sententiam judicis, con. maj. post sententiam, neg. maj. Nam nisi leges istæ obligarent, neque judex ex culpa mere juridica contrahentem condemnare, neque contrahens judicis sententia utpote nixa falsa præsumptione culpæ theologicæ stare teneretur. Adde quod leges positivæ serviant ad instructionem contrahentium & judicis, ut notavi num. 531.

538 Dices. Hoc ipso, quod aliquis contrahat cum altero, censetur se eidem obligare saltem implicite ad servandas leges talis contractus: ergo cum leges istæ obligent ad præstandam culpam levem aut levissimam, quæ saltem sæpissime est culpa mere juridica, tenetur talem culpam præstare in consci-

entia

entia ex tacito consensu. Confirm. Quia alias non satis esset consultum indemnitati alterius partis, cum implorare officium judicis sit valde difficile & molestum maxime rudibus & pauperibus, ut adeo homines merito absterrerentur a contractibus, præsertim, qui cedunt in utilitatem ipsius accipientis. Resp. transf. ant. dist. cons. censetur ad illam culpam mere juridicam se obligare post sententiam judicis, con. conf. ante, neg. cons. & suppositum, quod ipsæ leges ante sententiam ad hoc obligent. Ad confirm. Securitati alterius partis satis consultum est per obligationem præstandi culpam juridicam post sententiam, quod autem aliquibus difficile sit convenire judicem, respectu legum est præcise per accidens, & quilibet indemnitati suæ potest consulere per additum pactum assecurationis; obligatio autem, quam adstruunt adversarii, magis ob suam difficultatem homines absterreret a contractibus.

Obj. 2. Æquitas naturalis exigit, ut ille ferat 539
damnum casu fortuito secutum, qui ex contractu percipit utilitatem: ergo si contractus cedit in utilitatem solius accipientis, ille solus debet præstare casum fortuitum; si vero contractus cedit in utilitatem utriusque contrahentis, damnum inter utrumque debet dividi. Resp. neg. ant. Nam 1, quando contractus cedit in utilitatem solius accipientis, exhibetur accipienti liberale beneficium, pro quo nihil debetur ex justitia, neque dominus vult accipientem plus esse obligatum, quam ipse vellet esse obligatus in simili casu; periculum vero, cui dominus e. g. rem commodando se exponit, satis compensatur partim per amicitiam & obligationem gratitudinis, quam commodatarius tenetur exhibere, partim per æqualem spem conservandi rem apud commodatarium, cum sit præcise per accidens, quod fortuito pereat apud commodatarium, & non periisset apud dominum; potuisset enim æ-

que

que contingere contrarium. 2. Quando vero contractus cedit in utilitatem utriusque, commodum, quod percipit ille, qui non eſt dominus rei, ſatis compenſatur per alia onera ab ipſo ferenda e. g. perſolvendum pretium, exhibendum ſervitium, laborem &c. Profecto iniquum foret, ſi e. g. conductor pro reparatione domus præter pretium uſui proportionatum adhuc deberet ſolvere 500 aureos, caſu quo domus 1000 aureis æſtimata fulmine, vel terræ motu periret.

540 Dices. Conſtat tamen inductione, quod ſæpe in contractu detur obligatio præſtandi caſum fortuitum. Sic 1 mutuatarius tenetur ad reparationem damni, etſi mutuum apud ipſum pereat caſu fortuito. 2. Qui pecuniam depoſitam indiſcernibiliter miſcet cum ſua, tenetur reddere æquivalentem, ſi furto vel rapina eadem ſpolietur. 3. Si res vendita fortuito pereat, perit emptori, etſi necdum fuerit tradita. Reſp. diſt. ant. in contractu, quo dominium rei transfertur in accipientem, & quando res, quæ perit, non amplius eſt aliena, con. ant. ſecus, neg. ant. Hoc ipſum dicimus, quod res, quæ perit caſu fortuito, pereat domino, & hinc ille contrahentium damnum ferre debeat, penes quem vi contractus dominium datur. Jam vero per contractum mutui accedente traditione dominium transfertur in mutuatarium, ſicut etiam depoſitarius per ejusmodi confuſionem fit dominus pecuniæ, ita, ut non teneatur reddere eandem numero, ſed tamen eandem ſpecie, ut de commixtione pecuniæ ſpecialiter ſtatutum eſt l. 78. ff. de ſolut. ob frequentem illius uſum in commerciis. Pariter ex ſpeciali juris diſpoſitione emptor fictione juris cenſetur eſſe dominus rei emptæ quoad commoda & pericula, ſiquidem res determinata & in individuo ſit perfecte & abſolute vendita, ſecus ſi tantum ſit vendita indeterminate & in ſpecie v. g. aliquod vinum

num, vel si venditio tantum sit conditionata aut imperfecta e.g. solum ad mensuram vel etiam ad corpus: sed pretio certo ad singula individua, aut nullo individuorum numero determinato.

Quæres 1. Quis debeat ferre damnum, si res e.g. commodata vel alio titulo debita ad creditorem remittatur per internuntium & hujus culpa vel etiam casu fortuito pereat. Resp. plura hic distinguenda esse; nam, si ipse creditor nuntium designavit, debitor post traditionem bajulo factam liberatur ab onere damnum compensandi, etiamsi res tantum indeterminate fuerit debita, & sive pereat casu fortuito sive per malitiam internuntii; traditio enim procuratori facta censetur facta ipsi domino. 2. Si ipse debitor bajulum elegit, & res tantum fuit debita indeterminate & quoad speciem, seu, ut Juristæ loquuntur, in genere, perit debitori, quia est adhuc dominus, & pereunte individuo genus non perit. 3. Si vero res fuit debita determinate in individuo (Juristæ dicunt in specie) & debitor in re submittenda commisit culpam latam non mere juridicam v.g. quia rem tradidit nuntio suspectæ fidei, rursus debitor in conscientia tenetur damnum præstare, si res per malitiam aut fugam bajuli intereat. 4. Si fides nuntii non fuit merito suspecta & res in individuo debita ex contractu, debitor liberatur ab onere restitutionis; quia neque in illa submittenda culpam theologicam admisit, neque, ut ponitur, ex re aliena factus est ditior. 5. At si debitum fuit ex delicto e.g. ex furto: res iterum perit debitori ratione culpæ præcedentis. 541

Quæres 2. An aliquis teneatur conservare rem alienam ex contractu acceptam vel debitam cum detrimento & jactura rei propriæ e.g. in communi incendio. Resp. 1. Si res propria est æque pretiosa vel omnino pretiosior, nemo tenetur ejus jacturam subire pro servanda re aliena, ex quocunque 542

que titulo depositi, commodati &c. illam habet; quia nemo tenetur res alienas conservare expensis extraordinariis. 2. Si res propria est quidem minus pretiosa, attamen adhuc magni momenti, juxta Lugonem & Tamburin. nondum teneris pro conservanda re aliena illius jacturam subire, nisi moraliter certo sperare possis, te pretium rei tuæ recuperaturum; quia nemo se intendit obligare ad faciendas notabiles expensas pro conservanda re aliena cum gravi suo periculo vel detrimento. In foro tamen externo propter præsumptionem doli talis obligaretur ad restitutionem detracto pretio rei propriæ. 3. Si denique res propria ita sit vilis, ut ex ejus jactura non incurras notabile detrimentum, debes illi præferre rem alienam pretiosiorem, quia in omni contractu imbibitur aliqua obligatio rem alienam custodiendi, quando rationabiliter fieri potest. Ubi merito observat Tamburinus hanc obligationem majorem esse, si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, quam si in utilitatem utriusque contrahentis, item majorem si cedat in utilitatem utriusque quam solius dantis.

543 Quæres 3. An restitui debeant, quæ habentur ex contractu, vel donatione ob turpem causam? Resp. 1 affirmative, si turpitudo se teneat ex parte ipsius accipientis, & ipsa retentio turpis sit. Ut si latro aliquid accepit, ne occidat, depositarius, ut reddat debitum, vel si judex pro sententia justa aliquid petiit vel extorsit ultra id, quod lege vel consuetudine ipsi debetur. 2 Si e. g. sicarius pretium accepit pro patrando homicidio, meretrix pro corporis prostitutione &c. conditione necdum impleta pretium reddi & pactum rescindi debet, quia nulla potest dari obligatio ad peccandum. 3. Licet probabilius videatur, quod etiam conditione impleta merces promissa non debeatur, si tamen revera accepta est, potest retineri, modo non sit immodica & fraudulenter extorta; quia vel dans

dans ſponte cenſetur illud obtuliſſe pro actione ſibi utili aut delectabili, vel ſaltem accipiens eſt in poſſeſſione, neque retentio amplius peccaminoſa, cum graves auctores probabiliter doceant, ejusmodi pretium poſt impletam conditionem de jure naturæ omnino deberi, leges autem poſitivæ, quæ jubent reſtitui turpe lucrum juxta Sanch. Leſſ. Lugo, ſunt mere pœnales, nec obligant ante ſententiam, niſi in caſu particulari recipientem reddant incapacem pretii acquirendi uti ſimoniacos, & illos, qui aliquid dant, accipiunt, vel promittunt pro gratia vel juſtitia a Sede Apoſtolica obtinenda.

DISPUTATIO II.

De reſtitutione circa bona fortunæ.

Obligatio reſtituendi bona fortunæ oritur tum ex poſſeſſione rei alienæ, tum ex variis injuſtis damnificationibus, quæ ſive extra, ſive in contractibus fieri, & in ſenſu quodam latiore furtum dici poſſunt. In ſenſu autem ſtricto furtum a theologis communiter definitur acceptio occulta rei alienæ domino rationabiliter invito. Differt a rapina, quia hæc fit aperte cum vi, aut violentia, vel ſaltem cum metu injuſte incuſſo, ut ſi publicus graſſator minitetur mortem, ni tradantur pecuniæ; a reliquis damnificationibus diſtinguitur, quia in illis vel nihil alienum accipitur, vel ſaltem non ignorante domino; ſic contrahens injuſte non intendit aliquid auferre domino neſciente, ſed tantum cupit, ut dominus non advertat injuſtitiam contractus. Verum in ordine ad reſtitutionem nihil refert, ſive injuſta damnificatio in bonis fortunæ ſit furtum ſtricte, ſive minus ſtricte dictum, & utrumque prohibetur eodem præcepto: Non furtum facies. 544

545 Interim ad omnem injuſtam damnificationem requiritur, ut fiat domino rationabiliter invito; nam ſi dominus in ablationem, vel deſtructionem rei ſuæ conſentit, vel ex rationibus moraliter certis conſentire præſumitur, nulla ipſi fit injuria. Ubi advertendum, dominum poſſe eſſe rationabiliter invitum, quoties alter non habet jus rigoroſum rem auferendi, vel deſtruendi, eſto, quod dominus ex alio capite irrationabiliter, & contra ſuam obligationem agat, e. g. voviſti pauperi dare eleemoſynam, nec tamen illam tribuis, pauper nihilominus vere committit furtum, ſi tibi occulte aliquid ſurripit; quia votum tuum illi non tribuit jus rigoroſum in tua bona: aliud eſſet, ſi quis in extrema neceſſitate tibi auferret tantum, quantum requiritur ad depellendam præſentem neceſſitatem; non enim ideo poſſes rationabiliter eſſe invitus, quia ſicut ante primam rerum diviſionem, ſic in extrema neceſſitate omnia bona ſunt communia, adeoque extreme indigens habet jus rigoroſum, ſaltem ad uſum rei alienæ.

QUÆSTIO I.

Quænam quantitas materiæ ſufficiat ad furtum grave?

546 Furtum eſt peccatum ex genere ſuo mortale; poteſt enim eſſe peccatum grave, quin accedat materia alterius ſpeciei. Sic nemo dubitat, furari 1000 aureos eſſe peccatum grave, licet nulla alia ſpecie malitia interveniat: attamen furtum non eſt peccatum mortale ex toto genere ſuo, ſed capit parvitatem materiæ, ob quam ſolam poteſt eſſe veniale, uti furtum unius crucigeri. Hinc oritur quæſtio, quænam quantitas materiæ ſit ſufficiens ad peccatum mortale furti, aut alterius injuſtæ damnificationis in bonis fortunæ, ita, ut major quantitas

titas ad id, & consequenter etiam ad fundandam gravem obligationem restituendi non requiratur; an videlicet hæc quantitas respectu omnium seu divitum, seu pauperum, quibus aliquid surripitur, sit eadem? an vero pro diversitate status, & divitiarum diversa?

Quantitatem cum respectu ad damnificatorum statum considerandam esse docet hodie communior cum Molina. Laym. Lugo, Gorm. Reginald. Navarr. Filliuc. contra Valent. Tolet. Less. Haunold. &c. qui tamen ipsi in quantitate absoluta assignanda multum discrepant; imo aliqui doctrinam suam ita moderantur, & explicant, ut in ordine ad praxin parum, aut nihil differant a communiori sententia. Licet enim doceant, per se loquendo ad peccatum mortale semper sufficere eandem materiam e. g. 30 crucigeros cuicunque demum auferantur, addunt tamen, per accidens sæpe contingere, ut fur excusetur a peccato gravi, si talem materiam auferat principi, vel alteri cuidam valde opulento; quia rationabiliter potest præsumi, quod non sit graviter invitus. Ut adeo discrimen inter hos auctores, & illos, qui stant pro quantitate respectiva, solum versetur in eo, quod hi auctores contendant, opulentum non minus, quam pauperem posse graviter esse invitum propter ablationem ejusdem quantitatis. 547

Dicendum. Quantitas materiæ sufficiens ad furtum vel aliam damnificationem gravem in bonis fortunæ non est eadem respectu omnium, sed diversa pro diverso statu, & conditione hominum, qui damnificantur. Prob. Illa sola quantitas sufficit ad peccatum mortale furti, vel alterius injustæ damnificationis, circa cujus ablationem dominus rationabiliter potest esse graviter invitus; sed hæc quantitas non est eadem respectu omnium: ergo. Maj. patet; nam sicut furtum in genere est ablatio rei domino ra- 548

tionabiliter invito, ita furtum grave est ablatio domino rationabiliter invito graviter, ita, ut ablatio talis rei per se apta sit causare gravem animi dolorem, tristitiam, & indignationem. Min. prob. 1 ex communi sensu, juxta quem princeps, vel alius valde opulentus irrationabiliter esset invitus graviter propter ablationem 20 vel 30 crucigerorum, ob quam ipsam ablationem merito graviter invitus esset homo tenuis fortunæ. 2. Ex ratione; quippe regi per ablationem dimidii floreni non infertur notabile damnum, neque privatur bono respectu ipsius multum æstimabili, cum tamen ejusmodi jactura notabiliter æstimabilis, & graviter damnosa esset respectu pauperis, vel opificis, qui labore diurno ægre vitam sustentat.

549 Equidem quantitas respectiva, quæ pro singulis hominum statibus, & circumstantiis ad peccatum grave sufficiat, sæpe ultimato determinari debet prudentis arbitrio, pensatis tum damnificatorum conditione, tum æstimabilitate, copia, raritate pecuniarum, victualium &c. quæ pro diversitate temporum, locorum, aliarumque circumstantiarum valde mutantur, ut adeo nulla generalis regula statui possit. Non tamen mihi displicet opinio illorum, qui cum Gormaz, & Illsung docent, in furto simul & semel commisso ab extraneo, eam quantitatem ad mortale sufficere, quæ sufficit, & necessaria est ad comparandum victum diurnum, mediocrem, & ordinarium, conditioni personæ, cui aufertur, proportionatum. Sicut enim cuilibet grave accidit integro die carere sustentatione statui suo accommodata, ita quilibet ob injustam ejus ablationem rationabiliter potest esse graviter invitus. Dixi, in furto simul & semel commisso ab extraneo; nam in furtis successivis ad peccatum mortale plus requiritur, uti etiam in furtis domesticorum, quia paterfamilias ordinarie est minus invitus, imo respectu uxoris, & liberorum sæpe non tam

tam eſt invitus quoad rem acceptam, quam quoad modum accipiendi clandeſtine, aut ratione finis, ob quem accipitur v. g. ad ludendum, potandum &c.

Ut regula primum data magis explicetur, quantitas ad honeſtam, & congruam ſuſtentationem pro diverſis hominum ſtatibus, & juxta ordinarium temporum curſum in noſtris regionibus ulterius ita taxari poteſt, 1. reſpectu regum, ac principum unus aureus, ſeu ducatus. 2. Reſpectu illuſtrium & mercatorum valde opulentorum, quales tamen non multi in Germania, duo floreni. 3. Reſpectu nobilis pro ſuo ſtatu divitis unus florenus cum dimidio. 4. Reſpectu civis honorati & opulenti unus florenus. 5. Reſpectu opificis mediocriter divitis 30 cruciger. 6 Reſpectu operariorum diurnorum 15 cruciger. 7. Reſpectu pauperum ex eleemoſynis, & aliena liberalitate viventium 10 cruciger, vel adhuc pauciores. Ratio hujus proportionis eſt commune judicium prudentum & doctorum, præſertim hodiernorum, ad quod in hac materia non minus attendi debet, quam in taxandis rerum pretiis, congruis ſalariis &c. Profecto qui gravitatem furti conſtituunt in quantitate abſoluta, in diverſiſſimas vias abeunt: alii nimis laxe univerſim requirunt duos aut plures, imo etiam 100 aureos: alii nimis rigide dicunt, univerſim ſufficere 30, 13, imo & octo crucigeros. Lugo ait, conſtare quidem, furtum oboli eſſe leve, & furtum plurium aureorum eſſe grave, quænam autem materia ultimato ita levis, aut gravis ſit, ut nullum amplius exceſſum, vel defectum admittat, ſolum ſcire Deum. 550

Objectiones.

551 Obj. 1. Gravitas, vel levitas damnificationis in bonis fortunæ habetur ex natura rei: ergo ſicut natura rerum in omnibus eſt eadem, ſic etiam eadem

quantitas ſufficit ad furtum grave reſpectu omnium. Conf. Divites non debent eſſe pejoris conditionis, quam pauperes: ergo non debet ipſis plus auferri poſſe, quam pauperibus. Certe qui plus habet de bona fama, per detractionem non patitur minus damnum, quam alius, qui minus habet. Reſp. diſt. ant. Habetur ex natura rei, attamen cum relatione ad perſonam damnificatam, ejusque ſtatum ac divitias, conc. ant. ſine tali relatione, neg. ant. Ipſi adverſarii communiter docent, gravitatem, vel levitatem damnificationis in fama non præciſe haberi ex natura rei ſine reſpectu ad perſonas, propterea detractionem, quæ cenſetur levis reſpectu hominis plebeji, poſſe gravem eſſe reſpectu viri honorati e. g. epiſcopi. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Sicut divitibus ſine peccato gravi plus poteſt auferri, ſic ſine notabili moleſtia plus poſſunt amittere, nec ideo quisquam ex illis ſuam conditionem cum paupere mutaret. Paritas addita omnino probaret, quod diviti minus auferre liceat; quia quanto plus aliquis habet de bona fama, tanto æſtimabilius damnum per detractionem patitur, ut omnes naturali inſtinctu ſentimus.

552 Dices. Jus, quod habet dives ad ſua bona e. g. ad dimidium florenum, eſt æque magnum, ac jus, quod habet pauper ad ſuum dimidium florenum: ergo eſt eadem violatio juris, & injuſtitia, ſive dimidius florenus auferatur pauperi, ſive diviti, licet furando pauperi magis peccetur contra caritatem. Conf. Diverſitas ſtatuum, & inæqualitas divitiarum inter homines habet ſe tantum per accidens; atqui jus naturæ non attendit ad ea, quæ ſe tantum habent per accidens: ergo. Reſp. diſt. ant. Eſt æque magnum in ſe, conc. ant. eſt a divite æque æſtimabile, neg. ant. & conſ. Jus ad frumentum eſt æque magnum, ſive frumentum plus, ſive minus valeat, quia tamen frumentum magis æſtimabile eſt, quando conſtat pretio majore, etiam major eſt injuria, ſi tunc furto aufe-

auferatur. Sicut viciſſim ſi medius florenus donatur pauperi, illum magis æſtimat, quam dives. Ad conf. tranſ. maj. neg. min. univerſaliter ſumptam; nam jus naturæ ſæpe in ſuis obligationibus vel maxime attendit ad caſus per accidens: ſic in læſione famæ diverſitas ſtatus, & dignitatis quoad ſingulas perſonas determinate ſumptas ſe habet mere per accidens: ſic per accidens eſt, quod hic homo redactus ſit ad extremam neceſſitatem, & tamen hoc ſuppoſito jus naturæ obligat, ut ei ſuccurratur.

Obj. 2. Pecuniæ, aliæque res temporales ſunt ejusdem æſtimabilitatis apud divitem, & pauperem: ergo. Ant. prob. æſtimabilitas rei temporalis non dependet a privata indigentia, vel opulentia domini, ſed a conducentia ad uſus humanos tanquam ad ſuum finem; atqui hæc conducentia eſt eadem, ſive res ſit apud divitem, ſive apud pauperem: ergo. Conf. Per illam quantitatem pecuniæ, quæ eſt notabile bonum reſpectu pauperis, dives pauperi poteſt præſtare notabile bonum ſublevando illius indigentiam; atqui poſſe præſtare notabile bonum pauperi eſt notabile bonum divitis: ergo. Reſp. diſt. ant. Sunt ejusdem æſtimabilitatis intrinſecæ, conc. ant. extrinſecæ, neg. ant. nam æſtimabilitas extrinſeca vel maxime etiam dependet ab indigentia, ob quam a paupere res fortunæ longe magis æſtimantur, quam a divite. Hinc ad ulteriorem probationem neg. maj. rurſus intellectam de æſtimabilitate extrinſeca. Ad conf. diſt. maj. Servit diviti ad dictum finem, quem tamen etiam ex aliis ſuis pecuniis facile, & citra magnum ſuum incommodum poſſet obtinere, conc. maj. ut hoc non poſſet, neg. maj. tametſi diviti ex magno cumulo pecuniarum medius florenus auferatur, id non adeo curat, & tanta adhuc copia ipſi remanet, ut ex ea facile adhuc pauperi poſſit ſuccurrere, & meritum eleemoſynæ obtinere. 553

 Di-

554 Dices 1. Si pecunia, vel alia res esset minus æstimabilis apud divitem, quam pauperem, contractus, qui inter æqualiter divites sunt justi, essent injusti, si intercederent inter divitem, & pauperem; quia non servaretur æqualitas inter datum, & acceptum, ad justitiam contractus requisita: ergo. Conf. Majores divitiæ principi, vel nobili æque, vel magis possunt esse necessariæ, quam homini plebejo suæ: ergo propter ablationem ejusdem quantitatis uterque æqualiter potest esse invitus. Resp. neg. ant. cum ratione addita; nam sicut id, quod dives accipit a paupere, apud divitem extrinsece sit minus æstimabile: sic econtrario id, quod pauper accipit a divite, apud divitem fit minus æstimabile, quam postmodum sit apud pauperem, adeoque omnibus consideratis datur æquale pro æquali, & uterque post commutationem habet æquivalenter tantum, quantum habuit antea. Ad conf. trans. ant. neg. cons. quia non obstante illa æquali necessitate, & indigentia, eadem quantitas non sufficit ad æqualiter augendam, vel inducendam indigentiam respectu utriusque, sicut non sufficit ad eandem æqualiter sublevandam.

555 Dices 2. Saltem ex nostra sententia sequeretur 1, quod nobiles, qui tantum apparenter sunt divites, deberent cum jactura honoris suam inopiam manifestare, vel non possint graviter obligare ad omissionem furti, quod respectu pauperis est grave. 2. Quod divites teneantur prodere suas divitias, ne simulando paupertatem aliis imponant gravem obligationem omittendi furtum, quod seclusa simulatione non esset grave. 3. Quod nemo sine gravi injuria possit manifestare alterius occultas divitias, quia faceret, ut ei deinceps plus posset auferri sine peccato gravi. Resp. ad 1. Si talis nobilis nolit suam paupertatem manifestare, sibi ipsi debet imputare, quod parem cum divitibus fortunam subire debeat,

debeat, quamquam splendida ejusmodi paupertas ordinarie ex circumstantiis satis transluceat, ut proin furi saltem prudens oriatur dubium de latente inopia. Ad 2. Divites deceptionem passivam, quae oritur ex simulatione paupertatis, non intendunt positive, nec tenentur illam impedire; hinc rursus per accidens, & propriae culpae imputandum est, si quis auferendo quantitatem, quae respectu pauperis est gravis, graviter peccet. Ad 3. Qui manifestat alterius divitias, per se loquendo ponit actum indifferentem, qui non est connexus cum damnificatione; hinc rursus mere per accidens alii inde sumunt occasionem furandi.

Obj. 3. Nisi statuatur quantitas absoluta, nun- 556
quam habetur regula universalis discernendi furtum leve a gravi, neque ulla est ratio, cur gravitas furti potius desumi debeat, per ordinem ad victum diurnum, quam ad aliquid aliud. Imo potest quis graviter contra justitiam peccare per ablationem unius aciculae, si eam auferat sartori, qui aliam nec habet, nec sibi comparare potest, & ideo diu nequit exercere suam artem. Conf. Si quantitas materiae desumitur ex victu diurno, opifici, qui plures habet liberos, tantum licet auferre, quam alteri, qui nullos habet, cum tamen caeteris paribus prior suis bonis longe magis indigeat. Resp. Regulam universalem esse, quod illa quantitas ad furtum grave sufficiat, ob cujus ablationem dominus rationabiliter potest esse graviter invitus. Pro applicatione hujus regulae saltem plerumque servire potest consideratio victus, & sustentationis diurnae, quae cuilibet homini est necessaria, & praecipuus finis bonorum fortunae, adeoque merito gravitas damni ex illa desumitur. In addito casu ablatio aciculae est peccatum contra justitiam non praecise in ratione furti, sed alterius damnificationis injustae, nempe cessationis notabilis lucri, quod sartor alias fecisset. Ad conf. nego sequelam; nam opifex pluribus liberis

beris oneratus victum suum diurnum magis debet moderari, & accommodare suæ indigentiæ, quæ utique apud ipsum major est, quam apud alium æque divitem, qui pauciores liberos alere debet.

557 Dices 1. Quamvis diviti auferatur ea quantitas, quæ requiritur ad sustentationem diurnam, ipse hanc jacturam facile potest reparare, nec propterea victu diurno debet carere. Imo princeps ex furto unius aurei minus damnum patitur, quam civis mediocriter dives ex furto 15 crucigerorum: ergo. Conf. Quantitas pro rege assignata debet ita se habere ad quantitatem assignatam pro cive, sicut se habet opulentia regis ad opulentiam civis; sed opulentia regis opulentiam civis longe magis superat, quam unus aureus dimidium florenum: ergo. Resp. transf. ant. neg. cons. quia nihilominus quantitas, quæ sufficit ad sustentationem uno die, est aliquid notabile in bonis fortunæ. Addunt alii, ablationem unius aurei esse graviter nocivam principi saltem per consequentiam, quatenus, nisi sub mortali esset prohibita, aperiretur latissimum ostium ad ejusmodi furta repetenda, quorum multiplicatio etiam regibus ditissimis grave damnum afferret. Ad conf. dist. maj. debet ita se habere cum æqualitate arithmetica, seu proportione perfecte correspondente, neg. maj. cum æqualitate geometrica, seu proportione quadam deficiente, quæ consideratis majoribus oneribus, frequentioribus damnis, & periculis regum datur in assignatione victus diurni, transf. maj. si proportio quantitatis potius deberet desumi ex proportione opulentiæ, quam conducentia ad sustentationem vitæ, ad peccatum mortale respectu regis ditissimi non sufficerent 100 vel 1000 aurei.

558 Dices 2. Modo regi sine peccato gravi posset auferri dimidius florenus, vel tres floreni, ista licentia per consequentiam jam graviter noceret ob præsentissimum periculum, ne talia furta identidem re-

repetantur : ergo. Conf. L. Si quis affirmavit, ff. de dolo, modica summa dicitur, quæ non ascendit ad duos aureos : ergo saltem respectu regis valde divitis unus aureus non est materia gravis in genere furti. Resp. transf. ant. neg. conf. Licet tres floreni sint materia valde alliciens, tamen juxta communem æstimationem non sufficiunt ad diurnam sustentationem principis : medius autem florenus longe minus allicit ; quod si ablatio illius sæpius repetatur ab eodem, jam pervenitur ad summam gravem ; ne vero ejusmodi repetitio fiat a diversis, multum impediri potest per vigilantiam præfectorum : præterea multi sunt conscientiæ timoratæ, & multi absterrentur timore pœnæ, vel occasionem furandi non habent. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Jus civile summam duobus aureis minorem reputat modicam non simpliciter, sed tantum in ordine ad actiones forenses, quia non ob quodlibet furtum in foro conscientiæ grave, statim conceditur actio in foro externo. Quamquam defacto etiam in foro externo non raro pro minore quantitate litigetur.

Quæres. An quantitas sufficiens ad furtum grave consistat in indivisibili physico, vel morali ? Resp. 559
Hanc difficultatem esse omnibus communem, sive quantitatem absolutam sive respectivam assignent. Interim communior docere videtur, hanc quantitatem consistere in indivisibili tantum morali, proin si in aliquo casu florenus ponatur esse furtum grave, illum jam peccare moraliter, qui aufert florenum moraliter totum, etsi unus aut alter cruciger desit ; quid autem sit totus moraliter florenus, unice dependere a judicio prudentum. Ratio istorum auctorum est, quia in æstimatione morali furtum unius floreni parum videtur differre a furto 59 crucigerorum ; cumque in hac materia summa sit difficultas assignare quantitatem, & proportionem tantum moralem, non apparet sufficiens fundamentum statuendi pro-

proportionem physicam, seu mathematicam, præsertim cum ipse victus diurnus tantum consistat in indivisibili morali, in ordine ad quem taxatur quantitas ad furtum grave sufficiens. Verum licet hæc sententia in praxi, in qua moraliter procedere solemus, forte magis expediens, & utilis sit, speculative loquendo graves patitur difficultates.

560 Hinc Haunoldus, Gormaz, & Cardenas contendunt, quantitatem furti gravis consistere in indivisibili physico; quia alias deberet procedi in infinitum. Si enim deficiente uno nummo ex floreno, moraliter maneret totus florenus, vel ista summa iterum tantum deberet accipi moraliter, vel physice? Si physice, habetur intentum; si moraliter, ergo etiam poterit deficere alter nummus, & iterum de novo redit quæstio. Sed neque ipsi prudentes conveniunt, quot e. g. cruciferi ex floreno deesse possint, ut tamen adhuc moraliter florenus maneat, adeoque tali modo nihil unquam certi statui posset. Unde citati auctores inferunt, quod unico nummo ex floreno non ablato, vel reddito furtum cesset esse grave, non quasi unicus nummus sit materia gravis, sed in quantum conjunctus cum aliis facit materiam gravem; ferme sicut non unica gutta inebriat, aut navem mergit, sed una cum reliquis. Quamvis itaque florenus & 59 cruciferi parum differant physice, & quoad entitatem, plurimum tamen differunt moraliter, & quoad effectum, quia una est dissolutio amicitiæ Divinæ, non item altera. Addit La Croix ex Vasq. Sayr. Reginald. Bass. aliisque plurimis, etiam illum non peccaturum graviter, qui auferret totum florenum, modo statim iterum e. g. intra quadrantem vellet restituere ultimam partem, quia per talem ablationem non infertur damnum grave, neque est periculum diuturnæ retentionis, adeoque dominus non potest esse graviter invitus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An & quomodo plura furta minuta coalescant in unum grave?

Furta minuta coalescere dicuntur, quando per in- 561
tentionem furis, vel ipsam temporis propinquitatem ita moraliter uniuntur, ut in æstimatione hominum simul unam summam constituant; quantum autem temporis intervallum requiratur, ut ejusmodi furta censeantur moraliter interrumpi, valde incertum est. Rebellus requirit intercapedinem quatuor, vel plurium annorum. Sanchez, & Dicastillio uno anno contenti sunt. Diana valde liberaliter asserit, sufficere mensem integrum, vel dimidium, quam sententiam Filliuccius dicit valde probabilem, si furta fuerint valde minuta, & prius accepta jam consumpta. Verum hac in re non potest dari regula universalis, sed in quovis casu particulari determinatio facienda est ex circumstantiis personarum, rerum ablatarum, &c. De eo nemo ambigit, quin intervallum debeat esse majus, quam quantum requiritur ad hoc, ut peccata dicantur moraliter interrupta, & numero distincta in ordine ad confessionem.

Præterea auctores satis conveniunt, ad sum- 562
mam gravem constituendam tanto plus requiri, quanto magis furta minuta a se invicem distant, adeo, ut Sanchez, & Lessius censeant, si tempus valde longum intermediet, requiri duplo majorem quantitatem quam alias sufficeret ad furtum grave, quod per unam ablationem committitur: si vero intermediat tantum breve tempus e. g. 6 vel octo dies, videtur sufficere eadem ferme quantitas, quæ sufficit in furto simultaneo; quia in hoc casu dominus patitur idem ferme damnum, & videtur æque esse invitus. Idem proportionaliter dicendum, si auferantur res valde parvæ, aut diver-

diversis; tunc enim quo major est illorum numerus, quibus aliquid aufertur, eo minus singuli sunt inviti; hinc si fuerint 30, Lugo, & Diana duplum requirunt; quod si plures illi ne quidem eandem communitatem constituant, Esparza putat, furta levia vix unquam coalescere. Lessius quoque probabilem censet sententiam Dianæ, quod videlicet, si homo valde pauper & egenus successive pluribus modicum quid auferat, non facile sit damnandus peccati mortalis.

563 His præmissis jam indagandum est, quando quis per furta minuta (idem est de aliis damnificationibus levibus) peccet graviter, & consequenter obligetur ad restituendam totam summam gravem ratione coalescentiæ, & injustæ damnificationis; si enim furta minuta sunt moraliter interrupta, & in unum grave non coalescunt, tunc sicut per primum, ita neque per ultimum furtulum, a reliquis moraliter sejunctum, committitur culpa gravis, etiamsi successive auferatur magna quantitas, adeoque in nostris principiis gravis obligatio restituendi solum oriri potest ex re accepta, siquidem hæc formaliter vel virtualiter adhuc existat. Hinc Lessius, Cajet. Navarr. Bann. Sanchez a peccato gravi, & obligatione gravi restitutionis excusat famulos, si per furta minuta successive notabilem quantitatem auferant in esculentis, & poculentis tantum ordinariis, & non pretiosis, quæ exacte claudi, & asservari non solent, modo ipsimet famuli ea absumant, & non aliis vendant, quia dominus non videtur esse invitus quoad substantiam, & rem acceptam. Sed dubito, an heri non raro parci, & tenaces in hanc doctrinam universim consentiant.

564 Dicendum 1. Qui post plura furta commissa advertit, conflari summam gravem, peccat mortaliter, scienter complens illam summam, si vero jam prius habuit intentionem successive perveniendi ad

ad summam gravem, per singulas leves actiones peccat graviter. Ita communis. Prob. prima pars. Quia acceptio parva, per quam completur summa gravis, licet in se sit levis, addita tamen præcedentibus acceptionibus domino infert grave damnum: ergo est graviter peccaminosa contra justitiam; sicut retentio ultimæ quantitatis parvæ, per quam scienter completur, & detinetur summa gravis. Prob. 2da pars. Quia in posito casu singulæ acceptiones minutæ, licet non sint furtum grave consummatum, sunt tamen executio intentionis mortaliter peccaminosæ; atqui actualis executio intentionis, seu voluntatis mortaliter peccaminosæ est peccatum grave, ut constat ex tract. de actibus humanis. Utrum autem tales acceptiones minutæ dici debeant furta levia propter parvitatem materiæ, ut vult Lugo, vel furta gravia, ob intentionem graviter peccaminosam, ut vult Lessius, ad solum modum loquendi pertinet.

Dicendum 2. Qui per plura furta minuta sive simul, sive successive pluribus aufert summam gravem, per se loquendo peccat mortaliter, etsi nullum seorsim graviter damnificet. Ita rursus communis; nam per talia furta infertur grave damnum communitati, quæ notabiliter patitur in suis membris, unde merito potest esse graviter invita; imo etiam singula membra debent esse graviter invita quoad hunc modum furandi, qui nisi graviter prohiberetur, cederet in gravissimum detrimentum reipublicæ, tolleret fidem, & securitatem commerciorum, & valde alliceret homines ad furandum cum neglectu artium laboriosarum &c. Conf. Ex sententia opposita sequeretur, quod non peccarent graviter 1 mercatores, & caupones, si utantur stateris dolosis, vel falsificent mensuras, & pondera. 2. Qui ex communi ærario civitatis accipiunt magnam partem pecuniæ. 3. Qui ex singulis 565

mone-

monetis aureis tenue ramentum præscindunt. 4. Qui sine justo titulo a singulis transseuntibus exigunt levem gabellam; atqui hæ sequelæ sunt summe perniciosæ reipublicæ, & communitati humanæ, ut fatetur communis auctorum: ergo &c.

566 Dicendum 3tio. Etsi plures per furta minuta uni eidemque inferant grave damnum, nullus peccat graviter, posito, quod singuli seorsim, & independenter ab aliis furentur, ut contra Suarez, Vasquez, Molin. docet Less. Lugo, Salas, Sporer, Dicastillo. Quia ex una parte in tali casu quilibet tantum infert damnum modicum, ex altera parte nullus cum reliquis constituit unum agens totale: ergo per se nullus est causa moralis, & efficax gravis damni, consequenter nullus peccat graviter; alias pauperes fere semper peccarent graviter modicum quid auferendo divitibus, quia fere semper præcedunt, vel subsequuntur alia furta minuta, quæ his ipsis divitibus ab aliis fiunt, & simul magnam quantitatem constituunt. Dixi, si singuli seorsim, & independenter ab aliis furentur; si enim id faciunt communi consilio, hortatu, & inita quasi societate, certum est, quod singuli peccent graviter; quia constituunt unum agens totale, & quilibet est causa moralis totius damni, ad quod veluti consors, & causa partialis concurrit; hinc quilibet tenetur ad restitutionem in solidum, hoc est, si reliqui non velint, aut non possint restituere pro rata, ipse tenetur restituere totam summam.

Objectiones.

567 Obj. 1. Materia levis non est apta ad constituendum peccatum mortale: ergo licet quis scienter per ultimum furtulum compleat summam gravem, non peccat graviter. Conf. Damnum grave tali furi non est voluntarium; nam inferendo damnum

num ultimum non approbat furta præcedentia, præsertim si priores quantitates jam consumpserit ; imo potius vellet compensare totum damnum, si absque magno incommodo posset. Resp. Dist. ant. Si materia levis præcise consideratur secundum se, con. ant. si consideretur ut complens damnum grave cum ablationibus præcedentibus, neg. ant. quod falsum esse etiam colligitur ex propositione 29 damnata ab Alexandro VII. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Ad confirm. neg. ant. Talis fur cognoscit & damna præcedentia, & damnum novum, per cujus accessionem videt domino oriri damnum grave, adeoque ultimum damnum vult ut connexum cum præcedentibus, & sic implicite vult totum damnum, saltem nisi firmum habeat propositum, & potentiam ablata mox restituendi ; tunc enim furtum posterius non amplius videtur coalescere cum prioribus, neque damnum grave deliberate inferri.

Obj. 2. Qui pluribus ex eadem communitate le- 568
viter detrahit, non peccat graviter : ergo neque qui pluribus leve aliquid aufert, modo non habeat animum perveniendi ad summam gravem. Confirm. Furta tantum modica non multum alliciunt homines : ergo licet non sint graviter prohibita, ideo reipublicæ nullum grave imminet periculum. Resp. trans. ant. neg. cons. Cum ex detractionibus levibus nullum capiatur lucrum temporale, non datur tantum illicium ad eas multiplicandas, ut inde communitati, vel singulis membris facile grave damnum oriatur. Si tamen tale damnum in casu particulari prævideretur, etiam per levem detractionem posset graviter peccari. Porro quamvis grave damnum per furta minuta non intendatur, illud tamen, ut in casu ponimus, satis cognoscitur, adeoque jam est voluntarium. Ad conf. dist. ant. Si singula con-

considerentur seorsim, conc. ant. si considerentur simul, neg. ant. nam qui cuilibet tantum modicum auferret, posset sibi magnam rerum copiam comparare. Possunt tamen furta minuta diversis facta quandoque a peccato gravi excusari propter tacitum consensum dominorum; ut si mendicus ex diversis agris aliquot spicas frumenti colligat, vel ex diversis hortis unum aut alterum pomum decerpat.

569 Obj. 3. Quando plures eidem aliquid leve furantur, singuli advertunt, quod ille grave damnum patiatur: ergo quilibet scienter concurrit ad grave damnum; hinc in eos, qui alienas vineas, & hortos devastant, lata est excommunicatio major, quæ solum propter peccatum mortale incurritur. Conf. Qui homini ab aliis jam læso addit ultimum vulnus, ex quo tandem mors sequitur, peccat graviter, etsi ultimum vulnus se solo non esset lethale: ergo a pari. Resp. trans. ant. dist. conf. Quilibet scienter ad grave damnum concurrit materialiter, & physice, conc. conf. formaliter, & tanquam causa moralis, neg. conf. nam gravitas talis damni sequitur mere per accidens, & præter intentionem cujuslibet in particulari; excommmunicatio autem tantum in eos lata est, qui alienas vineas, & hortos ita devastant, ut singuli auferant quantitatem gravem, vel levem quidem, sed ex condicto pacto, inita societate, &c. Ad conf. trans. ant. neg. conf. quippe ultimum vulnus est causa novi effectus, nempe mortis, quæ sola aliquid grave, & indivisibile est, ut adeo mors merito aliis quidem partialiter, ultimo autem totaliter imputetur.

570 Quæres 1. Quomodo peccet, qui post damnum grave alicui successive, vel etiam simul a se illatum eidem denuo aufert materiam levem? Resp. cum communiore contra Molinam: si damnum leve inferatur cum advertentia ad damnum grave jam prius illatum, toties rursus peccari mortaliter, quoties de

de novo materia levis aufertur, nisi prius damnum vel jam sit reparatum, vel saltem serio, & statim reparandum sit; quia sicut ultima ablatio materiæ levis, quando complet furtum grave, cum prioribus coalescit in unam damnificationem, ita etiam nova acceptio materiæ levis cum damno gravi prius illato rursus constituit materiam gravem; alias peccatum mortale prius commissum per quascunque subsequentes acceptiones leves semper tantum aggravaretur, cum tamen semper pro objecto habeatur materia gravis cum voluntate augendi prius damnum. Idem dicendum in aliis materiis e. g. de eo, qui in horis canonicis per omissiones parvas venit ad materiam gravem, & postea iterum leve aliquid omittit, ac pergit habere voluntatem hoc leve omittendi cum priore.

Quæres 2. An peccet contra justitiam, qui plures alios ad furta minuta inducit solo exemplo? 571
Ratio dubitandi est, quia talis scienter videtur cooperari ad grave damnum proximi, imo alios ad tale damnum inferendum movet, cum tamen quilibet ex justitia teneatur omittere id, ex quo prævidet læsionem juris alieni, ut docet Navarr. & Medina. Sed contradicunt Less. Lug. Salas &c.; quia qui solo exemplo alios inducit, proprie furtis aliorum non cooperatur, neque illos movet directe, adeoque non est causa moralis, quod jus alienum lædatur graviter, neque peccatum aliorum ex se cum suo peccato connexum est. Fundamentum igitur oppositæ sententiæ juxta laudatos auctores tunc solum subsistit, quando quis influit in totum damnum moraliter, & directe jussu, consilio, &c. Et in eodem sensu ab Innocentio XI. damnata est propositio 31: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Nihilominus in tali casu peccatur contra caritatem, cum quis facile

possit, consequenter etiam debeat impedire grave damnum proximi. Hinc etiam si quis prævideat, quod ipso restituente pro rata etiam reliqui facturi sint restitutionem, caritas obligat sub gravi ad restituendam suam partem, quæ tamen obligatio est tantum per accidens, cum per se nulla virtus, quam justitia commutativa ad restitutionem obliget.

QUÆSTIO III.

Utrum aliquando licita sit tacita compensatio?

572 Quæstioni huic præter alia ansam præbuit propositio 37 ab Innocentio XI. damnata: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quæ verba, licet explicite solum loquantur de famulis, & famulabus, implicite ob omnimodam paritatem rationis complectuntur omnes, qui ex condicto salario operam suam impendunt aliis, & certa officia exercent, uti administratores communitatis, vectigalium, rei familiaris, item custodes agrorum, nemorum, pecorum &c. Porro quia in foro externo regulariter constare non potest, quod compensatio facta sit cum conditionibus requisitis, judices solent præsumere fraudem, & occulte compensantes condemnare ad restitutionem. Sed nos agemus de foro conscientiæ, in quo, si tacita compensatio licet, & sententia judicis falsa præsumptione nititur, condemnatus non tenetur hac sententia stare, sed rursus potest se clam indemnem reddere, quia forum internum non debet concordare cum externo, quando hoc falsa præsumptione nititur.

573 Porro per compensationem tacitam hic intelligitur acceptio, vel retentio, qua creditor ex bonis debitoris ipso inscio accipit, vel retinet tantum, quan-

quantum sibi ex jure rigoroso debetur. Ut sit legitima, auctores communiter requirunt has conditiones: Prima, ut debitum sit ex justitia commutativa, nempe vel ex delicto, & injusta læsione, vel ex aliquo contractu mutui, emptionis, conductionis &c. non vero ex sola caritate, gratitudine &c. Nam tituli, qui non fundantur in justitia commutativa, non tribuunt jus rigorosum ad rem alterius. Addunt multi, necessarium insuper esse, ut hoc debitum justitiæ sit præsens, & jam actu detur, quia nemo ex justitia obligatur ad aliquid solvendum pro injuria primum inferenda, aut ex contractu primum celebrando. Nihilominus Tannerus, Lugo, Sporer &c. docent, aliquando licitam esse compensationem anticipatam, quando nimirum debitum intra breve tempus certo est secuturum, nec interea debitori emergit damnum, vel lucrum cessans, creditor vero prævidet, se debitum postea non nisi cum magno incommodo obtenturum. Rationem dant, quia quilibet, quando res sua est in periculo, potest illius assecurationem quærere, & se indemnem servare.

Conditio 2da est, ut debitum sit liquidum, seu moraliter certum; quando enim debitum tantum est probabile, tunc melior est conditio possidentis, seu debitoris, qui propter jus alterius incertum non debet spoliari jure suo, & possessione, alias via panderetur continuis fraudibus, & injustitiis, tolleretur necessitas tribunalium, & auctoritas judicum vilesceret. Neque obstat, quod in foro externo res adjudicetur habenti jus probabilius, licet non certum; nam hoc fit propter bonum commune, ut tollantur discordiæ, & dominia rerum reddantur certa, quæ propter hos fines a principe aut republica, si quædam materialis injuria interveniat, vi dominii alti in alios transferri possunt. Si itaque auctores quandoque asserant in hoc vel illo casu licere occultam compen- 574

 satio-

ſationem, cum tamen debitum videatur eſſe tantum probabile vel probabilius, credendum eſt, illos putaſſe, debitum in talibus circumſtantiis eſſe certum, ne & ſibi ipſis & communiſſimæ aliorum auctoritati contradixiſſe arguantur; quippe ut recte notat Rebel. & Dicaſt. certitudo requiſita non debet eſſe omnino infallibilis, ſed moraliter & humano modo, ita ut viri prudentes non dubitent, nec putent hic & nunc poſſe prudenter de oppoſito dubitari. Ultimato judicium abſolutum circa hanc controverſiam ipſemet ſuſpendit, addens, in re practica non facile recedendum eſſe a communi.

575 Conditio 3tia eſt, ut tacita compenſatio ſit neceſſaria, quia debitum aliter obtineri non poteſt absque magno incommodo e. g. magnis impenſis in litem, morali periculo gravis offenſæ, inimicitiæ &c. ſi enim debitum, absque gravi difficultate obtineri poteſt, debet ſervari ordo juris, & primo res peti ab ipſo debitore; deinde a judice. Omiſſio tamen hujus conditionis non eſt contra juſtitiam commutativam, ſed tantum contra legalem, hinc regulariter tantum eſt peccatum veniale, quia debitor non poteſt eſſe merito invitus quoad ſubſtantiam, modus vero accipiendi per ſe non præjudicat graviter juri debitoris, bono communi, aut dignitati judicis; ubi tamen cavendum, ne præbeatur occaſio ſcandali, vel alius veniat in ſuſpicionem furti, aut ipſe debitor putans, ſe adhuc debere, & nolens ſolvere, maneat in mala fide, qui proinde obligatione ſublata monendus, aut remiſſio ſimulanda erit, cum quilibet ejusmodi mala proximi ex caritate teneatur impedire, ſiquidem absque notabili ſuo incommodo fieri poſſit.

576 Conditio 4ta eſt, ut compenſatio fiat ſine alio damno. Hinc ex juſtitia cavendum eſt 1, ne debitum a debitore, vel ejus hæredibus denuo ſolvatur, vel certe iterum

iterum restituatur, quam primum commode restitui potest. 2. Compensatio non debet fieri ex bonis aliorum apud debitorem depositis, oppignoratis &c. sed ex bonis ipsius debitoris. Quando autem leges statuunt, quod non possit retineri pro compensatione, quod ipse debitor tibi commodavit, aut apud te deposuit, Navarr. Less. Sa, Sporer, id tantum intelligunt pro foro externo. 3. Præjudicari non debet aliis, qui habent jus prælationis ad accipiendam solutionem, prout ipsis præjudicaretur, si debitor ob occultam compensationem non amplius illis posset satisfacere. 4. Compensatio facienda est ex rebus ejusdem speciei cum re debita e. g. accipiendo pecuniam pro pecunia, triticum pro tritico &c. quia creditor invitus cogi non potest, ad reddendum aliud pro alio, saltem nisi justa causa adsit, quia res ejusdem speciei non potest haberi; nam tunc Less. Lugo, Sporer, &c. docent, compensationem fieri posse etiam in re diversa, dummodo servetur æqualitas, & accipiens paratus sit illam reddere, quam primum debitor aliter satisfecerit.

Dicendum. Occulta compensatio, si fiat cum debitis conditionibus, est licita. Ita contra Henric. Gandavensem, & Michael. Elizalde theologi fere omnes. Prob. Ex una parte cuilibet licitum est occupare, vel retinere rem formaliter, vel æquivalenter suam: ex altera parte occulte compensans nemini facit injuriam, nec contra aliam virtutem peccat: ergo occulta compensatio est licita. Ant. patet, tum ex ipsa æquitate naturali, tum quia ipse debitor non potest esse rationabiliter invitus seu quoad substantiam, seu quoad modum; nam occulte compensans præcise tantum accipit, vel retinet, quantum sibi debetur, modum autem accipiendi sufficienter excusat necessitas, & impotentia debitum aliter acquirendi. Quod denique nulla alia lædatur virtus, constat ex conditionibus a num. 573 explicatis. Conf. Si natura 577

tura nunquam concederet occultam compenſationem, male proſpectum eſſet innocentibus, qui ſæpe aliter res jure ſibi debitas obtinere non poſſunt: nocentibus vero panderetur oſtium ad fraudes, injuſtitias, oppreſſiones aliorum &c.

Objectiones.

578 Obj. 1. Non licet injuriam compenſare injuria; ſed hoc fieret per occultam compenſationem : ergo. Conf. Non licet propria auctoritate ſumere occultam vindictam: ergo neque facere occultam compenſationem. Reſp. conc. maj. neg. min. Quia occulta compenſatio cum debitis conditionibus facta non eſt injuria, ſed juſta defenſio contra injuriam, quam debitor non ſolvendo debitum infert creditori. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. & ſuppoſitum, quod occulta compenſatio ſit vindicta, ſed eſt remedium neceſſarium ad reparandum, vel evitandum damnum proprium; qui autem ſumit vindictam, prout hæc a juſta defenſione diſtinguitur, per illam non tantum quærit ſe indemnem ſervare, ut ſi quis alteri, a quo grave vulnus accepit, pariter grave vulnus infligat; per hoc enim non curatur, aut defenditur a vulnere proprio.

579 Obj. 2. Occulta compenſatio præjudicat auctoritati publicæ tribunalium, & neceſſitati judicum; eſt autem contra omnem politiam, & prima reipublicæ principia, quod æqualitas, quæ intenditur a juſtitia commutativa, poni poſſit a qualibet privata perſona. Confir. Ipſum lumen naturæ dictat, neminem eſſe bonum judicem in cauſa propria: ergo. Reſp. neg. ant. Rationem additam diſt. ſi iſta æqualitas obtineri poteſt auctoritate judicis, & poteſtatis publicæ, conc. quando hac via e.g. ob defectum probationum, improbitatem debitoris, vel ipſius judicis

dicis non poteſt obtineri, neg. nam tunc ipſe DEUS, & natura permittit, ut perſona privata ſibi per occultam compenſationem proſpiciat. Ad conf. neg. ſuppoſitum, quod occulte compenſans agat judicem; nam agere judicem eſt alicui dicere jus in re controverſa; occulte compenſans autem tantum illud exigit, quod alter ipſemet certo teneretur præſtare, & hoc ipſo, quod debitum ſit certum, non datur locus faciendi aliquam exceptionem.

Obj. 3. Si licita eſſet occulta compenſatio, pandere- 580
retur oſtium innumeris injuſtitiis; quippe plurimi falſo ſibi perſuaderent, debita eſſe liquida, nec aliter recuperari poſſe. Conf. Nemo condemnandus eſt inauditus; atqui hoc fieret per occultam compenſationem: ergo. Reſp. diſt. ant. Si occulta compenſatio eſſet licita univerſim, etiam quando non adſunt conditiones debitæ, conc. ant. ſi tantum licita eſt ſervatis illis conditionibus, neg. ant. Propter periculum quorundam abuſuum, qui ex licentia occultæ compenſationis tantum per accidens ſequuntur, non debet tolli uſus, præſertim quia ſublato uſu multo majora ſequerentur mala, quæ hac ratione imminerent pauperibus, quos a tribunalibus arceret egeſtas; peregrinis, qui ob diſtantiam locorum ſine magnis incommodis non poſſent implorare officium judicis; aliunde oppreſſis, vel per ſententiam injuſtam condemnatis, eoquod certum jus ſuum nequeant probare in judicio. Ad conf. conc. maj. neg. min. Sicut occulte compenſans non agit judicem, ſic debitorem inauditum non condemnat, ſed utitur jure ſuo aliunde certo, & liquido.

Obj. 4. Famuli, & ancillæ domeſticæ non poſ- 581
ſunt uti occulta compenſatione ad compenſandam operam, quam judicant ſalario majorem ut patet ex propoſitione damnata num. 571: ergo occulta compenſatio univerſim eſt illicita. Conf. Poteſt contin-

 gere

gere, ut dominus certo ſit obligatus ad dandum majus ſalarium, ut ſi famulum cogat ſuſcipere multos labores extraordinarios, ab initio non deductos in pactum, vel ſi famulus invitus ſervire debet pro ſalario, quod eſt minus infimo. Reſp. conc. ant. regulariter loquendo, neg. conſ. Reſpectu famulorum ſæpe aut etiam plerumque deſunt conditiones requiſitæ ad licentiam occultæ compenſationis, maxime certitudo debiti, & quamvis labor ſit certo major mercede, tamen famulus forte ad illum non eſt conductus, ſed ſponte, vel ex ſpe obtinendi promotionem, aut aliud commodum plus facit, quam vi famulatus teneretur. Quod ſi tamen certum eſſet, herum injuſte imminuere ſalarium, prout in confirmatione ponitur, vel omnino pactam mercedem injuſte retinere, etiam famulus poſſet occulta conpenſatione uti, ſi etiam reliquæ conditiones adeſſent; propoſitio enim damnata eſt propter ſuam univerſalitatem.

582 Cæterum ſicut in mercibus, ita etiam in ſalariis famulorum triplex eſt pretium, nempe ſummum, medium, & infimum, quorum juſta taxatio ex conſuetudine, lege, vel communi judicio prudentum, ac timoratorum conſideratis circumſtantiis colligenda eſt. Jam vero 1 famulo non ſit injuria, ſi dominus ipſi tantum promittat, & ſolvat ſalarium infimum, quia hoc ſimpliciter adhuc juſtum eſt. Stipendium non debet menſurari juxta integram ſuſtentationem famuli, vel officialis tam pro ſe, quam pro ſua familia, ſed tantum juxta valorem laboris, & induſtriæ, ad quam ſe obligat. 3. Quamvis famulo ſalarium videatur minus juſto, ſi tamen alii ſponte ſervirent pro eodem ſalario, etiam ipſe debet eſſe contentus; ſicut enim merces ultroneæ, ſic etim famuli eorumque operæ in iſtis circumſtantiis vileſcunt. 4. Si famulus in prima conventione vel ultro, vel urgente paupertate remittat partem juſti ſtipendii, poſtea illam non poteſt petere, modo non fuerit inductus

ctus dolo, vi, aliove modo injusto, vel promissione promotionis, aut alterius boni, quod postea dominus non præstat. 5. Multo minus famulus contra salarium potest conqueri, si dominus illum tantum assumpsit ex misericordia, alias nullum alium recepturus; tunc enim quod dominus largitur pro officiis non necessariis, habet potius rationem eleemosynæ, quam salarii.

Ex quibus satis colligitur taxationem justi stipendii dependentem ex tot, ac tam variis circumstantiis, quæ etiam doctis negotium facessere solent, ordinarie relinquendam non esse solius famuli, vel ancillæ judicio, cum amore proprio, vel alia passione excæcante facile decipiantur; & vel ex hoc capite merito damnatum sit, semper licitam esse compensationem occultam, quoties ipsi judicant operam suam salario majorem esse. Si vero ejusmodi famulus ex errore invincibili, & bona fide aliquid subduxerit, quod judicabat, ultra salarium sibi competere, docet Cardenas, illum teneri ad restitutionem, non solum ex re accepta, quando illa adhuc existit, sed etiam post rem bona fide consumptam ex contractu. Cum enim e. g. contraxerit servire pro decem, & non pro duodecim florenis, manet obligatio contractus, donec impleatur. Quæ sententia procedere videtur, si famulus per contractum se intendit obligare ad non sumendum amplius, posito, quod prudenter censeret amplius sibi competere; si vero talem animum non habuit, nec factus sit ditior, videtur a restitutione excusandus per bonam fidem. 583

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An res furtiva restitui possit furi ob periculum evictionis?

584 Quando damnum illatum, aut res ablata fuit possessori justo, qui illam ex pacto, & justo titulo depositi, pignoris, administrationis, custodiæ, &c. detinuit, restitutio fieri debet non domino, sed possessori, cui alias sicut per ablationem, ita per non factam restitutionem fieret injuria, dum jure utilitatis, possessionis, aut detentionis spoliaretur. Excipe 1. Si possessoris nihil interest, quod res immediate domino restituatur; tunc enim domino restitui potest. 2. Si possessor rationabiliter creditur re abusurus in suum, vel aliorum damnum, aut illam absumpturus cum injuria domini; hinc bona ecclesiæ non Prælato dissipatori, sed ecclesiæ, vel capitulo restituenda sunt, eoquod jus administratoris se non extendat ad dissipandum. 3. Si illi, a quibus res accepta est, non habent illius administrationem, uti religiosi, pupilli, filiusfamilias, uxor &c. Nam licet in foro conscientiæ restitutio illis fieri posset, quando prudenter existimatur, quod ipsimet officio suo satisfacturi sint, in foro tamen externo restituens probare deberet, rem restitutam in utilitatem monasterii, pupilli, patris, &c. consumptam fuisse.

585 Res aliena accepta a possessore injusto per se immediate debet restitui domino, vel possessori justo, si illi ablata fuit; nam restitutio debet fieri illi, cui per ablationem facta est injuria & damnum illatum, ut sic obtineatur æqualitas intenta a justitia commutativa. Hinc juxta communem emptor rei furtivæ non potest illam restituere furi 1, quando eandem accepit titulo mere lucrativo e. g. per donationem; donatarius enim restituendo rem domino, nullum patitur damnum, si autem restitueret furi, dominus subi-

ſubiret periculum, rem ſuam nunquam recuperandi. 2. Quando rem emit viliſſimo pretio; nam tunc ſaltem caritas exigit, ut leve damnum proprium poſtponatur gravi damno alieno, aut etiam probabili periculo tale damnum incurrendi. 3. Quando rem emit magno pretio, quod tamen facile poteſt recuperare, etſi rem furi non reſtituat, quin aliud grave damnum ſibi, vel furi inde immineat. Quando igitur cap. in litteris 5. de Reſtitut. ſpoliat. dicitur: *Etiam prædo ſecundum rigorem juris reſtituendus eſt*, intelligi debet de caſu, quo quis, ab alio vi dejectus eſt a poſſeſſione; tunc enim in foro externo ante omnia in poſſeſſionem reſtituitur, & tunc primum de jure tituli agendum eſt.

Viciſſim auctores communiſſime ſupponunt, 586
quod emptor rem furtivam licite reddat furi. 1. Si moraliter certum eſt, quod fur ipſe illam domino ſit redditurus, vel dominus eandem facile, & ſine ullo ſuo incommodo poſſit recuperare. 2. Si emptor aut fur ob rem domino immediate reſtitutam incurreret grave periculum vitæ, aut famæ. 3. Quod ſaltem emptor bonæ fidei propter periculum gravis damni ſibi imminentis poſſit ſe gerere mere paſſive, & permittere, ut fur reddito pretio rem iterum auferat, vel bos, aut equus furtivus ſponte ad furem redeat. Sic qui bovem furtivum abegiſſet ex ſtabulo furis cum animo illum reſtituendi domino, poſtea autem deprehenderet, bovem eſſe cornupetam, indeque imminere periculum, ne proprio bovi nocumentum afferat, ob tale damnum vitandum poſſet bovem rurſus dimittere, etſi præviderer, illum ad ſtabulum furis rediturum, quia non teneretur cum tanto damno apud ſe conſervare rem alienam.

Utrum vero emptor prævidens, dominum rem 587
ſuam non amplius recuperaturum, eandem poſitive reddere poſſit furi, licet nullum aliud malum emptori

ptori immineat, quam jactura notabilis pretii ob periculum, ne dominus rem apud ipsum inventam evincat, & sibi vindicet, pariter controvertitur. Negant id emptori tam bonæ, quam malæ fidei Cajet. Sot. Laym. La Croix, sed licere emptori bonæ fidei, docent Less. Vasqu. Dicast. Turrian. id ipsum etiam emptori malæ fidei permittunt S. Anton. Tolet. Lugo, Illsung, Sporer &c. & quidem, ut non pauci existimant, etsi certo prævideatur, quod dominus rem suam non amplius sit recepturus; de quo tamen ob speciales difficultates alii malunt abstrahere, ne lites ex litibus trahantur.

588 Dicendum. Emptor tam bonæ, quam malæ fidei ob periculum evictionis ad se indemnem servandum rem furtivam potest reddere furi, saltem, nisi prævideat certo, eam non amplius a domino recuperandam esse. Prob. Obligatio rem in tali casu restituendi domino esset valde gravis, neque tamen oritur ex re accepta, neque ex injusta acceptione: ergo emptor manet in possessione suæ libertatis, & potestatis consulendi propriæ indemnitati. Ant. quoad 1mum membrum prob. Quia obligationi ex re accepta satisfit, si emptor illam non amplius retineat, sed furi reddat, ab hoc restituendam domino; plus enim gratis requiritur, nec quoad radicem rei acceptæ est ullum discrimen inter emptorem bonæ & malæ fidei. Quod 2dum membrum attinet, per se constat, emptorem bonæ fidei ex injusta acceptione non teneri, cum per emptionem bona fide factam nullam injuriam formalem domino intulerit: emptor autem malæ fidei ad plus non tenetur, quam ut faciat, ne dominus ex injusta acceptione patiatur damnum, quod sufficienter præstat, rescindendo contractum, & rem reddendo furi; sic enim reparatur tota injuria domino facta, quæ solum in eo consistit, quod sciens ac volens contrectaverit rem alienam; unde continuatio damni jam non orietur ex injusta acceptione

ptione emptoris, ſed ex malitia furis nolentis rem, ut tamen deberet, domino reſtituere.

Confirmatur concluſio 1. Nemo per ſe, & ſe- 589
cluſo ſpeciali pacto tenetur rem alienam ſervare cum æquali, vel majori ſuo damno, quam pateretur ipſe dominus rei eam amittendo; unde enim dominus habet jus, emptorem ad hoc obligandi; atqui juxta adverſarios emptor rem alienam teneretur ſervare cum ſuo æquali, vel majori damno; amitteret enim pretium pro ea expenſum, & inſuper ſæpe incurreret periculum, ne habeatur pro reo, aut furti complice, vel omnino trahatur ad judicem. Sane ipſa ordinata caritas videtur permittere, ut emptor, præſertim bonæ fidei, potius ſibi conſulat, quam domino, cum ejusmodi emptor non minus fuerit læſus venditione, quam dominus furto, nec minus jus habeat ad ſuum pretium, quam dominus ad rem ſuam. Conf. 2. Sicut nemo cum gravi ſuo incommodo tenetur rem amiſſam tollere, etſi eam jacentem videat, & dominum norit; ſic teſte Illſung juxta plerosque adverſarios inventor rei alienæ, ſi videat, quod ex ejus detentione ſibi immineat grave damnum in bonis fortunæ, famæ, aut vitæ, poteſt illam reponere in antiquo loco, licet prævideat periculum, ne ab alio auferatur ſine animo reſtituendi: ergo a pari. Vide etiam num. 542.

Objectiones.

Obj. Res aliena debet reſtitui illi, cujus eſt; atqui 590
res furtiva non eſt furis, ſed domini. Conf. Emptor rem furtivam reddens furi cooperatur tum peccato furis, quem prævidet, non eſſe reſtiturum, tum damno domini, quem exponit periculo non amplius recuperandi rem ſuam; atqui non licet cooperari peccato, & damno alterius: ergo. Reſp. diſt. maj.

Debet

Debet reſtitui illi, cujus eſt, immediate, vel mediate, conc. maj. neceſſario immediate, ſubdiſt. niſi adſit cauſa excuſans, conc. maj. ſi adeſt, prout hic adeſt periculum æqualis, vel majoris damni ab emptore incurrendi, neg maj. Ad conſ. diſt. maj. Cooperatur peccato & damno alieno materialiter, conc. maj. formaliter, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Quando emptor rem furtivam reddit furi, inprimis non tenetur impedire peccatum furis, aut damnum domini, alias ne quidem poſſet illud permittere ſe habendo mere paſſive. Dein conſignatio rei in manus furis eſt actio de ſe non connexa cum peccato furis, & damno domini, ſed indifferens, imo potius furi præbet bonum exemplum reſtituendi, & deſiſtendi a continuatione damni. Denique emptor habet juſtam & proportionatam cauſam, nec peccatum furis aut damnum domini intendit; quando autem iſtæ conditiones concurrunt, cooperatio tantum eſt materialis, & licita; ſic urgente neceſſitate potes mutuum petere, & ſolvere uſuras uſurario. Sic potes reddere gladium deſcenſuro in duellum, ſi parato jam ſclopo tibi alias minitatur mortem &c.

591 Dices 1. Juſtitia commutativa exigit, ut domino compenſetur damnum ad æqualitatem, & totum ipſius jus adæquetur; atqui ſi res domini redditur furi, jus domini non adæquatur; quia non tantum habet jus, ut emptor rem ſuam non retineat, ſed ut illam domino reddat. Conf. Dominus non tenetur damnum poſſeſſoris æquali ſuo damno redimere: ergo rationabiliter eſt invitus, ſi res ipſi non reddatur im̃ediate. Reſp. con. maj. neg. min. Qui rem a fure emptam, iterum reddit furi, inprimis reddit totum, quod accepit; adeoque obſervat æqualitatem rei: dein licet dominus habeat jus ipſam rem immediate exigendi ab emptore, non tamen ipſum poteſt obligare, ut cum tanto ſuo damno immediate rem ſibi tradat, antequam pro ea interpelletur, adeoque etiam adæquatur totum jus, quod domi-

dominus habet in his circumstantiis, ut magis inferius declarabitur. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Aliud est, quod ipse dominus non teneatur damnum possessoris æquali suo damno redimere: aliud, quod possit rationabiliter exigere, aut possessorem obligare, ne sibi ipsi prospiciat, & ad se indemnem servandum rem in antiquum statum reponat.

Dices 2. Ergo si quis mihi vellet auferre centum aureos, nisi illi aperiam cistam Petri, ut ex illa tantundem auferat, peccato furis tantum cooperarer materialiter, aperiendo cistam. Item si meus debitor mihi minaretur, se debitum non soluturum, nisi rem inventam Caji ponam in antiquo loco, ut ipse illam auferre possit, liceret mihi hoc facere. Resp. in utroque casu cooperationem ad peccatum plerisque videri formalem; nam ut ejusmodi cooperatio liceat, causa tanto debet esse gravior. 1. Quanto gravius est peccatum, cui datur occasio. 2. Quanto minus juris habetur ad talem actionem ponendam. 3. Quanto cooperatio est propinquior. 4. Quanto magis pugnat justitiæ, & juri alterius. 5. Quanto certius peccatum ex cooperatione est secuturum, vel illa negata est impediendum. Jam vero in utroque casu peccatum ex mea actione prævideretur certo secuturum, imo ex intentione peccandi mea cooperatio exigeretur. Unde licet æquale damnum emptoris sit causa sufficiens cooperandi peccato, & damno alieno, quod probabiliter tantum esset secuturum, ex eo non potest inferri, quod etiam sufficiat ad cooperandum peccato, & damno alieno, quando illud certo sequitur. 592

Difficilius ad has sequelas, nisi illas concoquere velint, respondent, qui positive defendunt, quod emptor rem possit reddere furi, etsi certo prævideat, illum omissurum esse restitutionem, nec rem alio modo recuperatum iri a domino. Forte tamen dicent 593

dicent, non esse paritatem inter illorum sententiam, & hos casus; nam in primo pecunia adhuc est in possessione Petri, ex qua per furtum primum extraheretur; res autem furtiva nondum est in domini possessione, sed in via, ut ad ipsum redeat; jam vero major causa videtur requiri, ut res ex domini possessione extrahatur, & in deteriorem statum conjiciatur, quam ut præcise non immediate reddatur domino, cum circa hoc possint occurrere tantæ difficultates, ut quis merito ab hoc modo restituendi absterreatur. In casu secundo inventor suo debitori præbet occasionem novi peccati, cum hic antea neque per furtum rei inventæ, neque per non solutionem debiti actu peccaverit; at emptor furi non præbet occasionem novi, aut majoris peccati, cum hic jam antea non minus peccaverit retinendo injuste pretium rei, quam postea injuste retinendo ipsam rem alienam: ergo in priori casu rursus videtur requiri major causa, quam in posteriori, præsertim, quia in priori res iterum in deteriorem statum conjicitur.

594 Obj. 2. Res furtiva est in meliore statu apud emptorem bonæ fidei, quam apud furem: ergo emptor etiam bonæ fidei non potest illam furi reddere. Conf. prob. Melior status rei est fructus rei domino debitus: ergo dominus sine nova injuria non potest hoc fructu spoliari. Conf. Est longe major spes, quod emptor bonæ fidei rem furtivam domino sit redditurus, quam fur; imo quilibet emptor ex justitia obligatur, & poni debet, ita esse constitutus, quod velit agere licite, & re aliena atque contracta inde obligatione se liberare. Resp. transf. ant. neg. conf. Ad prob. dist. ant. Melior status rei intrinsecus est domino debitus, conc. ant. melior status rei extrinsecus, & quidem proveniens ex aliena industria, labore, ac probitate, subdist. est domino debitus absolute, neg. ant. conditionate, nisi nimirum ex conservatione hujus status melioris grave dam-

damnum emptori impenderet, conc. ant. si res apud emptorem est in meliore statu, hic status provenit ex ipsa emptione, adeoque tanquam fructus industrialis potius ad emptorem pertinet. Ad conf. Inprimis etiam homines projectæ conscientiæ aliquando rem furtivam emunt bona fide. Deinde per se, & ex natura rei longe difficilius est simul rem, & pretium rei perdere, quam tantum rem, aut lucrum injustum; adeoque res apud emptorem meliorem statum videtur habere solum per accidens, & secundum quid ob specialem ejus probitatem. Denique ut emptor agat licite, tantum requiritur, ut rem velit restituere furi, propter quam animi comparationem res non habet statum meliorem, quam apud furem.

Dices. Si rem liceret ponere in statu deteriore 595
extrinseco, tum, qui eripuit rem alienam ab incendio, posset illam iterum in ignem projicere ad evitandum grave damnum proprium; hoc nimium: ergo. Conf. Emptor rem furtivam non potest absumere, imo neque alteri vendere ad se indemnem servandum: ergo. Resp. neg. maj. quia per novam illam projectionem in flammas ipsa substantia rei destrueretur, & quidem per actionem per se certo destructivam, qualis non est consignatio rei in manus furis, per quam res solum ponitur in priore statu, ex quo ad dominum redire posset, & deberet, si vero non redeat, id solum provenit ex malitia furis contra, vel præter intentionem emptoris. Ad conf. neg. cons. Qui rem emptam consumit, rursus illam destruit quoad ipsam substantiam, ita, ut ex ipsa natura actionis consumptivæ non amplius ad dominum redire possit; qui autem eandem vendit, gravem injuriam infert & domino, & emptori: domino quidem, quia disponit de re illius tanquam sua, eam vendendo alteri, qui nihil scit de obligatione restituendi: emptori vero, quia illum decipit accipiendo pretium pro re, cujus dominium non

poteſt in illum transferre; nihil horum contingit in noſtra ſententia.

596 Obj. 3. Si dominus reſciat, rem ſuam eſſe apud emptorem, eamque repetat, tenetur emptor rem immediate domino reſtituere, etiam cum proprio damno, &, ſi renuat, poteſt ad hoc adigi per ſententiam judicis: ergo jam antecedenter datur obligatio rem immediate reſtituendi domino; quia neque repetitio rei, neque ſententia judicis domino novum jus activum tribuit, aut emptori novum jus paſſivum imponit. Conf. Si dominus poteſt rem ſuam vindicare, emptor autem illam non tenetur reddere, datur bellum ex utraque parte materialiter juſtum. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Ergo jam antecedenter datur obligatio abſoluta domino rem immediate reſtituendi, neg. conſ. obligatio conditionata, ſi videlicet dominus rem ſuam repetat, aut vindicet, conc. conſ. quæ conditio, cum per ipſam repetitionem, vel ſententiam judicis purificetur, domino aliquo modo tribuitur novum jus activum, & emptori imponitur novum jus paſſivum. Ad conf. neg. ſequelam; nam licet emptor non teneatur rem poſitive deducere ad dominum, nequit tamen illam abſcondere, aut dominum impedire, quo minus illam ſibi accipiat. Vide etiam num. 522.

597 Dices. Ipſa res, ut jura loquuntur, ſemper clamat ad dominum, & dominus præſumitur, illam tacite, & interpretative repetere, in quantum eandem rurſus recuperare deſiderat: ergo obligatio conditionata emptoris jam purificatur. Conf. Si emptor tantum haberet obligationem conditionatam, poſſet rem reddere furi, etiamſi non periclitaretur de pretio. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quia non ſufficienter probatur, quod tacita illa interpellatio domini, & metaphoricus clamor rei inducat obligationem abſolutam, rem immediate domino reſtituendi,

di, quando emptori subeundum esset æquale damnum. Ad conf. neg. sequelam; emptor enim tali modo sine justa causa rem alienam exponeret gravi periculo, & peccato alterius formaliter cooperaretur: ergo peccaret contra charitatem, imo juxta Lugonem etiam contra justitiam, sicut ille, qui faculam accensam excuteret manibus, licet adverteret, ea occasione comburendas merces proximi, & faculam sine magno damno posset retinere; nam in tali casu esset causa efficax damni, & illa excussio censeretur moraliter voluntaria mercium combustio. Vide tamen etiam num. 481.

Obj. 4. Emptio, qua scienter emitur res furtiva, 598
est injusta acceptio: ergo saltem emptor malæ fidei debet rem immediate domino restituere, neque hæc obligatio est improportionata culpæ gravi. Conf. Si res furtiva casu fortuito pereat apud emptorem malæ fidei, tenetur is saltem in defectum furis compensare domino jacturam: ergo etiam si rem reddat furi, eaque apud furem pereat. Resp. conc. ant. dist. conf. Nisi injusta acceptio moraliter cesset, & tollatur per rescissionem contractus, & traditionem furi factam, conc. conf. si cessat, & tollitur, neg. conf. Nam tunc injusta emptio nec physice, nec moraliter amplius influit in damnificationem domini, sed perinde se habet, ac si nunquam fuisset posita. Cum igitur ex tali culpa solum detur obligatio præstandi, ut injusta actio desinat domino esse noxia, emptor ad plus non obligatur, consequenter obligatio immediate restituendi domino cum gravi damno proprio esset culpæ improportionata. Ad conf. trans. ant. de quo redibit sermo inferius quæst. 6. neg. conf. Nam in casu antecedentis injusta retentio rei alienæ vere est causa damni domino inde secuti, non item in casu consequentis, nisi forte emptor diutius rem detinuisset, ita, ut ex hac ipsa detentione ortum fuisset damnum. Unde pro-

vide monet Lugo, quod emptor tam bonæ quam malæ fidei graviter obligetur, ne rem alienam diu penes se detineat, alias si inde domino novum damnum oriretur, utique teneretur illud resarcire.

599 Dices. Emptor malæ fidei æquiparatur furi, & suscipit obligationes furis; idem quippe est rem furtivam scienter & cum animo detinendi emere, ac de novo furari; atqui fur rem immediate debet restituere domino, etsi inde proprium damnum incurrat. Conf. Furtum est contrectatio vel usurpatio rei alienæ invito domino; sed emptor malæ fidei contrectat, & usurpat rem alienam &c. Resp. dist. maj. Æquiparatur furi in aliquibus, & aliquas furis obligationes suscipit, conc. maj. in omnibus, neg. maj. talis emptor æquiparatur furi, quatenus uterque domino infert injuriam, rem alienam injuste contrectat, nec illam detinere potest &c. at vero latum inter utrumque discrimen est in hoc, quod fur faciat merum lucrum rei alienæ, neque facere possit, ut ejus actio cesset domino graviter esse noxia, nisi rem furtivam domino restituat; at vero emptor pro re furtiva expendit pretium, ejusque actio rescisso contractu, reque furi reddita non amplius est domino nociva; hinc ad conf. dist. maj. Si sit contrectatio vel usurpatio effective damnosa domino, conc. maj. secus, neg. maj. Cæterum neque verum est, quod fur rem furtivam semper immediate domino restituere debeat; cur enim id non posset facere per confessarium, vel alium, cujus fides ipsi non potest merito esse suspecta?

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quinam fructus debeant restitui a possessore bonæ fidei?

600 PEr fructus in genere intelliguntur omnia ea, quæ ex terra, arboribus, animalibus &c. gignuntur, & sub dominio humano constitui possunt. Sunt triplicis generis, & 1 naturales dicuntur, quos sola natura sponte ex se progignit, nullo, vel non nisi modico labore, aut industria hominis cooperante, uti sunt gramen, poma, glandes, silvæ cæduæ, fœtus animalium. 2. Industriales dicuntur, quos unice, vel potissimum hominum industria profert, licet ipsæ res tanquam instrumentum adhibeantur. Tales censentur lucrum per negotiationem ex quacunque re acquisitum, artefactum alieno instrumento elaboratum &c. Ubi de pecunia notandum, quod in ordine ad commutationes, & commercia humana sit naturæ omnino sterilis, & incapax fructus naturalis. 3. Fructus mixti dicuntur, quos natura quidem, seu substantia ipsa profert, non tamen sine notabili hominis labore, & industria, uti segetes, vinum, lana depexa, caseus &c. Paulo aliter his terminis utuntur Juristæ, dum fructus mixtos inter industriales numerant, industriales vero civiles vocant, quatenus nempe proveniunt ex re mediante aliquo jure, & obligatione civili, uti pensiones ex locatione, lucra ex negotiatione &c.

601 Ego per decursum cum Theologis loquar, juxta quos ex fructibus tam naturalibus, quam mixtis rursus aliqui vocantur 1 pendentes, qui rei, ex qua proveniunt, adhuc adhærent, uti fœtus nondum in lucem editi, segetes nondum demessæ, poma ex arbore adhuc pendentia. 2. Alii percepti, qui a re, ex qua provenerunt, jam sunt separati, vel collecti,

lecti, uti fœtus animalium jam nati, segetes jam demessæ. 3. Alii percipiendi, qui a possessore per negligentiam, aut aliam similem causam percepti non sunt, facile tamen potuissent percipi. 4. Denique aliqui fructus vocantur formaliter exstantes, alii virtualiter exstantes; formaliter exstant, qui adhuc in se ipsis penes possessorem rei sunt: virtualiter seu æquivalenter exstant, qui quidem non amplius in se ipsis sunt apud possessorem, sed tamen in æquivalenti e. g. in pretio, per quod factus est ditior; qui vero neque in se, neque in æquivalenti amplius penes rei possessorem sunt, omnino consumpti dicuntur.

602 Sicut jam certum est, quod possessor bonæ fidei cum re evicta restituere debeat fructus pendentes tam naturales, quam mixtos, deductis solum impensis in culturam rei factis, & pretio laboris eidem impensi, quia fructus adhuc pendentes censentur esse pars rei; sic non tenetur restituere 1 fructus mere industriales, quia non sunt fructus rei, sed industriæ ipsius possessoris. 2. Fructus naturales, & mixtos ante litis contestationem perceptos, & plene consumptos; cum enim ex illis non sit factus ditior, neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione obligatur. 3. Ex eadem ratione non tenetur restituere fructus mere percipiendos, etiamsi dominus eos percepturus fuisset; nam possessor bonæ fidei est loco domini, cui liberum est ex re pauciores, vel plures fructus percipere. 4. Fructus etiam formaliter, aut virtualiter extantes, sed legitime jam præscriptos, quod respectu fructuum formaliter exstantium fit intra triennium, idemque juxta communem procedit de fructibus virtualiter exstantibus, licet aliqui apud Sanchez requirant 30 annos, eo quod triennalis præscriptio exigat possessionem, & condictio sit actio personalis, ac perpetua.

Ve-

Verum de fructibus naturalibus, & mixtis adhuc exſtantibus, & nondum præſcriptis magna eſt controverſia. Equidem de fructibus adhuc formaliter exſtantibus docet communiſſima, eos reſtitutioni obnoxios eſſe; idem de fructibus ſolum virtualiter exſtantibus affirmant theologi ferme omnes, adeo, ut ante Haunoldum nullus oppoſitum abſolute tenuiſſe ſciatur. Nihilominus poſtea cum Haunoldo negativam amplexi ſunt Illſung, Ininger, Zetl, & Jurisperiti; præſertim Recentiores, valde multi. Loquuntur tamen etiam iſti auctores de fructibus perceptis ab eo, qui rem poſſidet titulo ſingulari e. g. pro emptore, pro donato, legato &c. nam ſi res poſſidetur titulo univerſali hæreditatis, fideicommiſſi generalis, &c. poſſeſſor etiam bonæ fidei fructus inde provenientes non facit ſuos, ſed illos certo reſtituere debet, etiamſi tantum exiſtant virtualiter, ut expreſſe decidunt leges 25, 28 & 40 ff. de hæreditatis petitione. Conſonat l. 1. § 1. cod. eodem, ubi dicitur: *Fructus bonæ fidei poſſeſſores reddere cogendi non ſunt, niſi ex eis locupletiores extiterint.* Ratio datur l. 40 cit. & l. 20 §. 3 eodem: *Neque enim fructus ex hæreditate provenientes perſonæ poſſeſſoris accedunt, ſed hæreditati & vere ſunt pars hæreditatis.* 603

Dicendum 1. Fructus tum naturales, tum mixti ante litis conteſtationem, & motam controverſiam percepti fiunt poſſeſſoris bonæ fidei; nam 1 de fructibus mixtis §. ſi quis 35 de rerum diviſione habetur: *Naturali ratione placuit, fructus, quos percepit* (bonæ fidei poſſeſſor) *ejus eſſe pro cultura, & cura.* 2 De fructibus naturalibus l. in pecudum, 28 ff. de uſuris dicitur: *Itaque agni, & hædi, & vituli ſtatim pleno jure fiunt bonæ fidei poſſeſſoris.* 3. Demum de utrisque l. bonæ fidei 48 ff. de acquirendo rerum dominio deciditur: *Bonæ fidei emptor fructus etiam ex aliena re ſuos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, ſed* 604

sed omnes; quia, quod ad fructus attinet, loco domini pene est. Dixi, ante litis contestationem, & motam controversiam percepti; nam postea nullos amplius fructus suos facit, sed fictione juris censetur esse possessor malæ fidei; unde ejusmodi fructus cum re aliena reddere debet, licet fuerint plene consumpti, imo etiam mere percipiendi, ut constat ex l. 22 cod. de rei vindic., quæ tamen juxta P. Ininger quoad fructus plene consumptos, & mere percipiendos ante sententiam non obligat in conscientia, quia per contestationem litis non desinit bona fides theologica, sed ad summum fit dubia; fides autem dubia non nocet possessori, si possessioni bona fide cœptæ superveniat. Vid. num. 451.

605 Dicendum 2. Nihilominus fructus tum mixti, tum naturales adhuc formaliter exstantes a possessore bonæ fidei cum re evicta restitui debent, nisi legitime jam sint præscripti. Ita clare statuitur l. certum 22 cod. de rei vindic. quæ sic habet: *Certum est, malæ fidei possessorem omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero exstantes, post litis autem contestationem omnes.* Quippe leges numero superiore citatæ possessori bonæ fidei in fructus exstantes tantum tribuunt dominium revocabile, donec videlicet res evincatur; spectato autem solo jure naturali ejusmodi fructus debent restitui, cum per se loquendo quælibet res fructificet suo domino. Quænam vero domino competat actio ad hos fructus repetendos, non conveniunt auctores: aliqui ipsi tribuunt rei vindicationem, quia dominium revocabile per ipsam rei evictionem videtur revocari, ut adeo ille jam sit dominus fructuum. Haunoldus domino permittit condictionem sine causa, vel potius ex lege: reliqui contendunt, hos fructus in rei vindicatione tantum venire ex officio judicis, & quidem solum accessorie, ac minus principaliter, ita, ut si dominus per negligentiam, vel imperitiam in rei

rei vindicatione hos fructus petere omittat, post latam sententiam super re principali, vel certe postquam hæc in rem judicatam transiit, extinguatur omne jus eosdem petendi.

Dicendum 3. Non tamen possessor particularis bonæ fidei tenetur restituere fructus virtualiter solum exstantes, ante litis contestationem perceptos. 607
Prob. 1. L. sed & loci, 4 §. post litem 2. ff. finium reg. statuitur: *Fructus ante judicium percepti, non omni modo hoc in judicium veniunt; aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit; aut mala fide, & condici oportet*: juxta quam legem possessor bonæ fidei ex fructibus consumptis debet reportare aliquod lucrum; atqui nullum reportaret, si solum non deberet restituere fructus plene consumptos, manente interim obligatione restituendi fructus aliquo modo consumptos, sed virtualiter adhuc exstantes; lucrum enim in sensu juridico, imo & grammaticali acceptum dicit incrementum rei suæ, & non præcise negationem decrementi, hinc qui bona fide absumpsit rem alienam, quin ditior factus sit, improprie diceretur referre lucrum, quia non tenetur ad restitutionem, quin potius l. Mucius 30 ff. pro socio, lucrum expresse a non damno distinguitur his verbis: *Neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto*, qui sensus vel maxime in præsenti locum habere debet; quando enim per legem bonæ fidei num. 604 recitatam possessori bonæ fidei tribuitur dominium fructuum, legislator vult ipsi exhibere favorem; nullum autem exhiberet, nisi tolleret obligationem restituendi fructus virtualiter exstantes; nam a restitutione plene consumptorum quilibet excusatur per bonam fidem, licet per legem positivam nullum obtinuerit dominium.

Prob. conclusio 2. Postquam Imperator §. si quis 607
35 de rerum divisione, dixit, quod fructus, quos bonæ

næ fidei poſſeſſor percepit, naturali ratione, ſeu æquitate ſint illius, ſtatim ex hoc infert: *Et ideo, ſi poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt*: ergo. Imperator domino negat actionem circa fructus conſumptos, idque propter dominium, quod poſſeſſori bonæ fidei tribuit; hæc autem illatio non eſſet bona, ſi per fructus conſumptos tantum intelligerentur fructus plene conſumpti, non vero virtualiter exſtantes: nam, ut ſupra advertimus, de fructibus omnino conſumptis poſſeſſor bonæ fidei non poſſet conveniri, etſi nullum habuiſſet dominium; hinc fructus bona fide plene conſumpti neque in petione hæreditatis exigi poſſunt, ut patet ex num. 603. Conf. Quando leges agunt de poſſeſſore alienæ hæreditatis, fere ſemper expreſſam mentionem faciunt eorum fructuum, ex quibus factus eſt locupletior: econtra quando agunt de poſſeſſore ſingulari, nunquam expreſſe dicunt, hos fructus debere reſtitui, ſed potius dicunt, poſſeſſorem eos debere lucrari: ergo merito dicimus, quod leges poſſeſſorem particularem ab onere fructus virtualiter exſtantes reſtituendi eximant; cur enim alias in uno caſu tam ſolicite inter fructus plene, & non plene conſumptos diſtinguerent, in altero autem caſu prorſus de hac diſtinctione ſilerent?

Objectiones.

608 Obj. 1 l. 4. §. Lana, 19. ff. de uſurp. & uſucap. dicitur: *Lana ovium furtivarum, ſi quidem apud furem detonſa eſt, uſucapi non poteſt, ſi vero apud bonæ fidei emptorem, contra: quoniam in fructu eſt, nec uſucapi debet, ſed ſtatim emptoris fit*: ergo poſſeſſor bonæ fidei non fit dominus fructuum naturalium, niſi per præſcriptionem. Conf. L. Fructus, 45 ff. de uſuris habetur: *Fructus percipiendo uxor, vel*

vel vir ex re donata (donatione invalida) *ſuos facit, illos tamen, quos ſuis operis acquiſivit, veluti ſerendo ; nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilva cædit, non fit ejus, ſicut nec cujuslibet bonæ fidei ſucceſſoris : quia non ex facto ejus is fructus naſcitur.* Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Non fit dominus fructuum naturalium irrevocabiliter, conc. conſ. revocabiliter, neg. conſ. ſenſus legis eſt, quod lana detonſa a poſſeſſore bonæ fidei poſſit præſcribi in ordine ad dominium irrevocabile, in ordine autem ad dominium revocabile præſcribi non debeat, cum illud ſtatim per ipſam fructus perceptionem acquiratur. Ad conſ. Inter conjuges, & bonæ fidei poſſeſſorem in hac lege tantum inſtituitur comparatio imperfecta, quod nempe, ſicut conjuges nullum acquirunt dominium fructuum, ſic poſſeſſor bonæ fidei non acquirat dominium irrevocabile; alias legislator per legem, *in pecudum* 28 & legem, *fructus* 45. in eodem titulo ſibi contradiceret, uti revera factum eſſe putat Molina, & Lugo, dicentes, legem fructus, ex veteri digeſto erutam, per legem bonæ fidei correctam eſſe.

Dices. Lex bonæ fidei ſe fundat in æquitate na 609
turali propter curam & culturam ; atqui æquitas naturalis potius exigit, ut fructus naturales non tranſeant in dominium poſſeſſoris rei alienæ, eoquod vel nullam, vel tam modicam culturam exigant, ut non ſit cauſa ſufficiens acquirendi dominii. Hinc Gloſſa legem exponit, quod bonæ fidei emptor non tantum faciat ſuos illos fructus, quos propria induſtria, ſed omnes, quos etiam aliena induſtria acquiſivit. Reſp. Quamvis fructus naturales non indigeant cura, & cultura tanta, ut ideo mereantur dici mixti, vel ipſum jus naturale poſſeſſori illorum dominium tribuat; quia tamen etiam iſtis fructibus, aut rebus, ex quibus proveniunt, aliqua cura, vel cultura adhiberi debet, e. g. ſtercorando, purgando, defendendo, cuſtodiendo, fructus colligendo,

ligendo, &c. Imperator sufficientem congruentiam naturalem habuit, ut dominium revocabile possessori bonæ fidei tribueret; neque cura & cultura semper requiruntur copulative; nam lex bonæ fidei §. ultimo expresse dicit, quod bonæ fidei possessor *lac suum faciat, quamvis oves plenis uberibus vænierint, idemque in lana juris esse;* unde hæc lex gratis a Glossa ad fructus industriales, vel mixtos restringitur.

610 Obj. 2. Vel possessor bonæ fidei acquirit dominium revocabile, vel irrevocabile fructuum? non primum, quia lege pecudum dicitur, quod fructus *pleno jure* illius sint: non secundum, quia juxta legem bonæ fidei fructus tantum facit *suos interim*, & tantum sit *pene dominus*. Conf. Si dominium fructuum formaliter exstantium esset revocabile, nihil prodesset bonæ fidei possessori: ergo. Resp. Possessorem bonæ fidei respectu fructuum formaliter exstantium acquirere dominium tantum revocabile, ita tamen, ut, postquam illos bona fide consumpsit, nihil teneatur restituere, etsi ex illis factus sit ditior. Hinc in lege bonæ fidei merito dicitur, quod tantum *interim suos* faciat, & *pene dominus sit*, quamdiu nempe adhuc formaliter existunt. Porro etiam vi hujus dominii possessor potest tamdiu plene, & perfecte de fructibus disponere, quamdiu per evictionem non exspirat, ut adeo dominium revocabile vere possit dici dominium plenum, etsi non semper perpetuum. Ad conf. neg. ant. prodest enim ad hoc, ut, si fructus bona fide sint distracti, possessor non debeat restituere pretium inde comparatum, ad quod tamen teneretur, nisi habuisset dominium fructuum, saltem revocabile.

611 Dices 1. Dominium revocabile prodest bonæ fidei successori, etsi debeat restituere fructus virtualiter exstantes; nam 1 potest illos vendere, & sic dominium transferre in emptorem, qui proin nequit

a do-

à domino rei evictæ conveniri. 2.Furto subductos, & a fure venditos potest repetere rei vindicatione. 3. Si illos permutat e. g. frumentum pro vino, domino non tenetur in natura restituere, quod permutatione accepit, sed sufficit, modo restituat pretium. 4. Potest ipsos fructus retinere, si a domino non repetantur. Resp. dist. ant. prodest in uno, & altero casu, ac per accidens, conc. ant. per se, & pro omni casu, neg. ant. Ex eo, quod bonæ fidei possessor possit rem vendere, vel ablatam recuperare, nihil commodi habet, si postea pretium debet restituere; imo utrumque posset, licet non esset dominus; quod autem vi dominii venditio sit valida, solum cedit in utilitatem emptoris. In tertio casu commodum quidem in possessorem bonæ fidei redundat, sed est casus particularis, cum tamen jura eidem favere velint pro omni, quocunque tandem modo fructus distrahat. Casus quartus non est ad rem; nam in sententia adversariorum fructus debent restitui in conscientia ex jure naturæ, & hinc cum Soto solent domino concedere condictionem ex lege, quæ est actio personalis, & tunc datur, quando aliqua actio lege cauta est, ita tamen, ut lex non exprimat, qua actione agendum sit.

Dices 2. Lucrum est nomen generale, & accipitur pro omni accessione, & suorum retentione, ut colligitur ex L. coiri 7 ff. pro socio, & ex L. actionum genera 25. §. actionum autem 1. ff. de O. & A. ergo, modo possessor bonæ fidei non teneatur restituere fructus plene consumptos, jam lucratur. Conf. Quando duo luserunt pro convivio, victor dicitur lucratus convivium, etsi non sit factus ditior: similiter dicitur lucrari causam, qui ab onere compensandi damnum absolvitur. Resp. neg. ant. Licet vox lucrum in jure quandoque acciperetur pro lucro mere negativo, hæc tamen significatio non esset propria, nec in nostro casu locum haberet; alias etiam posset lucrari possessor 612

sor

ſor hæreditatis, cui tamen l. 28 ff. de hæred. petit. expreſſe omne lucrum negatur. Econtra l. 25 eodem, abſolvitur a reſtitutione fructuum plene conſumptorum, quia *locupletior factus non eſt.* Leges in contrarium citatæ ſolum dicunt, quod actio ex contractu, & lucra poſſint provenire ex emptione, locatione, &c. Ad conf. Cum ille, qui victor in ludo aſſymbolus convivio aſſidet, parcat ſuis pecuniis, quas expendere debuiſſet, ſi fuiſſet victus, utique factus eſt ditior, & merito dicitur lucratus convivium; at lucrari cauſam improprium eſt, nihilque magis metaphoricum, quam lucrari honorem, voluptatem &c.

613 Obj. 3. Juxta L. certum, 22 Cod. de rei vindic. poſſeſſor bonæ fidei debet reſtituere fructus exſtantes; atqui fructus, ex quibus factus eſt ditior, ſunt abſolute exſtantes, per fructus autem conſumptos jura intelligunt illos, qui nec æquivalenter amplius exiſtunt, ut oſtendit P. Mayr hic num. 611 ex pluribus textibus juris, præſertim l. 72 ff. de legat. & fidecommiſſis, ubi dicitur: *Non enim abſumitur, quod in corpore patrimonii retinetur.* Conf. L. 15 §. 1 ff. de rei vindic. ita ſtatuitur: *Si quis rem ex neceſſitate diſtraxit, fortaſſis huic officio judicis ſuccurretur, ut pretium duntaxat debeat reſtituere; nam etſi fructus perceptos diſtraxit, ne corrumpantur, æque non amplius, quam pretium præſtabit.* Reſp. diſt. maj. debet reſtituere fructus exſtantes formaliter, conc. maj. exſtantes tantum virtualiter, neg. maj. & transmiſſo primo membro min. diſt. ſecundum. Jura fructus conſumptos aliquando ita intelligunt, conc. min. ſemper, neg. min. Quod leges per fructus conſumptos quandoque intelligant, etiam virtualiter exſtantes, patet ex noſtris probationibus; neque proprie quis diceret, apud ſe exſtare librum, equum, &c. quem vendidit. Ad conf. Sermo eſt de fructibus diſtractis poſt litis conteſtationem, ut colli-

colligitur ex eo, quia favor, quod tantum pretium debeat restituere, solum illi conceditur, qui ex necessitate fructus distraxit; hic autem favor circa fructus ante litis contestationem distractos possessori bonæ fidei competit, ex quacunque causa fructus distraxerit.

Dices. L. Si eum servum 23 ff. de rebus cre- 614
ditis, expresse statuitur, ut, si quis servum alienum vendiderit, isque fuerit mortuus, a venditore pretium condici valeat; quia ex re aliena fuit factus locupletior. Similiter l. 32 ff. eodem dicitur: *Quia pecunia mea* (id est mihi debita, eoquod debitor meus illam tibi dederit) *ad te pervenit, eam mihi a te reddi, bonum & æquum est*; quia videlicet, ut exponit Sanchez, locupletior factus es: ergo etiam possessor bonæ fidei debet restituere fructus virtualiter exstantes, quia ex illis locupletior factus est. Resp. Conc. ant. neg. cons. & paritatem. In l. 23 solum statuitur, quod possit condici pretium ab eo, qui vendidit servum alienum, & l. 32. quod debeat reddi pecunia, quæ sine causa retinetur, & nunquam in dominium debitoris translata est. At qui vendidit fructus ex re aliena, bona fide possessa, non vendidit, nec detinuit alienum, sed tam fructuum, quam pretii dominium acquisivit.

Obj. 4. Qui per errorem solvit indebitum, errore 615
deprehenso a possessore bonæ fidei non solum potest repetere rem solutam, sed etiam fructus virtualiter exstantes; ut habetur l. 15 ff. de condict. indeb. ergo idem dicendum in aliis casibus. Conf. Etsi jura negent actionem læso infra dimidium justi pretii, lædens nihilominus in conscientia tenetur reparare læsionem: ergo a pari. Resp. con. ant. neg. conf. Res aliena, quæ in nostro casu vindicari debet actione reali ratione dominii, non bene dicitur indebitum, quod per actionem personalem repetitur ab illo, qui in contractu plus justo accepit; nam

acceptio indebiti ex §. item is 6. Inst. de obligationibus, quæ ex quasi contractu definitur, quod sit quasi contractus, quo indebitum recipiens solventi obligatur ad id, quod accepit, reddendum. Unde cit. l. 15 bene infertur, quod res indebita restituenda sit cum fructibus, etiam virtualiter exstantibus; at vero ejusmodi contractum cum domino rei nec ineunt, nec fictione juris inire censentur, qui rem alienam e. g. fundum alienum emunt ab alio. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Lædens infra dimidium est in mala fide, nec jura illi unquam tribuunt dominium ejus, in quo læsit, sicut possessori bonæ fidei tribuunt dominium, & lucrum fructuum consumptorum.

616 Dices. Hæres putatitius tenetur restituere fructus virtualiter exstantes: ergo etiam alii possessores, qui rem alienam ex titulo possident. Nam §. Et si, 2 Instit. de offic. judic. ita statuitur: *Et si hæreditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de singularum rerum petitione.* Conf. Hæres verus ante aditam hæreditatem tantum habet jus ad rem; dominus autem rei evictæ habet jus in re, quod sine dubio majus, atque strictius est. Resp. conc. ant. neg. conf. Paragraphus: Et si, tantum loquitur de fructibus formaliter exstantibus, & plene consumptis, vel non perceptis; de prioribus statuit, illos tam in judicio universali, quam particulari restituendos esse, in posterioribus vero id negat, si possessor sit bonæ fidei; de fructibus autem virtualiter exstantibus præscindit. Ad conf. transf. ant. nam hæres solo verbo, vel facto potest adire hæreditatem, & acquirere jus in re, etsi hæreditas adhuc ab alio possideatur. Neg. conf. Licet dominus habeat jus in re, quam evincit, respectu tamen fructuum æquivalenter exstantium nec jus in re, nec jus ad rem habet, sed illi pleno jure, & irrevocabiliter sunt pos-

sessoris bonæ fidei; econtra possessor alienæ hæreditatis non acquirit dominium fructuum ex illa provenientium, sed fructus isti juxta leges accrescunt hæreditati; hinc multa circa possessorem alienæ hæreditatis aliter statuta sunt, e. g. quod debeat hæredi restituere res illas, quas in commodum hæreditatis comparavit, etiam ex propria pecunia, quas tamen possessor particularis non tenetur restituere domino rei. Argument. l. 6 Cod. de rei vindic. Vid. num. 603.

Obj. 5. Ex una parte spectato solo jure naturali 617
fructus virtualiter exstantes certo debent restitui; quia nemo debet locupletari cum damno alterius: ex altera parte est dubium, an leges positivæ bonæ fidei possessorem eximant a restitutione horum fructuum; atqui quando jus positivum est dubium, standum est potius jure naturali certo: ergo. Conf. Sicut aliquæ leges universaliter dicunt, quod non debeant restitui fructus consumpti, sic aliæ universaliter dicunt, quod debeant restitui exstantes: ergo potius debent limitari leges prioris generis, utpote odiosæ, & correctoriæ juris naturalis. Resp. Dist. maj. quoad 1mum membrum. Certo debent restitui in illis circumstantiis, ubi jus positivum nihil aliud disponit, conc. maj. Si aliud disponit, neg. maj. quoad hoc membrum, & dist. etiam quoad 2dum. Jus positivum est dubium, id est, non omnino certum, conc. maj. non est probabilius, quod bonæ fidei possessorem a restitutione eximat, neg. maj. & sic dist. min. neg. conf. Ad Conf. trans. ant. neg. conf. Leges, quæ jubent restituere fructus exstantes, commode possunt explicari de formaliter exstantibus, quæ vero eximunt a restitutione consumptorum, non possunt commode explicari tantum de plene consumptis; cumque earum principalis scopus sit favere bonæ fidei possessori, potius sunt favorabiles, esto, quod præjudicent

cent juri tertii primum quærendo; jus vero naturale nec corrigunt, nec abrogant, nec mutant, utpote quod pro his circumstantiis nunquam extitit, sicut diximus de præscriptione.

618 Dices 1. Quando certum est, legem fuisse latam, aut debitum contractum, dubium autem, an lex fuerit abrogata, vel debitum solutum, standum est lege, & debitum solvi debet: ergo a pari. Conf. Ponamus, quod duo possideant agrum bona fide, quorum prior fructus vendat, posterior retineat: nonne durum, & contra æquitatem naturalem est, quod re evicta prior nihil, posterior omnes fructus debeat restituere? Resp. Dist. ant. Quando certum est, legem fuisse latam tantum pro aliis circumstantiis, neg. ant. pro his circumstantiis, subdist. standum est lege, si stricte, & negative dubium est, an lex fuerit abrogata, trans. ant. quando ita dubium est, ut quidem non sit moraliter certum, sed tamen probabilius legem fuisse abrogatam, neg. ant. Quamvis in dubio facti debitum rursus solvi debeat, saltem partialiter pro ratione dubii; quia per solutionem incertam non adæquatur debitum certum, nemo tamen tenetur solvere, si de jure probabilius est, quod nihil debeat, sicut in nostro casu debitum restituendi probabilius nunquam fuit contractum. Ad conf. quæro, an durum & contra æquitatem naturalem sit, quod primus nihil deberet restituere, si fructus plene consumpsisset, vel uno die citius, quam alter præscripsisset. Certe in casu objecto nihil iniquum vident jura illa provincialia, quæ nostram sententiam clare statuunt, ut teste Sanchez statuit jus Castellanum quoad fructus mixtos, & teste Haunoldo Bavaricum etiam quoad naturales.

619 Dices 2. Quandocunque aliquis bona fide consumpsit rem alienam, de jure naturæ debet restituere, quantum ex illa fuit factus ditior: ergo etiam

am qui consumpsit fructus ex re aliena perceptos. Certe minor, qui sua pecunia pluris, quam oportet, prædium emit, quando in integrum restituitur, juxta legem 17 §.1. ff. de minoribus, tenetur venditori una cum prædio restituere fructus, ex quibus factus est ditior. Conf. Qui aliquid acquirit per specificationem, confusionem, commixtionem &c. debet restituere æstimationem rei acquisitæ, licet statim factus sit ejusdem rei dominus: ergo a pari. Resp. Conc. ant. neg. conf. nam jura nullibi tribuunt dominium rei alienæ, bene tamen dominium fructuum. De minoribus, quando restituuntur in integrum, specialis est ratio; nam restitutio in integrum ita fieri debet, ut unusquisque integrum jus suum recipiat; unde sicut minor non debet morari in damno, ita nec in lucro, ut habetur l. unica Cod. de reputationibus, quæ fiunt in judicio, & l. 24 §.1 .ff. de minoribus. Ad conf. neg. paritatem; quia res specificata, commixta, &c. vel adhuc formaliter existit, vel certe in ipsa specificatione, commixtione, & moraliter, ac juridice consumpta est, ut adeo specificans, aut commiscens factus sit locupletior ex re aliena: at possessor bonæ fidei ipsemet est dominus fructuum, nec factus est ditior ex fructibus alienis, licet hos fructus ex re aliena perceperit.

QUÆSTIO VI.

Quid restituere debeat possessor malæ fidei?

Per possessorem malæ fidei non solum intelligitur 620
ille, qui scienter rem alienam habet, sed etiam, qui illam accepit, vel retinuit cum dubio practico, aut suborto dubio speculativo non adhibuit debitam diligentiam inquirendi dominum; hinc potest contingere, ut aliquis rem initio quidem bona fide possederit, postea autem illam possidere per-

gat fide mala, & viciſſim. Porro quæ de poſſeſſore malæ fidei dicturi ſumus, proportionaliter debent etiam applicari injuſtis damnificatoribus, in quantum & iſti, & ille, tenentur ex culpa, & injuſta acceptione.

621 Dicendum. Poſſeſſor malæ fidei debet reſtituere omnes fructus (exceptis mere induſtrialibus) non modo pendentes, ſed etiam a primo momento iniquæ poſſeſſionis perceptos, nec ſolum formaliter, aut virtualiter exſtantes, ſed etiam penitus conſumptos, imo etiam quos non percepit, attamen dominus conſueta ſua diligentia percepturus fuiſſet, ſi eidem rem ſuam poſſidere, & colere licuiſſet. Ita communiſſima, ex lege Certum, 22 Cod. de rei vindic. Et ratio eſt, quia dominum rei debet ſervare indemnem, eumque, quantum fieri poteſt, in integrum reſtituere ad perfectam æqualitatem; hoc autem non fieret, niſi domino redderet omne lucrum ceſſans, & præſtaret omne damnum emergens, totamque æſtimationem omnium fructuum, quos dominus veriſimiliter percepiſſet.

622 Hinc licet juxta dicta num. 535 poſſeſſor bonæ fidei regulariter non teneatur præſtare caſum fortuitum, paulo aliter loquendum eſt, ſi res aliena apud iniquum poſſeſſorem pereat; vel enim ſimili caſu fortuito certo etiam periiſſet apud dominum, vel non? ſi non, ergo ratione injuſtæ detentionis hoc damnum poſſeſſori imputabitur; ſi ita, tunc ſalvo alio intereſſe non obligatur ejusmodi rem reſarcire, quia in his circumſtantiis non fuit cauſa efficax damni. Ex quo tamen non ſequitur, quod etiam ille, qui rem alterius certo perituram eripuit incendio, vel naufragio, eandem poſſit retinere, vel conſumere; nam talis res, quamdiu exiſtit, ſemper manet ſui domini; unde ſi poſtea apud detentorem, dum eſt in culpabili mora reſtituendi, periret, iſte eodem modo obligaretur ad reſtitutionem, ac alius malæ fidei poſſeſſor.

Si

Si aliquis rem alienam possedit partim bona, 623
partim mala fide, potissimum tempus consumptionis attendendum est; nam 1, qui prius possedit mala fide, sed nihil consumpsit, nisi postquam bona fides supervenerat, ad summum tenetur restituere ex re accepta, quantum ex ista re factus est ditior; quia mala fides præcedens, utpote jam purgata per bonam fidem supervenientem, non fuit causa damni per consumptionem illati. 2. Qui bona fide rem possidere cœpit, sed postea mala consumpsit, tenetur a tempore malæ fidei etiam ex injusta acceptione ad omnia lucra cessantia & emergentia damna. 3. Qui rem consumpsit partim bona, partim mala fide, pro tempore bonæ fidei tantum tenetur ex re accepta; at respectu consumptorum mala fide ex injusta acceptione, neque respectu harum illum juvat bona fides post consumptionem forte superveniens, nisi revera a parte rei jus habuerit rem consumendi.

A conclusione num. 621 posita auctores com- 624
muniter excipiunt usuras, seu census, & similia lucra, quæ ex aliena pecunia percipi potuissent, eo quod solum sint fructus industriales; neque dissentio, si constet, quod dominus pecuniam suam non fuisset elocaturus ad census, aut negotiationem: si vero dominus ejusmodi census, & lucra verisimiliter percepisset, judico, esse restituendos a possessore malæ fidei, non quidem tanquam fructus, sed tanquam lucrum cessans; alias restitutio non fieret ad perfectam æqualitatem. Vicissim P. Ininger existimat, in conscientia non debere restitui fructus, quos dominus quidem absolute percipere potuisset, sed verosimiliter non percepisset, quia tali modo ex eorum carentia non patitur lucrum cessans; sed ipsemet postea advertit, hoc solum intelligendum esse de fructibus percipiendis, non de perceptis; quia quævis res fructificat suo domino;

quod autem dominus hac ratione ditior fiat ex læsione, est præcise per accidens.

625 Cæterum fructuum nomine in jure solum intelligitur illud, quod superest deductis expensis, quæ gratia fructuum, vel ipsius rei fiunt; nam fructus sunt emolumenta, aut lucra; quod vero pro expensis comparatur, potius emitur pretio. Sunt autem triplicis generis expensæ. 1. Necessariæ, quæ fieri debent ad rei conservationem, & reparationem, vel ad culturam, perceptionem, & afferv ationem fructuum, quo etiam pertinet justa æstimatio pretii, laboris, & industriæ, non item casus fortuiti, & damna per accidens, aut omnino ex propria culpa causata, e. g. si ob labores immodicos in colendo agro equi sint mortui. 2. Expensæ utiles sunt, quæ majorem fructum, & reditum pariunt, seu quæ rem faciunt meliorem, & utiliorem; ut si quis plantet vineam, aut olivetum in agro alieno inculto. 3. Voluntariæ, seu voluptuariæ dicuntur, quæ rem tantum ornant, & ad recreationem serviunt, uti sunt viridaria, aquæ salientes, picturæ, statuæ &c.

626 Expensas necessarias deducere potest tam bonæ quam malæ fidei possessor; posterior quidem etiam respectu omnium fructuum perceptorum, quia omnes tenetur restituere, prior vero solum respectu ipsius rei, & fructuum formaliter exstantium. Imo virtualiter solum exstantes, & omnino consumptos debet computare pro expensis in ipsam rem factis; quo enim plures fructus lucratus est, eo minus censetur de suo expendisse pro re domini, quod vero consumptos sine lucro dilapidarit, proprie ipsius culpæ imputandum est. Aliud adhuc discrimen assignat P. Ininger, dum ait, si domino suffecissent centum pro expensis necessariis, in quos possessor insumpsit ducentos, possessorem malæ fidei solum posse deducere tantum, quantum ipse dominus impen-

pendisset, possessorem vero bonæ fidei totum. Sed hoc discrimen non agnoscit la Croix, quia, licet possessor fuerit bonæ fidei, non tamen plus quam centum in utilitatem domini cesserunt; cum igitur expensæ majores sint magis possessori, quam domino voluntariæ, æquius videtur, ut hoc damnum quasi fortuitum in utroque casu potius ferat possessor quam dominus.

Expensas utiles, & melioramenta rei separabilis, sicut dominus non cogitur emere, sic possessor tam bonæ, quam malæ fidei illas potest separare. Si autem utiliter a re separari nequeant, uterque saltem in foro conscientiæ potest deducere impensum pretium, imo etiam ipsam rem pignoris loco detinere, donec ipsi satisfiat de expensis, siquidem factæ sint sciente, & approbante domino. Ubi rursus advertit Lacroix, pro quibuscunque melioramentis plus deduci non posse, quam quantum fuit expensum, aut si expensæ excesserint, quantum defacto res domino utilis est. E. g. plantasti in fundo alieno arborem expensis unius aurei, nunc autem arbor valet decem aureis, unum tantum aureum potes deducere, quia augmentum est ipsius agri; econtra si expensæ fuissent decem aureorum, & arbor nunc valeret tantum unum, rursus tantum unum posses deducere, quia iniquum, si dominus cogeretur rem pluris emere, quam ei utilis est. 627

628 Expensas voluptuarias a re utiliter inseparabiles in conscientia rursus deducere potest possessor tam bonæ, quam malæ fidei, casu quo ipse dominus eas fecisset, vel si propterea rem carius, & cum suo lucro vendat; imo possessor bonæ fidei semper potest deducere aliquam portionem pro quantitate, aut spe lucri: quod rei dominus verisimiliter inde consequi judicabitur, integrum autem pretium extra prædictos casus deduci nequit, quia iniquum foret rei dominum cogere ad emenda cum

detrimento rei familiaris ejusmodi ornamenta, quæ forte ipſe parum curat. Porro in foro externo poſſeſſori malæ fidei nec expenſæ utiles, nec voluptuariæ conceduntur, niſi melioramenta re illæſa auferri poſſint, ut habetur l. domum 5 Cod. de rei vindic. & l. Julianus 17 ff. eodem.

629 Quæres 1. Ad quid teneatur, qui alium impedivit a conſecutione alicujus boni? Reſp. 1. Qui alterum impedit a conſecutione boni ex juſtitia commutativa illi debiti, quatenus nempe ad illud jam habet jus quæſitum in re, vel ad rem, e. g. ſi quis legitime præſentatum impediat ab Inveſtitura, aut deſtruendo alterius ſata impediat meſſem, tenetur ad reſtitutionem; peccat enim contra juſtitiam, & eſt cauſa injuſta damni alieni. 2. Qui alterum impedit a conſecutione boni ex juſtitia non debiti, ſed pendentis a gratuita voluntate collatoris e. g. a conſequenda aliqua hæreditate, rurſus peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſi modus externus impediendi eſt injuſtus, & conjunctus cum vi, fraude, dolo, calumnia, detractione &c. Aliud eſt, ſi ejusmodi impeditio tantum fiat conſilio, muneribus, precibus, eſto, quod concurrat odium, cupiditas vindictæ, aut alia prava intentio mere interna; nam ſola intentio nocendi non facit, ut ipſa actio externa ſit contraria juri alterius. 3. Etſi bonum ex juſtitia diſtributiva ſit debitum, regulariter non tenetur ad reſtitutionem, qui aliquem ab illius conſecutione ſine injuſtitia externa impedit; nam reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, & reparatio juris ſtricti. Vid. num. 457.

630 Porro, quando in prædictis caſibus oritur obligatio reſtitutionis, illa non ſemper datur ad ipſam rem reſtituendam, aut totam illius æſtimationem, ſed attendi debet ſpes, quam alter ad tale bonum habuit; quia ordinarie multa intervenire poſſunt, quo minus aliquis bonum ſperatum conſequatur;

hinc

hinc quo minor, aut major ſpes fuit, eo magis aut minus damnum illatum debet æſtimari, & reſtitutio ſemper menſuranda eſt juxta æſtimabilitatem ſpei. Solet autem hæc major, & ipſi rei ferme æquais eſſe, quando impeditus jam habuit jus in ipſa re, item major, ſi jus aliquod ad rem ipſam habuit, quam ſi res fuit indebita. Præterea attendendum eſt, utrum impeditus a conſecutione unius boni e. g. beneficii, facile poſſit habere aliud æquale vel non; ſi enim aliud facile habere poteſt, impediens vix ad plus tenebitur, quam ad expenſas, quas impeditus facere debet, ut novum æquale bonum adipiſcatur. Optimum in ejusmodi caſibus eſt, ſi fiat amica compoſitio inter læſum, & lædentem, vel res decidatur arbitrio alterius viri prudentis e. g. Confeſſarii.

Quæres 2. Quid injuſtus poſſeſſor debeat reſti- 631
tuere, ſi valor rei, aut fructuum male conſumptorum fuit varius, vel intrinſece, quatenus res in ſeipſa melior, aut vilior facta eſt, vel extrinſece, in quantum res eadem in ſe immutata v. g. propter copiam, vel raritatem nunc pluris, nunc minoris fuit æſtimata? Reſp. 1. Si dominus eodem tempore rem ſuam conſumpturus vel alienaturus fuiſſet, quo fur eam conſumpſit, vel alienavit, hic regulariter tenetur reſtituere tantum, quanti res tunc valebat, vel a domino vendita fuiſſet, quia dominus non eſt plus damnificatus, quam quoad pretium, quod tunc obtinuiſſet. Neq; obſtat, quod eadem res forte habuiſſet majorem valorem in tempore intermedio inter injuſtam ablationem, & conſumptionem, ut, ſi hinnulus equinus tempore ablationis valuit 10 florenos, factus equus 60 florenos, poſtmodum autem, cum ſenuit, & a fure venditus eſt, 20 florenos; nam ſi dominus hunc equum etiam conſervaſſet usque ad illud ſenium, non videtur im̃ediate ratione ipſius equi fuiſſe damnificatus, niſi quoad valorem 20 florenorum, tenetur nihilominus in hoc caſu fur etiam compenſare damna, quæ domi-

dominus ex injusta ablatione equi passus est, licet hæc plerumque non soleant esse tanta, cum facile comparetur alius equus, qui idem domino præstare potuit, & fur etiam posset deducere expensas, quas dominus interea in alimentum equi facere debuisset.

632 Resp. 2. Si dominus rem suam consumpturus, vel venditurus fuisset eo tempore, quo summum valorem obtinebat, fur tenetur restituere valorem summum, etsi ipse rem distraxerit, vel consumpserit tempore, quo minoris valuit; nam hoc non obstante dominus passus est damnum summi valoris. Sed neque sufficit semper restituere valorem, quem res habuit eo tempore, quo dominus eam alienasset, vel consumpsisset; alias furatus vitulum, qui tunc æstimabatur 5 florenis, si eundem postea bovem venderet 40 florenis, satisfaceret restituendo 5 florenos, posito, quod dominus vitulum illum pro 5 florenis vendidisset: hoc autem admitti nequit; quando enim vitulus excrevit in bovem, suo domino crevit, & in ejus commodum melior factus est. Idem dicunt, si interea, dum fur rem consumpsit, crevit valor rei extrinsecus, e.g. si triticum, quod tempore ablationis valuit duobus aureis, postea dum a fure consumitur, valet 4 aureis; nam etiam valor extrinsecus spectat ad dominum, & est rei intrinsecus, saltem moraliter, in quantum illam facit pluris vendibilem; quoad hoc ultimum tamen aliqui adhuc probabiliter putant, furem satisfacere restituendo duos aureos, eoquod ob incrementum extrinsecum dominus non videatur pati damnum ratione ipsius rei, sed ex diverso eventu circumstantiarum extrinsecarum.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De restitutione circa bona corporis, animæ, famæ, & honoris.

633 Bona corporis potissimum læduntur per homicidium, mutilationem, deflorationem, stuprum, & suo modo per adulterium. Quod homicidium & mutilationem attinet, jam part. 2 disp. 1 q. 1 docuimus, occisionem directam innocentis intrinsece malam esse, licere nihilominus quandoque ipsum, aut alium occidere indirecte, mutilare vero etiam directe, quando id necessarium est ad conservationem totius individui. Pariter contra Manichæos, & Waldenses certum est, quod licitum sit occidere malefactores; hæc enim potestas necessaria est ad vitam socialem, & publicam quietem conservandam; unde licet principes, & magistratus non habeant dominium in vitam subditorum, sunt nihilominus a DEO constituti custodes, & rectores reipublicæ, ex qua noxia membra mortis gladio abscindere possunt, prout indicat Apostolus ad Rom. 13. v. 4. de principe sæculari scribens: *DEI Minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; DEI enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit.*

634 Hæc de auctoritate publica intelligenda sunt; quod enim extra casum necessariæ defensionis ne quidem malefactorem auctoritate privata occidere liceat, docent omnes cum S. Thom. & S. August. lib. 1 de civit. c. 26, ubi inter alia ait: *Qui sine aliqua publica auctoritate maleficum occidit, velut homicida judicabitur, & tanto amplius, quanto sibi potestatem a DEO non concessam usurpat.* Ratio est, quia in hoc statu, quo homines in unam societatem coierunt, malefactorem tantum licet occidere ob bonum publicum, cujus procuratio ad potestatem publicam, non ad quemlibet civem privatum pertinet; alias gravissima mala oriren-

orirentur, si quivis pœna mortis in malefactores posset animadvertere; hinc quando Moyses Ægyptium, qui Hebræum injuste vexabat, sine auctoritate publica occidit, id videtur factum esse causa justæ defensionis.

QUÆSTIO I.

An & quando liceat injustum aggressorem occidere.

635 Dicendum 1. Pro defensione vitæ, & membrorum cuilibet licitum est occidere injustum aggressorem, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; ita cum S. Thoma 2. 2 q. 64 art. 7 communissima ex l. ut vim 3 ff. de J. & J. & ex cap. si vero 3 de sent. excom. ubi dicitur, quod vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant; alias improbis daretur ansa in quosvis grassandi, multiplicarentur homicidia, &c. Nec obstat, quod forte injustus aggressor sit in statu peccati mortalis, & ejus mors directe intendatur; nam ordo charitatis tantum exigit, ut vita propria postponatur saluti proximi, quando hic est in extrema necessitate, injustus autem, & voluntarius aggressor potius est in extrema malitia, & invasus habet jus illius mortem intendendi tanquam medium ad propriam defensionem necessarium.

636 Extenditur conclusio 1 ad omnes aggressores formaliter injustos, exceptis principibus, aliisque, quorum mors, aut licentia occidendi cederet in grave damnum reipublicæ, & post se traheret magnas inordinationes. 2. Ad aggressores materialiter tantum injustos, ebrios, amentes, furiosos, &c. si tamen invasus sciret, se esse in statu gratiæ, ejusmodi autem aggressorem esse in statu peccati mortalis; hic esset constitutus in extrema necessitate. 3. Ad eos, qui propria culpa in eum statum se conjecerunt, ut ad tuen-

tuendam vitam aggressorem occidere necesse sit, ut siquis in adulterio deprehensus stricto gladio a marito impetatur; nam in tali casu maritus tamen est aggressor injustus, & privato solum conceditur propulsare injuriam inferendam, non vindicare illatam.

Ut vero servetur moderamen inculpatæ tutelæ, 637 debet 1 aggressio esse injusta, & violenta, sive vi aperta, sive occulta per insidias; nam jus naturale tantum concedit, ut vis injusta vi repellatur; hinc non licet occidere publicos justitiæ ministros, qui reum etiam injuste damnatum ad capitale supplicium rapiunt, quia isti non sunt aggressiores injusti. 2. Aggressio debet esse certa, & actualis, ita nimirum, ut alter jam proxime aggressionem paret, aut defacto tales insidias struat, quas aliter evadere nequeas; quod nondum fit, si alter mortem tantum minitatur, aut remote solum machinatur. 3. Defensio debet esse necessaria, nec major, quam opus est ad vim repellendam; qui enim se potest securum reddere vulnerando, non potest occidere, imo neque vulnerare, si solis verbis, aut per fugam periculum evadere valeat, nisi hæc ipsa fuga respectu alicujus esset valde ignominiosa, qualis censetur esse respectu viri nobilis, & laude bellica, armorumque peritia celebris, non vero respectu studiosi, quem nullus armorum usus, ac professio commendat.

Dicendum 2. Quandoque, & sub certis conditi- 638 onibus etiam licitum est occidere injustum aggressorem bonorum fortunæ, Communis cum S. Thoma loc.cit. S. Antonino, Soto, Valent. Laym. &c. contra Panormit. Cavarr. &c. ex cap. Dilecto 6. de sent. excom. in 6. ubi aperte dicitur, hoc esse licitum. Et ratio est, quia, nisi etiam hanc vim liceret vi repellere, pessime consultum esset bonis proborum, improbis vero nocendi cresceret licentia. Quando igitur SS. Patres vel jura ejusmodi defensionem videntur im-

pro-

probare, explicandi sunt de casu, quo exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, vel admiscetur odium, & desiderum vindictæ.

639 Conditiones requisitæ sunt 1, ut bona fortunæ sint magni momenti, ac tanta, ut considerata conditione, & facultatibus possessoris, ac necessitate rei ablatæ prudentum judicio digna censeantur tam rigida defensione; quippe nimis inhumanum foret pro re modica conservanda, etsi alias sufficiente ad peccatum mortale in genere furti, raptorem vita spoliare. Hinc ab Innocent. XI damnata est propositio 31: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* 2. Ut bona actu jam sint possessa, & non tantum habeantur in spe, vel etiam jure aliquo inchoato; alias merito timeri possent graves abusus; hinc rursus ab Innoc. XI damnatæ sunt propositiones 32: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Et 33: *licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habendi in cathedram vel præbendam contra earum possessionem injuste impedientem,*

640 Addunt 3, ut bona fortunæ aliter conservari aut recuperari nequeant; sed hoc ipsum moderamen tutelæ exigit, quo neglecto ex dictis manifestum est, cædem injusti aggressoris illicitam esse. Addunt 4. defensionem debere fieri in continenti, antequam prædo cum re furtiva in locum tutum se receperit; quia alias occisio jam non esset propulsatio, sed vindicatio injuriæ. Ubi tamen advertendum, si fur cum re furtiva fugiat ita, ut non sit spes eam per viam judicii iterum recuperandi, eoquod fur sit ignotus aut ex fuga retrahi nequeat, non esse illicitum fugientem insequi, & nisi monitus rem ablatam relinquat, eminus

nus sclopo petere; quia tali casu spoliatus adhuc retinet possessionem civilem, & fur censetur adhuc continuare actualem rei alienæ aggressionem.

Dicendum 3. Injustus aggressor pudicitiæ, si mitioribus modis, fuga, precibus, clamore averti non potest, licite occiditur. Communis apud P. Pichler & Ant. Mayr; quia virginitas aut castitas est bonum longe æstimabilius quam bona fortunæ & honoris, ejusque violatio per vim inferenda continet gravissimam injuriam, ac insuper personam, quæ vim patitur, exponit periculo consensus in delectationem veneream. Imo juxta Lugonem aliosque puella laudabiliter facit, si osculum lascivum aut tactum perpessa, postea petulantiam aggressoris verbis injuriosis aut colaphis castiget, quia hoc non tam est vindicta quam cautela, aut propulsatio ulterioris injuriæ. 641

Dicendum 4. Regulariter non licet occidere injustum aggressorem famæ vel honoris. Ita Tanner. Carden. aliique, præsertim post propositiones ab Alexandro VII & Innocent. XI damnatas, ex quibus 17 damnata ab Alexandro ita habet: *Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, ut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice vel coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* 18va: *Licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Damnata ab Innocentio 30 hæc est: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idemque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.* 642

643 Ratio conclusionis est, quia jus naturale defensionem occisivam tantum permittit, quando vis inferenda aliter repelli non potest, & mors aggressoris serviat ad propriam defensionem; jam vero honor & fama non eripiuntur violentia, sed detractione & calumnia: neque occisio infamatoris aut calumniatoris est certum medium conservandi famam, imo apud prudentes illam ordinarie plus inficit, & ipse occisor se magis suspectum reddit. Adde, quod fama & honor non sit bonum ad vitam adeo necessarium, & potius sit res honorantis, quam honorati. Sane si famam & honorem morte defendere liceret, quivis sibi facile fingeret ab hoc vel illo imminere infamiam vel calumniam, & cædes nimium multiplicarentur. Vel maxime autem securitas publica exigit, ut non impediatur accusatio, testificatio, & jurisdictionis executio, quæ omnia corruerent, si liceret occidere injustum accusatorem, testem aut judicem, quilibet enim merito ab ejusmodi munere absterreretur.

644 Dixi, regulariter non esse licitum occidere injustum aggressorem famæ & honoris, nisi nempe occisio illius simul sit necessaria ad defendendum aliud bonum magni momenti, quod Cardenas declarat gemino hoc exemplo. Si Titius injuste intentet ignominiosam percussionem Cajo viro valde honorato, quam sine gravi nota declinare fugiendo non potest, Cajo licitum est opponere gladium: quod si Titius vicissim eundem stringat, jam non tantum aggreditur honorem, sed etiam vitam Caji. Item Cajus maritus scit adulterum certa hora velle ingredi ad uxorem suam. Cajus potest ei gladium opponere, etsi adulter vicissim sibi gladio viam facere conatur, nec aliter arceri potest, licite occiditur, quia in hoc casu Cajus non solum tuetur jus tori & honestatem uxoris, sed etiam vitam suam.

Ne-

Neque dicas 1, fama & honor apud hominem præſertim ſæcularem potior eſt, quam bona externa; imo quam ipſa vita: ergo ſicut licet occidere aggreſſorem vitæ & bonorum externorum, ſic licet occidere aggreſſorem honoris & famæ. 2. Sæpe contingit, ut ex illata contumelia, vel detractione maximum damnum in bonis fortunæ, ac in ipſa vita immineat; atqui tunc juxta nos defenſio occiſiva eſt licita: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Tum quia fama & honor non eſt bonum ad vitam communem ita neceſſarium, & licentia occidendi merum calumniatorem ſumme eſſet perniciosa reipublicæ; tum quia talis occiſio non eſt medium certo idoneum & neceſſarium ad honorem & famam tuendam aut recuperandam. Ad conſ. diſt. maj. ſæpe contingit, ut ex detractione vel contumelia immineat maximum damnum immediate & proxime, neg. maj. præciſe mediate & remote, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Juxta me tunc ſolum injuſtum aggreſſorem famæ & honoris licet occidere, ſi ſimul bona corporis, fortunæ &c. immediate & proxime ab ipſo impetuntur, ut in exemplis adductis ponitur. 645

Cæterum in illis caſibus, in quibus licet homicidium in defenſionem propriæ perſonæ, aut bonorum, idem licet pro defenſione tertii, niſi plene ceſſerit jure ſuo, eoquod ſemper liceat cooperari ad id, quod bonum & honeſtum eſt; imo non raro charitas exigit, ut proximus innocens contra nocentem defendatur, equidem jura etiam marito concedere videntur, ut adulterum domi ſuæ cum uxore in flagranti deprehenſum poſſit occidere: imo hanc poteſtatem patri etiam in filiam adulteram permittunt; ſed iſta tantum intelligenda ſunt quoad forum externum & immunitatem a pœna in homicidas ſtatuta; nam certa eſt theologorum ſententia, ejusmodi homicidium eſſe graviter peccaminoſum, cum utique iniquum ſit reum inauditum & deſtitu- 646

tum omni defenfionis remedio ne quidem dato fpatio ad pœnitentiam occidere, & fic vindicare injuriam jam illatam. Vid. num. 636.

647 Quæres: Quid fit duellum, & utrum aliquando fit licitum? Refp. Duellum ftricte fumptum eft pugna fingularis duorum vel plurium ex utraque parte ftantium, fufcepta deliberate & ex condicto defignato tempore & loco, ad occifionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda; hinc non eft duellum ftricte dictum, fed potius rixa, quando plures promifcue contra plures pugnant nulla fervata æqualitate & certo numero; vel fi exorta inter duos lite ftatim fe invicem provocent & durante iracundiæ æftu congrediantur. Dividitur duellum 1, in folemne, quod fit cum certis ritibus & forma e. g. adhibitis patrinis, litteris provocationis &c. & non folemne, quod fit fine ejusmodi folemnitatibus. 2. In fufceptum auctoritate publica, jubente videlicet legitimo principe vel magiftratu, & fufceptum auctoritate privata. 3. In licitum & illicitum; nam ficut bellum ex poteftate publica fufcipi, fic ob bonum reipublicæ, religionis, honoris divini &c. duellum imperari poteft. Ita pugnavit David contra Goliathum, & S. Wenceslaus rex Bohemiæ contra Radislaum ducem Curimenfem.

648 At duellum auctoritate privata fufceptum femper eft illicitum, neque DEUS homini privato unquam dedit facultatem de vita alterius difponendi, excepto unico cafu neceffariæ defenfionis contra injuftum aggrefforem; cum ejusmodi facultas cederet in fummam pernitiem generis humani, & facile nimium extenderetur. Jam vero qui ad duellum provocat, vel provocatus condicit, jus fibi arrogat in vitam alterius, idemque jus alteri in propriam vitam cedit; uterque enim eft ita comparatus, ut velit mortem inferre, vel pati. Neque duellum

eft

est medium per se necessarium ad defensionem propriam; nam vita in illo potius periclitatur, famæ apud prudentes magis consulitur duellum renuendo, bona fortunæ a provocante tantum remote invaduntur, & alio modo defendi, vel recuperari possunt. Quod si per accidens nullus alius modus ejusmodi bona defendendi superesset, saltem sufficere deberet acceptatio duelli improprie talis, quæ juxta Haunold. & Illsung tunc datur, quando provocatus respondet, se quidem duellum ex condicto non acceptare, utpote contrarium legi naturali, & rectæ rationi; interim tamen sibi ab adversario non timere, sed libere compariturum in publico, ac viriliter se defensurum, ubicunque adversarius illum esset aggressurus.

Unde merito duellum a Concilio Tridentino sess. 649
25. cap. 19. de reform. vocatur *detestabilis usus, fabricante diabolo introductus*, & ab Alexandro VII damnata est hæc propositio: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Cui anno 1752 in consti. detestabilem ac divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, quinque alias addidit Benedictus XIV: 1. *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidulosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe carere deberet, culpa, ac pœna vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.* 2. *Excusari etiam possunt honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* 3. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii.* 4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas,*

tunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit. 5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.*

650 Præterea ob duellum gravissimæ pœnæ statutæ sunt, nam 1 juxta Tridentinum sess. 25. cap. 19 de reform. excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrunt non solum duellantes, patrini & omnes quomodolibet cooperantes, sed etiam ex industria spectantes, & domini bonorum, qui in suis territoriis duella permittunt, aut delinquentibus veniam & impunitatem concedunt, quam excommunicationem Greg. XIII constit. Ad tollendam, extendit ad duella non solemnia, & Clemens VIII in constit. Illius vices, eandem reservavit summo Pontifici. 2. Juxta cit. constit. Benedicti XIV duellantes ipso facto privantur sepultura sacra, sive duellum publice, sive privatim fuerit indictum, modo quis ex vulnere in illo accepto etiam extra locum conflictus decesserit, neque prodest, quod ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, & a peccatis, ac censuris fuerit absolutus. 3. Idem Benedictus XIV illos, qui alium in duello occidunt, ad formam constit. Benedicti XIII Ex quo divina, excludit, & repellit a beneficio immunitatis ecclesiasticæ, ita, ut si periti grave vitæ periculum adesse inspecto vulnere retulerint, vivente adhuc vulnerato percussor, si fugæ periculum sit, a loco immuni extrahendus & carceri mancipandus sit, prævio tamen decreto episcopi, & cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab ipso deputatæ.

QUÆSTIO II.

Quid restituendum sit ob læsionem in bonis corporis?

651 IN læsione corporis injusta & voluntaria, ex qua sola obligatio restituendi oriri potest, duo spectanda sunt, nempe gravis offensa tam ipsius personæ læsæ, quam personarum conjunctarum v. g. parentum, liberorum &c. & damnum consequens. Pro offensa, & injuria præcisa a damno non debet fieri restitutio, sed tantum satisfactio per petitionem veniæ, & solutionem mulctæ, si exigatur. Damnum vero consequens duplex est immediatum & mediatum, prius consistit in privatione & carentia ipsius boni corporalis v. g. vitæ, membri, virginitatis &c. posterius ad bona fortunæ spectat, uti expensæ in medicos & chyrurgos, lucrum cessans & damnum emergens, quæ rursus non tantum ad personam læsam sed etiam ad alias conjunctas solent extendi.

652 Dicendum 1. Pro damno personali ac immediato vitæ, & membrorum hominis liberi, aliisque bonis corporalibus non datur obligatio ex justitia aliquid restituendi. Ita cum Magist. Sent. Lug. Laym. communis contra Molin. Valent. &c. quibus favere videtur S. Thomas. Prob. Quia justitia commutativa non obligat ad restitutionem, quando ex ipsa natura rei non potest obtineri æqualitas cum debito, vel saltem cum parte debiti; atqui vita, membra, aliaque bona corporalia non possunt reddi ad æqualitatem, neque in se, ut patet, neque in æquivalenti: quia quidcunque læso detur, per illud nunquam amplius potest bonum ablatum corporis recuperare, cum sit altioris ordinis & incomensurabile cum bonis ordinis inferioris. Unde l. ultima ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint, dicitur corpus hominis liberi nullam recipere æstimationem; si vero aliæ leges statu-

tuunt, ut injusto percussori imponatur aliqua restitutio, hæ leges sunt mere pœnales, nec obligant ante sententiam.

653 Dixi pro vita & membris hominis liberi, quia vita & membra servi proprie dicti sunt pretio æstimabilia, eorumque occisio vel mutilatio respectu domini est damnum reale; sicut vita & membra pecudum, quæ cum sint ordinis inferioris, mirum non est, quod pro illis possit æquivalens reddi. Neque reponas, etiam vitam & membra hominis liberi in æstimatione morali per bona fortunæ posse adæquari, eoquod pauper quispiam magni vel pluris æstimaret 1000 aureos, quam minimum suum digitum; nam hic non attenditur æqualitas secundum æstimationem privatam, & felicitatem læsi, sed secundum æquivalentiam in ordine ad recuperandum rursus bonum ablatum. Sane ne quidem libertas & nobilitas pecuniis comparari & directe emi possunt, sed tantum certa quædam jura, quæ numerantur inter bona fortunæ, & libertati vel nobilitati annexa sunt.

654 Dicendum 2. Pro damnis realibus ex injusta occisione, aut mutilatione emergentibus, ac lucro cessante sufficienter prævifo ex justitia debet fieri restitutio vel læso, vel in ejus defectu hæredibus. Ita communissima; nam ex una parte homicida vel percussor horum damnorum est causa efficax & voluntaria, ex altera parte hæredes censentur repræsentare personam defuncti, vel saltem in illius jura succedunt; hinc licet hæredes sint extranei, debent ipsis restitui omnia, quæ pro necessitate & status conditione in medicos, chirurgos, medicinam &c. expensa sunt. Si enim ejusmodi expensæ factæ sunt ex bonis occisi adhuc viventis, ipse occisus jus ad restitutionem acquisivit: ergo hæredes in hoc jure tanquam parte hæreditatis succedunt; si vero expensæ primum factæ sunt post mortem occisi ex juribus hæreditatis, hæredibus competit jus immediatum ad illas

illas expensas sibi præstandas. Excipiuntur expensæ funeris, quæ æque fieri debuissent, si læsus morte naturali occubuisset.

655 Quoad lucra cessantia & ea commoda, quæ alias ab occiso uxor, parentes & liberi petere, vel saltem merito exspectare potuissent, debet quidem ipsis satisfieri, uti etiam nepotibus ex filio aut filia, qui jure repræsentationis in stirpes succedunt avis; nihil tamen debet restitui aliis propinquis collateralibus & remotioribus, qui ab intestato succedunt, & multo minus hæredibus extraneis: nam isti non censentur eandem cum defuncto personam constituere, & solum petere possunt bona, quæ a defuncto supersunt; imo etiam liberis & uxori compensatio non ita facienda est, ac si illa lucra actu jam essent acquisita, sed tantum juxta æstimabilitatem spei, juris & damni. Unde si occisus nihil lucri fecisset, nihil ipsis debetur, uti nihil debetur uxori, si post mortem mariti interfecti æque commode nupsit; imo juxta Lessium neque patri, si non sit hæres filii occisi, nec indigeat alimentis, eoquod ipsi aliunde sit prospectum.

656 Majus dubium est, an homicida etiam ex justitia teneatur satisfacere creditoribus occisi, aut illis, quos occisus alebat ex liberalitate. Affirmant Molina, Layman, Ining. quia homicida mediis injustis impedit alios a consecutione boni, & quidem creditoribus ex justitia debiti. Contrarium tamen defendunt graves auctores cum Lug. nam sicut occisus non tenebatur alios alere, aut beneficia illis conferre, sic illi non videntur habuisse jus rigorosum contra occisorem, ne patronum suum occidat, damna vero, quæ creditoribus occisi oriuntur, videntur tantum sequi per accidens, & remote in casu raro. Si enim non habuit bona solvendis debitis sufficientia eo tempore, quo interfectus est ordinarie

narie illa etiam non fuiſſet habiturus, ſi diutius vixiſſet. Hinc P. Vogler de reſtit. q. 24 ait, univerſali conſuetudine videri receptum, ut injuſtus occiſor non debeat reſtituere omnibus, qui quomodocunque ex injuſta nece incommodum patiuntur.

657 Porro ſi occiſus occidenti ante mortem remittat obligationem compenſandi damna, occiſor ſolum tenetur præſtare ea, quæ occiſus ex juſtitia debebat liberis, uxori &c. hæc enim obligatio non dependet a voluntate occiſi; cum ipſemet ſe ab illa liberare non potuiſſet. 2. Idem eſt, quando homicidium contigit in pugna mutuo utriusque conſenſu libere facta, ſive dein provocans ſive provocatus occubuerit, modo neuter graviter exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ; nam licet ponatur, tale homicidium eſſe injuſtum, & occiſo injurioſum, eo quod jure ſuo ad uſum vitæ efficaciter cedere non poſſit; poteſt nihilominus remittere compenſationem damnorum realium, & ob mutuum conſenſum remiſiſſe cenſetur. 3. At quando pugna vel homicidium ſine mutuo conſenſu factum eſt, occiſus non ſtatim debet cenſeri obligationem compenſandi damna remittere, licet ante mortem occidenti remittat injuriam. 4. Neque obligatio compenſandi damna exſpirat per hoc, quod homicida puniatur pœna talionis; compenſatio enim debet fieri illis, qui paſſi ſunt damnum, & homicida æque puniretur, ſive ex homicidio a ſe perpetrato damnum ſecutum ſit, ſive non.

658 Dicendum 3. Qui per vim, metum aut ſimili modo violento a puella extorſit uſum corporis, tenetur ipſi ad compenſationem omnium damnorum ſubſequentium: ſi vero nullum damnum inde ſequatur, eoquod delictum ſit occultum, & puella æque honeſte ac facile nubat, quam ſi corrupta non eſſet, ad nullam compenſationem tenetur. Filliuc. Sanchez & alii communiter. Ratio poſterioris eſt, quia præceptum reſtitutionis non obligat pro ſola virginitate

nitate aut injuria, nisi sit conjuncta cum damno; ratio prioris, quia talis est causa injusta omnium damnorum. Tenetur igitur stuprator vel ducere corruptam, vel juxta prudentum æstimationem illi tantum pecuniæ tribuere, quantum requiritur, ut possit æque commode nubere, nec refert, si puella forte non amplius fuit virgo, modo in communi æstimatione pro virgine fuerit habita.

Idem proportionaliter dicendum est de eo, qui 659
per fraudem & fictam promissionem matrimonii a puella copulam obtinuit; cum enim puellæ injuriam intulerit, tenetur damna inde secuta compensare vel pecunia & aucta dote, vel puellam ducendo, si aliunde non habeat, unde injuriam satis compenset. Imo aliqui cum Less. Laym. &c. existimant, ejusmodi injuriam non alia ratione, quam inito matrimonio compensari posse, adeoque ejusmodi fraudulentum defloratorem determinate ad puellam ducendam obligari, nisi illam multum excedat conditione generis, aut ex matrimonio gravia damna timerentur, aut puella non amplius fuerit virgo, ut tamen putabatur. Imo in ultimo hoc casu, si puella se virginem jactitavit, ficte promittens juxta aliquos ad nihil tenetur, quia fraus fraude compensatur.

Qui vero puellam tantum induxit per preces, 660
blanditias &c. non violentas & sine fraude vel promissione matrimonii, ad nihil tenetur, quia volenti & consentienti non fit injuria. Excipiuntur alimenta prolis, si partus sequatur; ad hæc enim tenetur deflorator, etsi puella consenserit. Sed & pater puellæ violatæ in hoc casu, suo nomine potest instituere actionem injuriarum ad pœnam pecuniariam sibi applicandam; ante sententiam tamen ipsi nihil debetur; nam licet puella difficilius nubat, & forte diutius debeat ali in domo paterna, ideo pater non tenetur dotem augere, sicut vicissim filia sponte posset manere innupta.

Dicen-

661 Dicendum 4. Quando certum eſt, quod proles ſit adultera, tenetur mater, quantum ſine vitæ periculo & famæ diſpendio fieri poteſt, compenſare damnum, quod inde redundat in maritum, qui adulterii ignarus prolem ſpuriam alere debet, & in legitimos hæredes, qui ideo parte hæreditatis paternæ & maternæ ſpoliantur. Communis cum P. Laym. Unde ſi mater habet bona paraphernalia, debet ex illis relinquere viro & liberis legitimis, quantum ſufficit ad reſarciendum damnum; ſi non habet, debet imminuere ſumptus, quantum ſpectata conditione ſtatus, valetudinis &c. fieri poteſt, operam dare labori, negotiationi &c. ut lucrum inde acquirat. Si etiam his modis ſatisfacere nequeat, debet ſpurium, ſi idoneus ſit, promovere ad religionem, quæ non admittit legitimam; non tamen tenetur adultera crimen ſuum manifeſtare proli aut marito, quia alias ſe redderet infamem & exoſam, fama autem eſt nobilior, quam ut prodigi debeat ad damnum in bonis fortunæ a marito & liberis legitimis avertendum.

662 Ad eadem damna reſarcienda tenetur adulter, ſi ipſi quoque certum eſt, ſe eſſe patrem prolis ſpuriæ, & inſuper efficaciter procuravit, ut adultera hanc prolem marito tanquam ſuam ſupponat. Nam in tali caſu etiam adulter, ſi non per ipſum adulterium, ſaltem per illam procurationem eſt cauſa damnorum; cumque ejus conſilium & procuratio æque cedat in ſuum quam adulteræ bonum, uterque æque primo tenetur pro rata, vel in defectu alterius in ſolidum. Si vero adulter nullo modo ſuaſit, ut adultera prolem marito ſupponat, juxta Sotum ad nihil tenetur, quia hæc damna non proveniunt ex ipſo adulterio, ſed ex fictione matris prolem ſupponentis; hujus autem fraudis adulter nec auctor, nec particeps eſt, ſicut non cenſetur eſſe

esse causa homicidii, si adultera occidat fœtum spurium sine suasione vel procuratione adulteri.

Quando autem dubium est, prout plerumque 663
contingit, an proles ex proprio marito vel adultero concepta fuerit, probabilius nec adulter nec adultera ad ullam compensationem tenetur; in dubio enim melior est conditio possidentis, & quando partium jura sunt obscura, potius favendum est reo, quam actori, qualis in tali casu censetur maritus vel liberi legitimi, qui petunt reparationem damnorum. Imo licet mater affirmet filium esse spurium, ille non tenetur credere, nec jure ad hæreditatem cedere, esto quod constet matrem commisisse adulterium, modo non etiam ex aliis indiciis probetur, quo filius ex adulterio conceptus sit, ut colligitur ex cap. Per tuas 10. de probat. Addit Bonacina cum aliis, hoc verum esse, etsi mater in articulo mortis constituta jurejurando affirmaret, filium ex adulterio conceptum esse.

QUÆSTIO III.

Quid restituendum sit ob læsionem in bonis animæ.

Bona animæ, in quibus proximus per injuriam 664
lædi potest, sunt duplicis generis, nimirum naturalia, uti sunt potentiæ & facultates animæ, item scientiæ & artes: & supernaturalia, uti virtutes, gratia & opera meritoria. In utrisque rursus offensa a damno, & damnum immediatum ac personale a mediato & reali distingui debet. De offensa & damno personali eodem proportionaliter modo loquendum est, sicut in præcedente quæstione explicavi de damno reali.

Dicendum 1. Qui alium læsit in potentiis animæ 665
naturalibus e. g. per philtrum privando usu rationis, vel per maleficium destruendo aliquam potentiam

tiam organicam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde in bonis fortunæ sequuntur, non secus, quam si membrum abscidisset, aut aliud damnum in corpore dedisset. Ita communis & patet ex dictis n. 654. Unde si læsus factus est in perpetuum inhabilis, lædens debet illi vel assignare certos annuos reditus ad dies vitæ, vel cum eo transigere, aut eundem domi suæ alere, vel saltem efficere, ut alatur aliena liberalitate e. g. in hospitali, supposito quod hoc non dedeceat conditionem & statum personæ læsæ.

666 Idem ferme est de eo, qui alteri fuit causa injusta damni in scientia & arte, quod variis modis fieri potest, uti 1 quando aliquis vi, fraude aut alio modo injusto alterum ab usu & acquisitione artis prohibet. 2 Quando alios instruere ex officio obligatus, notabiliter est negligens in docendo. 3. Quando conscius suæ inscitiæ & imperitiæ ad munus docendi se ingerit, vel omnino culpabiliter & malitiose falsa pro veris docet, si jam tali modo fuit causa, ut tum ipsi discipuli, tum alii damna in bonis fortunæ passi sint, tenetur ad omnium eorum compensationem secundum prudentis arbitrium & æstimationem, modo ejusmodi damna sufficienter prævisa, nec tantum per accidens secuta fuerint.

667 Dicendum 2 cum communi, qui alterum inducit ad peccatum formale vi, fraude aut metu causante involuntarium secundum quid, infert ipsi injuriam, & in primis tenetur ab inferenda vi, metu &c. desistere, alterumque relinquere plenæ libertati, ut sic a peccato se possit expedire. Dein tenetur reparare omnia damna realia, quæ inde tam seducto quam aliis secuta sunt. Denique juxta multos etiam ex justitia tenetur seductum positive ad meliorem statum revocare, quod tamen negat Sanchez, quia seductus, plenæ libertati restitutus, sibi ipsi debet imputare, si nolit se convertere.

Qui

Qui vero alterum ad peccatum formale inducit 668
tantum consilio, hortatu &c. sine fraude aut vi, saltem secundario tenetur reparare damna, quae inde secuta sunt tertio, non vero quae ipsi seducto; nam volenti, & consentienti non fit injuria, & consilii non fraudulenti nulla est obligatio, etiamsi non expediat ei, cui datur; cum cuique liberum sit explorare, an sibi consilium expediat. Regul. Consilii 47 ff. de Regulis Juris, & l. 2 ff. Mandati. Nihilominus etiam in tali casu charitas obligat, ut seductus ad meliorem statum revocetur, praesertim si potius ex infirmitate quam malitia in peccato maneat; quodsi inducentes ex justitia tenebantur alterius peccatum impedire, uti superiores, parentes &c. etiam ex justitia tenentur illum ad emendationem hortari & urgere.

Dicendum 3. Qui alterum inducit ad peccatum 669
materiale e. g. docendo errorem in fide, moribus &c. tenetur illum dedocere errorem, & resarcire omnia damna, quae vel inducto, vel alteri tertio inde sequuntur, siquidem ex parte inducentis intervenerit fraus aut dolus. Ad idem juxta Lugonem aliosque obligatur, qui alium induxit ex imperitia aut ignorantia graviter culpabili, eoquod plene advertat periculum causandi damnum, nec tamen caveat. Sed contrarium tenet Sanchez casu, quo damnum tertio secutum non erat ex debito justitiae, sed tantum charitatis, ut si quis male consuluit aut docuit, ne Cajo detur eleemosyna; quamvis enim talis injustitiam committat respectu illius, quem bene instruere tenebatur, non tamen videtur ex justitia obligatus, ut majorem diligentiam adhibeat ad impediendum damnum pauperis.

Qui denique alterum decepit sine culpa e. g. si 670
confessarius alias satis doctus bona fide male poenitentem deobligat a restitutione, aut contractum illicitum approbavit tanquam licitum, licet non teneatur

neatur reparare damna inde ſecuta, tamen juxta Lugonem ex juſtitia tenetur comperta veritate errorem corrigere, eoquod quilibet ex juſtitia debeat procurare, ne ex ſua operatione poſitive lædantur jura aliorum. Sed rurſus contradicit Sanchez, quia actio, qua quis bona fide malum docet, non aſt formaliter injuſta, actio autem negativa, qua poſtea tacet, non videtur contra jus rigoroſum tertii; confeſſarius enim non tenetur ex juſtitia impedire damnum tertii, aut procurare ejus bonum præſertim depoſito jam officio & ceſſante quaſi contractu. Hinc etiam Filliuc. Mald. Azor. Sa, Suarius, Valent. aliique plures apud Moyam contra Silv. Molin. Laym. &c. docent, confeſſarium, qui ſe habet mere negative non obligando, aut monendo pœnitentem de facienda reſtitutione, ex juſtitia non teneri ad damnum tertii compenſandum, quamvis contra ſuum officium graviter peccet, & pœnitenti inferat injuriam, ſi admonitio eſt neceſſaria, & illam omittit.

QUÆSTIO IV.

Quomodo injuſte lædatur honor & fama.

671 Quatuor modi ſunt, quibus honor & fama proximi injuſte læditur, nempe temeraria ſuſpicio, temerarium judicium, detractio & contumelia. Tres primi directe opponuntur famæ, contumelia honori; hæc enim nihil aliud eſt quam injuſta inhonoratio alterius, vel poſitiva, quando verbis aut factis aliquid dontra honorem alterius committitur, vel negativa, quando omittuntur ſigna honoris, quæ alteri exhibere tenemur.

672 Suſpicio temeraria eſt debile quoddam vel imperfectum judicium, ſeu aſſenſus iuchoatus, quo quis absque ſufficienti fundamento voluntarie eo inclinat, ut malum aliquod credat de proximo, quin tamen de malo illo habeat plenam perſuaſionem.

nem. Judicium temerarium eſt aſſenſus firmus & perfectus, quo quis absque ſufficienti indicio & ratione male judicat de proximo. Detractio eſt injuſta violatio famæ alienæ apud alios, poteſtque fieri directe, vel inderecte.

673 Directe detractio fit 1, imponendo aut affingendo alteri crimen falſum. 2. Crimen verum, ſed adhuc occultum manifeſtando. 3. Illud amplificando. 4. Bonum opus in malam partem interpretando. Inderecte fit 1, bona & recte facta alterius negando. 2. Eadem imminuendo. 3. Reticendo eo loco & tempore, quo cæteri hoc ſilentium pro tacita accuſatione accipiunt. 4. Frigide laudando, ita ut hoc ipſum laudare potius cedat in vituperium.

674 Ex his patet, quomodo ſuſpicio, judicium temerarium, detractio & contumelia inter ſe differant. Nam 1 judicium eſt actus perfectus, ſuſpicio vero imperfectus. 2. Temere judicans famam proximi lædit apud ſe ipſum, detrahens apud alios: quem modum lædendi notabiliter diverſum eſſe, colligitur ex ſenſu & praxi fidelium in confeſſione ſolicite inter hæc peccata diſtinguentium. 3. Detractor lædit bonum famæ plerumque abſentis, reveretur adhuc aliquo modo infamatum, & ſe habet per modum furis. Calumniator lædit honorem, & plerumque contra præſentem abjecta omni reverentia debachatur. Nihilominus etiam poteſt contumelia inferri abſenti, ut ſi illum inhonores in ſua imagine, vel talibus convitiis proſcindas, quibus præciſe honor læditur; ſi vero detractio fiat præſenti, ſimul erit contumelia.

675 Dicendum 1 cum S. Thoma 2.2, q. 60 art. 3 & communi aliorum, ſuſpicio temeraria etiam in materia gravi regulariter non eſt peccatum grave; cum enim tantum ſit actus imperfectus & fluctuans, regulariter proximo non infert grave damnum in

fama, ut sentit communissima doctorum. Si tamen temeraria suspicio versaretur circa crimen valde enorme, quod aliquis ex indiciis frivolis suspicaretur inesse personæ valde probæ vel honoratæ, e. g. sacerdotem optimæ famæ esse magum, episcopum adulterum &c. juxta Molin. Less. &c. esset peccatum grave, eoquod ex mali enormitate & probitate personæ læsæ malitia & temeritas suspicionis multum cresceret.

5 Dicendum 2 cum eodem doctore Angelico loc. cit. judicium temerarium in materia respective gravi de se est peccatum mortale; nam lædit graviter jus proximi, quod ille habet ad hoc, ut credatur esse bonus, quamdiu non probatur malus, simulque causat ipsi gravem tristitiam, ut omnes experiuntur. Potest nihilominus etiam esse peccatum veniale 1, si malum, quod per judicium temerarium proximo affingitur, est tantum leve. 2. Si quidem grave est, sed gravitas mali inculpabiliter non advertitur. 3. Si inculpabiliter non advertatur, indicia esse insufficientia ad judicandum 4. Si signa sufficiunt ad opinionem probabilem; quamvis enim ob ejusmodi indicia feratur judicium firmum, censent tamen aliqui, hanc injuriam non esse gravem, dummodo non adsint indicia æque probabilia in contrarium.

678 Dicendum 3, detractio & contumelia in materia respective gravi sunt peccatum mortale, ita rursus communis; quia fama & honor sunt bona longe magis æstimabilia quam bona fortunæ; unde illorum læsio merito graviter affligit hominem, si sit respective magna, qualis sæpe esse potest defectus absolute levis, vel solum naturalis, ut si de viro magnæ auctoritatis & probitatis dicas, quod sæpe mentiatur, quod sit spurius &c. vel si tot defectus ejusdem hominis reveles apud eundem, ut tandem ejus existimatio notabiliter minuatur. Unde gravitas, vel

vel levitas detractionis & contumeliæ non debet præcise desumi ex materia, sed ex eo, utrum consideratis circumstantiis personarum cui, a quo, & coram quibus fiunt, læsus merito possit concipere gravem tristitiam. Putat quidem Tamburin. modicum detrimentum esse perdere famam ob verum crimen tantum apud unum hominem, qui prudenter speratur servaturus esse silentium; sed contrarium ostendit difficultas, crimen occultum manifestandi in confessione sacramentali etiam uni sacerdoti, ubi tamen præter ingentem animæ utilitatem longe major est securitas secreti.

Interim contumelia ordinarie levis censetur, si 678
tantum est negativa, quia virtus observantiæ ad honorem positive exhibendum non obligat, nisi in circumstantiis raro concurrentibus, & ex mera omissione honoris per se exiguum vel nullum damnum proximo sequitur, nisi alia obligatio aut malitia concurrat. Contumelia quoque positiva apud viles mulierculas, mediastinos &c. sæpe, apud pueros plerumque levis est, si mutuis conviciis se proscindunt. Imo siquis tantum joci causa alicui leves defectus objicit ad animi recreationem, & sine periculo alterum contristandi, vel ad iram concitandi, omnino a peccato excusari potest. Multo magis contumeliam inferre licet ad justam correctionem ab eo, qui corrigendi jus habet; qua ratione ipse Christus ad discipulos in Emaus dixit: *O stulti & tardi corde,* Luc. 24 v. 25, & Apostolus: *O insensati Galatæ,* ad Gal. 3 v. 1.

Ad detractiones leves ordinarie pertinent 1, de- 679
fectus naturales animæ & corporis, ut esse duri ingenii, luscum &c. quo etiam revocantur termini generales, esse iracundum, avarum &c. qui potius animi propensionem, quam actus indicant. 2. Peccata venialia & quotidiana, ut fuisse jocose mentitum. 3. Illa mortalia, quæ ob conditionem per-

ſonæ non multum cenſentur probroſa, & quæ ipſe infamatus non magno ſibi ducit dedecori, ut germanum fuiſſe ebrium, militem duello congreſſum. 4. Peccata, cum aliis jam notis connexa, iisque valde affinia, quæ priorem infamiam notabiliter non augent, ut ſi de notorie adultero dicas, quod miſerit litteras amatorias, vel de proſtitutæ famæ uſurario, quod iterum exercuerit uſuras. 5. Detractio facta homini ignoto vel perſona non nominata ita, ut id audientes non poſſint venire in illius notitiam. 6. Detractio alias de ſe gravis, ſed exiguo tempore durans, quia vel prolata fuit cum animo ſtatim efficaciter revocandi, vel crimen ab aliis brevi, & quidem juſte publicandum eſt.

680 Quodſi habeatur juſta & proportionata cauſa crimen aliquod revelandi, ejusmodi revelatio ab omni peccato excuſari poteſt. Tales cauſæ ſunt 1, bonum ipſius revelantis, ut ſi alias ipſemet deberes ſubire grave damnum, pœnam, infamiam &c. quia nemo cum tanto ſuo incommodo tenetur ſtudere famæ alterius; hinc in talibus circumſtantiis etiam a viro prudente licet petere conſilium, quantum tamen fieri poteſt cum minimo alterius damno. 2. Bonum audientium nempe vel ad neceſſariam eorum informationem, ut ſibi poſſint a malis cavere, vel ad neceſſariam inſtructionem & cautelam, ut a ſimili lapſu avertantur; nam bonum innocentis præferendum eſt famæ nocentis. 3. Bonum ipſius delinquentis, ut fraterne corrigatur; quia Chriſtus ipſe præcepit, ut ſecreta correctione nihil proficiente peccatum proximi alias non amendandum manifeſtetur ſuperiori. 4. Bonum alterius tertii; quilibet enim licite poteſt, & plerumque ex charitate tenetur aperire occultum crimen, ſi id neceſſarium eſt ad impediendum grave damnum communitatis vel cujuscunque innocentis privati.

Præ-

Præterea a peccato saltem injustitiæ sæpe excu- 681
sat notorietas criminis; nam 1, si crimen notum est notorietate juris, reus per justam sententiam fuit privatus omni jure ad famam respectu hujus criminis, adeoque illud sine injuria ubique potest evulgari. 2. Idem est de crimine notorio notorietate facti, vel famæ; quia etiam circa hoc reus censetur jus ad famam amisisse in locis vicinis, vel dissitis quidem, sed ita commerciorum consortio conjunctis, ut notitia facile ac moraliter illuc sit perventura. 3. At si notitia in alium locum sive vicinum sive dissitum moraliter venire non potuisset, communior docet infamatum in uno loco adhuc juste possidere famam suam in altero. Consentit Lugo, si res tantum est notoria in una familia, schola, monasterio, quia ista notorietas potius est privata quam publica; si vero res absolute nota est in aliqua civitate vel regione, ut adeo peregrinis illuc venientibus licite narretur, cur id non liceat etiam illis scribere, vel in sua patria commorantibus narrare? inquit auctor citatus.

QUÆSTIO V.

Quid restituendum sit pro læso honore & fama?

Dicendum 1, qui alterius honorem læsit per te- 682
merariam suspicionem, vel judicium, ad nullam aliam restitutionem tenetur, quam ut suspicionem vel judicium deponat. Communis cum Molina; quia obligatio restitutionis universim plus non exigit, quam ut reparetur damnum injuste illatum; sed damnum alteri per temerariam suspicionem vel judicium illatum sufficienter reparatur, dummodo suspicio vel judicium deponatur: ergo.

Dicendum 2, qui alterius honorem læsit per 683
contumeliam, tenetur illum compensare per æqua-

lia ſigna honoris & exiſtimationis, quæ in morali æſtimatione æquivalent injuriæ illatæ. Communis. Nam ſolum per exhibitionem talium ſignorum damnum illatum reparatur & reducitur, quantum fieri poteſt, æqualitas per contumeliam ſublata. Porro ejusmodi ſigna ſunt 1, amica & honorifica ſalutatio vel compellatio, & hoc plerumque ſufficit reſpectu prælatorum erga ſuos ſubditos. 2. Invitatio ad menſam, ceſſio loci honorifici, propinatio amicabilis hauſtus &c. per quod plerumque ſatisfit inter æquales, niſi contumelia fuerit atrox. 3. Petitio veniæ, deprecatio, genuflexio &c. quæ juxta conſuetudinem exhibere debent filii parentibus, ſubditi ſuperioribus &c.

684 Dicendum 3, qui alterius famam injuſte læſit per detractionem, tenetur adhibere media neceſſaria & convenientia ad illius reparationem. Ita communiſſima omnium. Hinc ſi revelavit crimen falſum, tenetur dicta revocare, imo etiam fateri, ſe eſſe mentitum, ſi aliter infamiam tollere nequeat, etiamſi tali modo æquale damnum, vel infamiam incurreret, quia in pari cauſa melior eſt conditio innocentis. Qui autem revelavit crimen verum, debet dicta ſua corrigere aliqua æquivocatione dicendo, ſe erraſſe, non dixiſſe verum veritate nempe publica, quæ ſola in hac materia manifeſtari poteſt. Neque ſufficit, ſi infamatum tantum laudet in aliis virtutibus, quamdiu aliud remedium ſupereſt, quia una fama in æſtimatione hominum non ſubſtituitur pro alia.

685 Præterea injuſtus detractor tenetur reparare damna in bonis fortunæ ſecuta ex detractione, ſiquidem connexionem ejusmodi damnorum ſufficienter apprehendit, ut ſi injuſte infamatus propterea privaretur ſuo officio, aut excideret ſpe divitis matrimonii &c. non tamen tenetur detractor reddere pecuniam, vel alia bona fortunæ pro ipſa fama, etſi illa nequeat in ſe ipſa reſtitui. Ratio eſt, quia bo-

na fortunæ & famæ sunt diversi ordinis, nunquam autem datur obligatio restituendi in bonis diversi ordinis, ut colligitur ex dictis num. 652.

Quæres 1, coram quibus fama debeat restitui? 686
Resp. cum Dicast. 1, si detractor delictum narravit talibus, qui merito timebantur rem ulterius evulgaturi, tenetur famam restituere, quantum fieri potest, etiam apud auditores mediatos, saltem in defectum immediatorum; quia in tali casu primus detractor est efficax causa totius infamiæ secutæ 2. Si vero detraxit coram talibus, quos prudenter præsumebat rem non propalaturos ulterius, solum tenetur famam restituere apud hos auditores immediatos, quia in hoc casu propalatio ulterior non tam primo detractori quam posterioribus imputanda est. 3. Si ita detraxit, ut non cogitarit, utrum auditores rem ulterius sint propalaturi, nec ne, probabilius iterum sufficit restitutio apud solos auditores immediatos, quia ulterius damnum non satis fuit prævisum.

Quæres 2, an & quomodo peccet, qui audit 687
detrahentem? Resp. qui detrahentem audit inducendo, provocando, interrogando &c. ita ut positive in faciendam vel continuandam detractionem influat, peccat contra justitiam, & infamato tenetur ad restitutionem, utpote ad illius damnum cooperans. 2. Qui detrahentem audit gaudens quidem, approbans & consentiens, attamen absque positiva cooperatione & influxu, peccat tantum contra charitatem & ad nullam restitutionem tenetur. 3. Idque multo magis dicendum de illo, qui se habet mere negative, & detractionem tantum non impedit, licet facile posset, nisi ex officio sit obligatus impedire peccatum unius & damnum alterius. 4. Quod si quis detractionem impedire non possit, & solum habeat complacentiam de injuria proximi materialiter accepta ob rei novitatem, mirabilem

p xin, facundiam detrahenti lepide recensentis factum alterius, ab omni peccato excusandus erit.

DISPUTATIO IV.

De modo restituendi.

688 Ad modum restituendi præter hinc inde dicta adhuc pertinent tam ordo debitorum, quam creditorum, tempus & locus, quo debet fieri restitutio, & expensæ in illam faciendæ, quæ licet in catalogo nostro præscripta non sint, quia tamen ad plenam de materia restitutionis notitiam plurimum conducunt, juvat illa paucis saltem perstringere, & tum deniq; adnectere causas a restitutione excusantes.

QUÆSTIO I.

Quomodo ad restitutionem teneantur, qui ad damnum injustum cooperautur?

689 Cum ex titulo injustæ acceptionis ad restitutionem obligentur omnes illi, qui fuerunt causa injusta & efficax damni, constat hanc obligationem etiam contrahere, qui scienter ac deliberate ad damnum alterius cooperantur; modi autem, quibus aliquis damno injusto cooperari potest, his versibus continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

690 Jussio. Qui jubet seu mandat, ut alteri injuria inferatur, sive id faciat cum potestate, ut herus famulo, sive absque potestate ut amicus amico, tenetur ad restitutionem etiam damnorum, quæ causantur mandatario, nisi forte cum illo contraxerit e. g. ut faceret pro mercede. Excipitur, quando mandatum, ante executionem ita fuit retractatum, ut hæc retractatio mandatario innotuerit, vel

si

si mandatarius fines mandati libere & culpabiliter excessit, tunc enim mandans in primo casu ad nihil, in altero ad excessum non tenetur.

Consilium. Qui alterum rogat, hortatur, ostendit 691 modum, quo fiat injuria, proponit motiva faciendi &c. tenetur ad restitutionem, modo ejus consilium ut cum aliis conjunctum efficaciter moverit, nec alter jam aliunde ad damnum inferendum fuerit determinatus. Neque prodest, quod ante exsecutionem consilium suum revocet, si simul suggessit modum, aut proposuit motiva, quæ movere pergunt; sed in tali casu ulterius requiritur, ut etiam consilii falsitas, aut inutilitas ostendatur, & modus damnum inferendi, quantum fieri potest, impediatur, alias consulens adhuc manet causa efficax damni, ut contra Navarr. & Medin. docent Lessius & Lugo.

Consensus. Consentiens dicitur, qui suo calcu- 692 lo vel suffragio est causa efficax damni, ut quando quis in electione episcopi suum suffragium dat indigno, quem videt ecclesiæ fore noxium. Nec obest, quod talis electio ab aliis facta fuisset sine tuo suffragio; si enim prius consentias, quam suffragia sufficientia & quidem irrevocabilia data fuerunt, revera efficaciter damno cooperaris.

Palpo seu adulator est, qui laude, adulatione, 693 aut econtra vituperio & exprobratione alium inducit ad inferendum damnum. Si enim adulatio primum sequitur post damnum, nulla datur obligatio restitutionis, modo non sit causa, ne postea reparatio illati damni omittatur; tunc enim moraliter idem esset, ac si ad damnum inferendum induxisset.

Recursus. Hunc præstat, qui damnificantem 694 in domum suam recipit, illius res furtivas aut instrumenta furandi occultat &c. ita ut per hanc receptionem censeatur furi præstare securitatem, ut vel furtum committat, vel postea non restituat.

Aliud eſt, ſi reum tantum juvat ad fugam ſine ſpe refugii impoſterum; nam ipſi reo fuga eſt licita, & poſt deliſtum jam factum receptator non amplius eſt cauſa damni.

695 Participans non ſolum vocatur ille, qui accipit partem rei injuſte ablatæ, ſed etiam qui ad injuſtam damnificationem operam ſuam confert e. g. agendo excubias, applicando ſcalam, parando inſtrumenta, conficiendo litteras &c. Qui tantum participat de re jam erepta tenetur id ſolum reſtituere, quod accepit: qui autem operam ſuam ad injuſtam damnificationem contulit, tenetur ad totum, niſi cooperatus ſit licite per actionem de ſe non malam, ut ſi ruſtici metu injuſto coguntur iniquas prædas militum avehere.

696 Prædicti cooperantur ad damnum poſitive, negative autem ſive priva ive concurrunt 1, mutus, qui ante damnum illatum non monet, non clamat, non impedit. 2. Non obſtans, qui dum fit damnum non defendit, non prohibet. 3 Non manifeſtans, qui poſt damnum non admonet, non revelat. Iſti tunc obligantur ad reſtitutionem, quando non ſolum ex charitate, ſed ex juſtitia obligantur ad damnum, avertendum, nempe ex contractu, officio vel ſtipendio, uti conſiliarii, tutores, curatores, cuſtodes ſylvarum, piſcinarum &c. item famuli circa illas res, quæ ipſorum cuſtodiæ ſpecialiter ſunt commiſſæ, ſive ab externis, ſive a domeſticis auferantur. Imo Leſſius & Lugo contra Bonac. & Molin. docent, quod reſpectu externorum cuivis famulo omnes res ſui domini quaſi de jure gentium ſint commiſſæ.

697 His præmiſſis ulterius indagandum, utrum ſinguli cooperantes teneantur reſarcire totum damnum in ſolidum, an vero tantum partem illius, ſeu pro rata? Item quiſnam ex pluribus cooperantibus teneatur

neatur primo & principaliter, & quinam tantum secundario ac in defectum aliorum. Non raro enim contingit, ut plures ad idem damnum simul physice aut moraliter per mandatum, consilium &c. concurrant, adeoque omnes illud compensare teneantur, ubi magna attentione opus est, ut legitimus ordo inter debitores observetur.

Dicendum 1 cum P. Josepho Vogler in tract. de 698
restit. in genere, qui physice vel moraliter cooperatur ad totum damnum, dubium non est, quin teneatur illud resarcire in solidum. Si vero damnum tantum causavit partialiter, attendendum est, an sine ipsius cooperatione nihilominus totum damnum fuisset secutum? si non, rursus tenebitur in solidum, quia tali modo cooperatur totalitate effectus, quem subtrahendo suum concursum potuisset, ac debuisset impedire; ut si quis alterum juvet ad grave pondus auferendum, quod ille solus auferre non potuisset. Si vero damnum absque ipsius concursu secutum fuisset juxta Lug. & La Croix, Adrian. Silvest. Navarr. &c. tantum tenetur pro rata, quia reliquam partem damni neque physice, neque moraliter causavit, sicut num. 571 diximus de illo, qui alios solo exemplo ad furta inducit. Imo si causa principalis per se jam sufficit, & ad inferendum damnum injustum paratissima fuit, accedens causa minus principalis e. g. consulens, consentiens, palpo juxta S. Thomam q. 62 art. 7 in corp. ad nihil tenetur, nisi ex effectu & circumstantiis appareat, quod causa magis principalis propter hunc concursum alacrius, citius aut gravius nocuerit, quia in tali casu causa minus principalis non potest censeri efficaciter in damnum influxisse.

Dicendum 2. Primo loco & ante omnes alios 699
restituere tenetur ille, apud quem res aliena adhuc exstat formaliter vel æquivalenter. Communis cum

Lug.

Lug. Ratio eſt, quia hic tenetur non tantum ex injuſta acceptione, ſed ex re accepta, qui titulus eſt fortior, cum jus domini conſtanter rei adhæreat. Excipit P. Sporer, ſiquis ex mandato alterius damnum intulit, & rem alienam accepit in mercedem, tunc enim prius videtur teneri mandans, utpote cauſa magis principalis, ſaltem ſi dominium rei in mandatarium translatum fuit.

700 Dicendum 3 cum S. Thoma q. 62 art. 7 ad 2 & communi aliorum, cauſa principalis tenetur ante ſecundarias; iſtæ vero ſolum in defectum cauſæ principalis, quæ totum onus in ſe ſuſcipere cenſetur; niſi cauſa ſecundaria principalem induxerit per fraudem; tunc enim propter injuriam tenetur cauſam principalem, quantum poteſt, ſervare indemnem. Porro cauſa principalis dicitur illa, quæ damnum infert nomine proprio vel in proprium commodum: ſecundaria vero ſive inſtrumentalis cauſa eſt, quæ damnum infert nomine alterius, & in illius commodum. Hinc cauſa principalis communiter cenſetur mandans; item conſulens, ſi ipſi ſoli conſilium utile fuit; ſi vero fuit utile ſoli exſecutori, hic tenetur ante conſulentem: ſi denique utile fuit utrique, uterque tenetur æque primo pro rata. Imo licet cauſa executiva tantum egerit nomine alieno, & in commodum alterius, nihilominus tenetur ante reliquas cauſas ſecundarias, eoquod immediatius attingat damnum e. g. exſequens furtum nomine alieno prius tenetur quam conficiens claves, palpo, receptator &c.

701 Dicendum 4. Si plures cauſæ fuerunt æque principales, obligantur æque primo, quælibet nimirum pro rata, vel in defectum aliarum in ſolidum. Idem eſt de cauſis ſecundariis inter ſe comparatis, quia una non agit nomine alterius cauſæ ſecundariæ, nec una alteri ſubordinatur, ſicut e. g. reliquæ cauſæ ex vi mandati ſubordinantur mandanti. Ita rurſus communis

munis. Debet tamen in ejusmodi causis etiam haberi ratio influxus majoris vel minoris, quem in damnum præstant, ita, ut illa plus vel prius restituat, quæ prius vel magis cooperata est; hinc si post initum commune consilium de furto faciendo solusCajus furetur, tenetur primo & quidem in solidum. Præterea causæ positivæ, quæ damnum a parte rei procurant & inferunt,tenentur ante causas negativas,quæ damnum tantum non impediunt? istæ namque interim satisfaciunt, si procurent, quantum in se est, ut damnum reparetur ab aliis: ergo damnificatus non habet jus reparationem primo petendi ab illis, sed solum in defectum causarum positivarum.

Cæterum quando causa prius obligata restituit, 702 posterius obligata ad nihil amplius tenetur,quia tantum obligabatur in defectum causæ principalis. 2.Si vero restituit causa secundo loco obligata, causa primo loco obligata tenetur illi totam rem resarcire, quia causa posterius obligata per restitutionem acquirit jus, quod dominus rei contra causam prius obligatam habuit. 3. Ob eandem rationem, quando unus ex pluribus, qui æqualiter tenebantur, totum restituit, reliqui debent huic uni suas portiones pro rata refundere, sicut illas debuissent dare damnificato. 4. Si damnificatus restitutionem gratis remittit causæ principaliori, hoc ipso liberantur simul omnes causæ secundariæ; sed non vicissim. Si vero ex causis æqualiter obligatis alicui remittitur sua portio, reliquæ non amplius obligantur ad totum, sed debet deduci illa pars, cujus remissionem una concausa obtinuit.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Cuinam ex pluribus creditoribus prius debeat fieri restitutio.

703 Quia sæpe bona debitoris seu vivi seu defuncti non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus, non exigua oritur difficultas, quinam in recipiendo debito habeant jus prælationis, consistens in eo, quod creditori tale jus habenti debeatur integra solutio, etiamsi pro cæteris parum aut nihil remaneat. Sunt autem variæ classes creditorum, ex quibus præcipuas enumerabimus.

704 Creditores reales dicuntur, qui habent jus vel actionem realem adversus debitorem. Tales sunt 1, qui res jure dominii sibi proprias apud debitorem habent e. g. res depositas, commodatas, furto ablatas &c. quo etiam pertinent dos & bona paraphernalia uxoris, si adhuc existant. 2. Venditor quoad rem venditam, si ejus dominium sibi reservavit usque ad solutionem pretii, vel rem tradidit sine solutione & non habita fide de pretio, quia tali ratione dominium necdum in emptorem translatum est. 3. Ecclesia, monasterium, aliæque causæ piæ, quoad res sibi venditas, donatas &c. nam acquirunt dominium sine traditione. 4. Qui pignus aut hypothecam habent in bonis debitoris; pignus enim aut hypotheca fundat jus & actionem realem, quam quasi Servianam vocare solent.

705 Creditores personales dicuntur, qui adversus debitorem solum habent jus & actionem personalem, quatenus ipsis ex contractu vel aliunde aliquid debetur ex bonis ipsius debitoris. Inter hos aliqui specialiter sunt privilegiati, uti 1, quibus aliquid debetur ratione sumptuum in judicio edictali, inventario &c. factorum. 2. Quibus aliquid debetur ratione expensarum

ſarum funeralium in ſepulturam debitoris, imo & uxoris ac liberorum, pro conditione ſtatus & conſuetudine loci factarum. 3. Quibus aliquid debetur ratione pharmacorum, in ultimo morbo procuratorum, uti medicis, chyrurgis, pharmacopolæ. 4. Quibus aliquid debetur ratione mercedis, uti ſunt famuli & officiales, domeſtici ſpecialiter conducti pro mercede.

Creditores hypothecarii ſunt, qui habent hypothecam aut pignus a debitore, quatenus ipſis res debitoris eſt obligata in ſecuritatem debiti, & ſiquidem res illa ſit mobilis, vocatur pignus, ſi vero immobilis, ſpecifice dicitur hypotheca. Dividitur hypotheca in genere 1, in expreſſam, quæ ex pacto & conventione contrahentium ſeu verbo, ſeu ſcripto conſtituitur: & tacitam, quæ conſtituitur ex ſola diſpoſitione legis. 2. In generalem, quando creditori omnia bona debitoris obligantur: & ſpecialem, quando illi tantum obligatur res certa e. g. domus vel ager. 3. In anteriorem & poſteriorem, in privilegiatam & non privilegiatam &c. 706

Hypothecam tacitam habent, maritus in bonis uxoris vel illius, qui dotem ſibi promiſit. 2. Uxor in bonis mariti vel fidejuſſoris pro recuperanda dote non amplius exiſtente. 3. Liberi prioris matrimonii in bonis tam patris, quam matris, ad ſecundas nuptias tranſeuntis, ratione bonorum, quæ ad ipſos pervenerant ex priore matrimonio. 4 Filius in bonis patris adminiſtrantis illius bona adventitia. 5. Legatarii in rebus deducto ære alieno a teſtatore relictis. 6. Minorennes in bonis tutoris vel curatoris. 7. Eccleſiæ & civitates in bonis eorum, qui illorum ærarium adminiſtrant. 8. Fiſcus aut camera principis in bonis ſubditorum propter tributa & collectas principi debitas. 9. Dominus in omnibus fructibus & rebus illatis in prædium alteri locatum. 10. Mutuans pecunias in re illa, ad quam comparan- 707

randam dedit mutuum, siquidem adhuc existat, & pecuniæ in illam expensæ sint.

708 Hypothecarii privilegiati apud P. Pichler sunt 1, quibus aliqua res in specie fuit hypothecata, antequam pervenerat ad debitorem, cujus creditores de prioritate contendunt. 2. Uxor & ejus descendentes ratione dotis in maritum translatæ, & non amplius existentis in bonis mariti. 3. Fiscus in ordine ad collectas, tributa & præstationes publicas. Ex contractu autem solum in illis bonis, quæ debitor post debitum fiscale acquisivit. 4. Qui dedit pecunias ad aliquam rem reficiendam, aut emendam cum pacto expresso, ut illa sibi maneat hypothecata. Imo respectu pupilli aut ecclesiæ pactum expressum non requiritur. 5. Habentes hypothecam publico instrumento constitutam, aut quasi talem, hoc est, per duos aut tres testes subscriptam, præferuntur habentibus hypothecam tantum privatam.

709 Creditores chyrographarii vocantur, qui præter chirographum seu syngrapham a debitore subscriptam ejusque sigillo munitam nullam aliam cautionem habent. Ex his rursus privilegiati sunt 1, sponsa, quæ tradidit dotem, matrimonio postea non secuto. 2. Qui deposuit pecuniam apud nummularium a republica constitutum, non percipiens inde lucrum, quod alii extendunt ad omnia deposita, commodata & pignora, si culpa debitoris perierint. 3. Pupillus & minor, qui præter hypothecam tacitam habent privilegium, ut præferantur omnibus creditoribus personalibus tutoris vel curatoris. 4. Respublicæ, civitates, & quæcunque legitime approbata communitas carens privilegio fisci, quo etiam referuntur ecclesiæ & causæ piæ, si earum pecuniis nihil est comparatum a debitore. 5. Qui in continenti suas pecunias numeravit uni ex creditoribus personaliter privilegiatis, nam iste ingreditur in illius locum.

Dicen-

Dicendum 1, creditores reales, quorum res ad- 710
huc formaliter exſtant apud debitorem, ante omnes alios ſolvendi ſunt. Ita præter plures leges, uti 5 ff. de tribut. l 13. de act. empt. & l. 24 de privileg. credit. exigit ratio naturalis, quia aliis creditoribus ſatisfieri nec poteſt, nec debet ex bonis alienis, ſed tantum ex bonis debitoris; res autem, quarum dominium adhuc ſpectat ad creditores perſonales, non ſunt bona debitoris, ſed aliena, quamdiu formaliter exiſtunt. Extendit hanc concluſionem P. Ininger 1 ad creditores, quarum res per emptionem in dominium debitoris tranſiit, ſed necdum ſoluta eſt. 2. Ad bona creditoris adhuc virtualiter apud debitorem malæ fidei exiſtentia. 3. Ad illos, qui debitori dederunt neceſſaria ad ſuſtentationem. Verum iſta ſunt contra communem. Videatur auctor citatus, in diſput. de reſtitutione quæſt. 5. art. 1 §. 1 & 2.

Dicendum 2, creditores reales hypothecarii per 711
ſe præferendi ſunt omnibus creditoribus perſonalibus & chirographariis l. eos, 9 cod. qui potiores in pignore. Ratio eſt, quia hypotheca tribuit jus in re, jus autem in re fortius eſt, quam jus ad rem ſeu perſonale; cum jus reale rem ipſam faciat obligatam, perſonale vero tantum perſonam. Excipiuntur ab hac concluſione, & omnibus hypothecariis etiam privilegiatis præponuntur illi creditores perſonales, quos num. 705 ſpeciali juris prærogativa munitos eſſe diximus.

Porro inter ipſos hypothecarios regulariter præ 712
fertur ille, qui eſt antiquior, quia res per hypothecam antiquiorem jam eſt obligata priori creditori, unde alteri non amplius poteſt obligari abſolute, ſed ſolum conditionate, ſi videlicet priori fuerit ſatisfactum. Neque hic attenditur, an hypotheca fuerit tacita, vel expreſſa generalis vel ſpecialis &c. modo poſterior non gaudeat jure prælationis: quodſi utraque privilegiata ſit, rurſus anterior præfertur poſteriori, præ-

ſertim ſi res fuit hypothecata creditori, antequam ad debitorem pervenerat; ejusmodi enim hypotheca ſpecialis videtur omnes alias privilegiatas præcedere. An vero hypotheca dotis præferatur hypothecis anterioribus privilegiatis, an ſolum ſimplicibus, diſputant auctores.

713 Quando hypothecæ adjecta eſt conditio vel dies, & poſtea pendente conditione vel die nondum exiſtente eadem res alteri pure oppignoratur, exiſtentia conditionis vel diei retrotrahitur ad tempus hypothecæ conſtitutæ, quod proin in ordine ad prælationem conſiderari debet, ſiquidem conditio vel dies exſtiterit, dum fit ſolutio & concurſus creditorum. Præterea qui hypothecam anteriorem obtinenti offert ſolutionem, in locum illius, cui ſolvit, etiam absque nova conventione collocari debet. Denique æquum videtur, ut hypotheca ſpecialis, licet poſterior ſit, nulli auferatur, quando anteriores creditores ex aliis bonis debitoris ſuum debitum conſequi poſſunt.

714 Dicendum 3. inter creditores perſonales præferendi ſunt 1 privilegiati non privilegiatis. 2. Habentes titulum oneroſum creditoribus ob titulum mere gratuitum; nam priores certant de damno vitando, poſteriores de captando lucro, & gratuita promiſſio ſemper involvit hanc tacitam conditionem, ſi ſine præjudicio tertii potero ſtare promiſſis. 3. Debita certa ſolvi debent præ incertis ex delicto, nam qui non eſt ſolvendo creditoribus, eſt vere pauper, adeoque bona incerta ſibi ipſi poteſt applicare, & ex illis debita certa ſolvere, præſertim cum iſta fundentur in jure rigoroſo creditorum, obligatio vero bona incerta ex delicto dandi pauperibus, tantum ſit ex lege pœnali.

715 Quod ſi plures creditores ſine jure prælationis in eadem claſſe concurrant, debitor, qui non omnibus poteſt ſatisfacere ex toto, debet ſingulis ſatisfacere ex parte, ita, ut illi, cui plus debet, proportionaliter etiam

etiam plus solvat. Neque inter creditores personales locum habet illa regula 54 juris in 6: *Qui prior est tempore, potior est jure*; nam creditor personalis non habet jus in ipsam rem, sed tantum adversus personam creditoris, qui sæpius obligari potest, etiam cum præjudicio prioris creditoris per l. 1 ff. de separat. unde jam patet disparitas quoad ea, quæ supra de creditoribus hypothecariis diximus.

Multo minus in restitutione attenditur ad majorem vel minorem indigentiam creditorum, utpote quæ nullam jus rigorosum tribuit, si tamen creditor sit ita pauper, & in tam gravi necessitate constitutus, ut ex lege charitatis debeat juvari, putat Ininger debitorem posse pauperi solvere ante divitem, quia respectu alis pauperis præter obligationem justitiæ accurrit obligatio charitatis, cui ipse dives deberet satisfacere, adeoque non potest rationabiliter esse invitus. 716

Dicendum 4. Ordo hucusque explicatus servari debet etiam in foro conscientiæ. Ita contra Machad. & Gabriel. communissima. Nam leges positivæ statuentes certum ordinem inter creditores, & aliquibus tribuentes jus prælationis sunt justæ & rationabiles, neque sunt pœnales, aut fundatæ in falsa præsumptione, imo quoad aliqua ipsum jus naturale hunc ordinem exigit, ut 1, quod creditores reales, quorum res adhuc formaliter exstant apud debitorem, omnibus aliis præferri debeant. 2. Quod habentes hypothecam expressam solvi debeant ante creditores personales, & hypothecarii anteriores præ posterioribus. 3. Quod creditores personales ob titulum onerosum præcedant eos, qui tantum habent titulum gratuitum. 4. Quod debita certa præferenda sint incertis. 717

Sed quid si unus ex creditoribus solutionem petat præ altero? Resp. 1. Quando inter creditores personales, quorum nullus habet privilegium prælationis, unus in judicio prævenit, & solutionem petit, potest ei

 per

per ſententiam adjudicari integra ſolutio ex lege pupillus 24 ff. quæ in fraudem credit. quod Silveſt, Navarr. Leſſ. Laym. etiam extendunt extra forum contentioſum, & ad petitionem extrajudicialem. 2. Si vero creditor perſonalis impetraret ſolutionem cum præjudicio hypothecariorum, competeret iſtis actio reſciſſoria ex l. ult. cod. de jure delib.

719 Cæterum quæ in hac quæſtione diximus, procedunt de jure communi, a quibus ſæpe jura provincialia & particulares locorum conſuetudines recedunt: unde niſi quis etiam in iſtis bene verſatus ſit, non facile debet aliquid decidere, multo minus in hac re, per ſe ſatis intricata, ſtatim ex ſtapede reſpondere. Illud adhuc addi poteſt, ultimo primum loco, & poſt omnes creditores in bonis defuncti ſuccedere hæredes & legatarios, inter quos rurſus hæredes præferuntur legatariis quoad ſuam legitimam obtinendam, ſi ſunt hæredes neceſſarii, vel quoad falcidiam ſeu quartam bonorum, ſi non ſunt neceſſarii.

QUÆSTIO III.

Quo tempore, loco, & cujus expenſis debeat fieri reſtitutio.

720 Regula generalis eſt, quod reſtitutio fieri debeat, quamprimum commode & moraliter poteſt, ita videlicet, ut dominus propter moram & continuationem damni non poſſit eſſe rationabiliter invitus. Procedit hæc regula etiam circa debita ex contractu, quando ſolutioni certus terminus præfixus & impletus eſt; neque tamen dilatio ad tempus breve ſtatim eſt peccatum grave, niſi domino inde novum damnum oriatur. Imo ſpectando debita ex contractu ob ſolam moram temporis nemo facile peccati mortalis condemnari debet, niſi creditor urgeat, aut ex aliis circumſtantiis cenſeatur graviter invitus, e. g. quia pro-

propter dignitatem aut potentiam debitoris non audet debitum exigere.

Quodſi aliquis culpabiliter reſtitutionem differat, 721
tenetur compenſare omnia damna, & lucra ceſſantia, quæ ex tali dilatione oriuntur, eoquod ſit injuſta illorum cauſa; imo etſi dilatio non ſit culpabilis, ſed proveniat ex impotentia reſtituendi, communior ſententia docet, hæc damna reſarcienda eſſe, quando debitor ad pinquiorem fortunam venerit, & obligatio reſtituendi orta eſt ex delicto, quia non obſtante, quod ſupervenerit impotentia reſtituendi, adhuc injuſta acceptio eſt cauſa illorum damnorum. Hanc tamen doctrinam limitant Navarr. & Diana, ſiquis prævidens & volens poſuit cauſam dilationis; alias enim damna non tam videntur provenire ex delicto, quam ex dilatione juſta circa quam creditor non poteſt eſſe rationabiliter invitus.

Porro ſicut non poteſt abſolvi pœnitens, qui cre- 722
ditore graviter invito reſtitutionem ad longum tempus differre vult, ita qui ter aut ſæpius in confeſſione reſtituere juſſus & pollicitus eſt, nec tamen unquam reſtituit, licet commode potuiſſet, regulariter non eſt abſolvendus, utpote conſtitutus in periculo proximo etiam impoſterum omittendi reſtitutionem. Pariter graviter peccat, & abſolvi non debet moribundus, qui obligationem reſtituendi, quam ipſemet adhuc vivens vel per ſe, vel per alios convenienti modo implere poſſet, vult rejicere in hæredes; nam creditores merito ſunt graviter inviti ob præſentiſſimum periculum, ne reſtitutio nimis diu differatur, aut ab hæredibus omnino omittatur. Si tamen creditoribus certo nullum notabile damnum immineret, & moribundus obligationem in vita reſtituendi ignoraret, nec inſtructio prodeſſe videretur, putat la Croix illum abſolvendum eſſe.

De loco dicendum 1, poſſeſſor bonæ fidei, qui 723
tantum obligatur ex re accepta, ſatisfacit, ſi rem reſtituit in eo loco, ubi illa eſt; ſi vero id ob domini

 abſen-

absentiam fieri non possit, res illi mittenda erit; vel si nolit, aut non mereatur expensas, potest asservari, donec detur opportunitas reddendi, vel talis res interea debet sequestrari & tradi in depositum, prout creditor monitus determinabit, vel de ejusdem voluntate præsumi poterit. Si vero in re mittenda vel asservanda debent fieri sumptus, refundendi sunt a creditore; quippe possessor bonæ fidei solum tenetur ad rem acceptam, & de cætero debet manere indemnis.

724 Dicendum 2, restitutio vel potius solutio ex contractu justo regulariter fieri debet in loco, ubi res fuit tradita, & expensis illius, in cujus utilitatem contractus cedit; ita enim exigit æquitas & æqualitas inter contrahentes servanda, nisi aliter conventum fuerit vel expresse vel tacite, ut ex natura contractus, consuetudine locorum, aliisque circumstantiis colligendum est.

725 Unde 1, si contractus cedit in utilitatem solius accipientis, expensæ debent fieri ab accipiente. 2. Si cedit in utilitatem solius dantis, expensæ debent fieri a dante. 3. Si vero cedit in utilitatem utriusque, expensæ inter utrumque dividuntur. 4. Imo si dominus rei fuerit in culpa, quod res ipsi in eo loco, in quo accepta est, restitui nequeat e. g. si non admonuit conductorem, quod in alium locum sit migraturus, translatio in alium locum expensis domini fieri debebit, & debitor satisfaciet restituendo rem, ubi illam accepit.

726 Dicendum 3, debitor ex injusta acceptione tenetur rem restituere suis expensis in eo loco, in quo creditor illam haberet, si ablata, aut injuste detenta non fuisset. Nam creditor non debet ex injuria alterius pati damnum, sed reducendus est ad statum pristinum: ergo si ad hunc statum reduci nequit, nisi fiant expensæ ad rem in locum debitum trans-

transferendam, istæ expensæ incumbunt debitori ex delicto, nisi essent nimiæ & debito improportionatæ.

Potest tamen talis debitor deducere illas expensas, quas ipse dominus in rem interea transferendam fecisset. Quodsi nunc res expensis minoribus transferri valeat, quia e. g. pretium cambii vel vecturæ decrevit, illud pretium decrevit domino; si vero diminutio pretii proveniat ab industria debitoris, quia utitur occasione minus cara, quam alii communiter non habent, vel quia vicinior est loco domini, excessum illum debitor sibi potest retinere; cum dominus non habeat jus lucrandi expensas alioquin necessarias, nec debitor peculiarem hanc industriam adhibere tenebatur. 727

Dixi supra, nisi expensæ essent nimiæ & improportionatæ; nam 1 Navarr. Cajet. Vasquez nimis rigide docent, rem domino mittendam esse, quibuscunque demum impensis, quis autem prudenter exigat, ut res unius aurei sibi mittatur cum jactura 100 aureorum. 2. Vicissim nimis benigne ait Sylvester, debitorem a restitutione excusari, si deberet facere sumptus debito æquales. Verum in tali casu magis favendum est creditori, quam debitori ex delicto, & æquum est, ut jacturam potius ferat debitor quam creditor. 3. Hinc Sotus, Gabriel &c. ad excusandum debitorem requirunt sumptus debito majores, & Molina & Sporer multo majores. 728

Sed bene advertit Lugo in hac re, quæ ex innumeris circumstantiis particularibus dependet, vix posse statui regulam universalem, nec solum quantitatem damni materialem, aut valorem rei restituendæ, sed etiam conditionem, divitias, &c. tam creditoris quam debitoris considerari debere, ut demum colligi possit, utrum creditor ob dilationem 729

vel

vel omiſſionem reſtitutionis prudenter poſſit eſſe invitus. Certe licet ſumptus a debitore faciendi tanti non ſint, ut omnino a reſtitutione excuſent, non raro tamen poſſunt ſufficere, ut reſtitutio tantisper differatur.

QUÆSTIO IV.

An & quænam cauſæ a reſtitutione excuſent.

730 Cauſæ generatim a reſtitutione excuſantes potiſſimum ſunt 1 impotentia non ſolum phyſica, ſed etiam moralis, quamdiu illa durat. 2. Condonatio vel remiſſio valida & libera creditoris aut læſi, non ſolum expreſſa, ſed etiam tacita & rationabiliter præſumpta, modo de conſenſu læſi prudenter dubitari non poſſit; nam ejusmodi conſenſus præſumptus ſufficit etiam ad evitandum furtum. 3. Compenſatio, quæ locum habet, quando duo mutuo ſunt æqualiter debitores in bonis fortunæ ejusdem ſpeciei; ſi enim unus debet e.g. pecunias, alter triticum, neuter cogi poteſt ad debitum ſuum permutandum; datur tamen tunc locus, retorſioni, hoc eſt reſtitutio cæteris paribus poteſt differri, donec alter viciſſim reſtituat.

731 Hæc ipſa exceptio & oppoſitio obligationis ſimilis procedit circa famam, caſu quo detractor ab eo, cui detraxit, æque graviter fuit infamatus, nec obtinere poteſt reſtitutionem ſibi debitam. Ex quo tamen non ſequitur, quod infamatus etiam poſſit alterius occultum crimen revelare; nam occultum crimen revelando alteri novum damnum infertur, per compenſationem vero alterius fama tantum retinetur quaſi pignoris loco, donec etiam alter reſtituit. Multo minus unquam licet falſum crimen alteri

teri imponere, ut patet ex propositione 44. damnata ab Innocentio XI: *probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam vel honorem defendat.*

Impotentia moralis restituendi datur 1, si resti- 732
tutio fieri non potest absque gravi dispendio bonorum altioris ordinis e. g. si grave periculum sit, ne filiæ debitoris per restitutionem depauperatæ se prostituant, vel si res furtiva non possit reddi sine periculo mortis, libertatis, gravis infamiæ &c. quamquam hæc pericula rara sint, si restitutio fiat per confessarium. 2. Si fieri non potest absque detrimento notabiliter majore in bonis ejusdem ordinis e. g. si fama non posset restitui absque infamia multo majore, vel res ablata non potest reddi absque damno in bonis fortunæ multo graviore. Imo Illsung existimat a restitutione famæ etiam excusare detrimentum valde grave in iisdem fortunæ bonis, licet sint ordinis inferioris.

Ad impotentiam moralem revocatur 3, si quis 733
restituere nequit, quin excidat a suo statu, quem justis mediis acquisivit, e. g. si vir nobilis ad plebeam vivendi rationem dejiceretur, vel civis honestus deberet mendicare. Tenetur tamen in his circumstantiis debitor moderari suum statum, vitare luxum, dimittere superfluos famulos, tollere convivia non necessaria &c. Imo si quis detinet bona aliena, arces, prædia &c. illa statim debet restituere; hoc enim non est amittere suum statum, sed dimittere alienum, & ad suum redire, quod vel maxime verum est, si creditor ferme in eadem versatur necessitate, vel debitor culpabiliter per luxum & prodigalitatem ad eas angustias redactus est.

Præter dicta specialiter a restitutione famæ ali- 734
quis excusatur 1, si detrahenti nulla vel exigua fi-

des adhibita fuit, ex quo capite multi saltem a gravi excusant mulieres, de quibus passim constat, quod ex innata garrulitate, credulitate, simplicitate &c. spargant falsa pro veris, ac propterea vel nulla, vel non nisi infirma fides eis habetur. 2. Si infamia jam censetur esse abolita & per oblivionem sepulta; ubi attendendum, ne tunc per restitutionem potius memoria criminis revocetur. 3. Si fama jam aliunde fuit recuperata v. g. per idoneum alterius testimonium, per sententiam judicis, vel legitimam purgationem ab ipso infamato factam. 4. Si crimen antea occultum postea alio modo justo factum est publicum. Nota tamen cum obligatione restituendi famam non hoc ipso extingui obligationem resarciendi damna infamato inde secuta.

735 Respectu bonorum fortunæ inter causas excusantes solet etiam numerari cessio bonorum, qua debitor, non potens omnibus integre satisfacere, se juridice abdicat suis bonis & juribus, ut restitutio secundum vires, & servato jure prælationis inter creditores fiat per sententiam judicis; sed hæc cessio in foro conscientiæ non aliter excusat quam impotentia solvendi; unde si debitor postea perveniat ad pinguiorem fortunam, tenetur ex integro solvere, quantum permittit moderata sui suorumque sustentatio juxta status conditionem. Ratio est, quia cessio bonorum non tollit naturalem obligationem restituendi, sed tantum suspendit, & tota ratio privilegii cessionis fundata est in impotentia solvendi.

736 Cæterum Sixtus V per specialen bullam ab ordinibus regularibus exclusit eos, qui ære alieno gravati sunt, quod Clemens VIII ita mitigavit, ut eorum professio quidem illicita sit, sed tamen valida. Quin hoc ipsum multi solum intelligunt de decoctoribus, qui bona sua dilapidarunt commessationibus, scortationibus &c. & quando affulget

spes

ſpes probabilis, quod poſſent creditoribus ſatisfacere, ſi in ſæculo manerent. Quippe de Jure naturæ probabiliter non datur obligatio, ut quis ob ſolvenda debita per longum tempus e. g. 3 annos ingreſſum religionis differat, quia nemo tenetur reſtituere cum gravi ſuo detrimento in bonis ordinis altioris. Quod ſi debitor ingrediens religionem bona fortunæ habeat, tenetur ea relinquere creditoribus, & ipſa religio, vel monaſterium debet ad ſolvenda illius debita applicare illa bona, quæ religioſo poſt ingreſſum religionis forte obveniunt ex hæreditate, legato, donatione, &c. Cæterum plura quidem de reſtitutione ſcitu non inutilia adhuc dici poſſent, verum quia per ea, quæ hactenus explicata ſunt, ita legibus fori noſtri ſatisfactum eſſe ſpero, ut nihil ulterius jure exigi valeat, libenter temporis circumſtantiis me accommodo, & hunc tractatum finio, bene gnarus, non ideo rigorem juſtitiæ melius obſervari, quod plures pro eo regulæ præſcribantur, ſed quod utiliter traditæ exacte in praxim deducantur.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025074

MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO